



PUBLII OVIDII NASONIS

OPERA.

6v. or. 11

PUBLII OVIDII NASONIS

OPERA.

ОБЪЕМЪ

ЪВЪРГІИ ОАІДІИ ИВСОИІС

P. OVIDII NASONIS
OPERA,

E TEXTU BURMANNI;

CUM NOTIS BENTLEII

HACTENUS INEDITIS, NECNON

HARLESII, GIERIGII, BURMANNI, LEMAIRII,

ET ALIORUM SELECTISSIMIS.

VOLUMEN TERTIUM.



BADAŃ INSTYTUT
LITERACKICH PAN
BIBLIOTEKA
00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 72
Tel. 26-68-63

OXONII,
IMPENSIS TALBOYS ET WHEELER; ET
GULIELMI PICKERING, LONDINI.

M DCCC XXVI.

<http://rcin.org.pl>

P. OVIDII NASONIS
OPERA

TEXTU BURMANNICIS



CUM NOTIS

HAGRENSIUM IN PARS REGIA

HARLESII GIERICII BURMANNI EMENDATI

ET ALIORUM SELECTISSIMIS

VOLUMEN TERTIUM



OXONIAE
23. 1/26/3

PRINTED AT THE CLarendon Press, OXFORD

MDCCLXXII

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE.

EX eo quod NASONIS Carmen hoc de rerum Transformationibus, non eodem inscriptum nomine tibi obveniat, quo priora duo volumina, ne credideris, Lector optime, transfugam a nobis defecisse virum consilii nostri participem, studiorum hortatorem, æmulatoremque diligentissimum, J. A. AMAR, qui, si quando a labore incepto desistere ad tempus propter valetudinem cogatur, nos quoque cogat opera interrupta et pendentia relinquere. Quod omen Dii avertant, quorum auspiciis inchoata res nostra, et ad hunc diem feliciter adeo provecta, tot fere sibi laudatores, quot viros Universitatis Gallicæ studiis faventes gratulatur; atque iis ipsis *fruitur*, vel *iratis*, qui nec movendam quidem nobis tanti laboris molem, Dictatoria auctoritate, ne dicamus, subinvida mente, pronuntiaverant!

Hujus igitur laudis, quæ spem conceptam mirum in modum exsuperavit, partem legitimam referre et juvat et decet Ovidiano interpreti, qui, postquam in Præfatione primi voluminis tam scite quam eleganter modum prævius aperuerit, quo corrigendi veteres ac interpretandi, sic interpretatus est, ut re ipsa vinceret, quem jam eloquio vincentem agnoverant, quicumque Latine sciunt. Sed ex his quæ præmisit Commentariis in Heroidum Epistolas et Amatoria Nasonis, satis superque tibi innotuit, Lector

candidissime, quantum illi onus incumberet, qui totos Ovidiani æquoris tractus relegere sibi proposuerit; qui poetam omnium quos noveris, rerum ubertate copiosissimum, varietate argumentorum et ipsa tractandi felicitate nulli secundum, cunctis fere priorem, commentatione nova illustrandum susceperit. In illo quippe, qui tantum opus ad exitum voluerit perducere, vigeant necesse est et conspirent, non modo quidquid literarum antiquarum usus familiaris et quasi quotidianus, roboris et ornamenti ad excolendum ingenium conferre potuerit; quidquid ex assidua in vicinas regiones peregrinatione importatum in rei nostræ utilitatem effloruerit; sed et accedat quoque oportet, corporis valetudo, quæ in opere tam longo ingenii vires torpescere, vel hebescere acumen non patiat. Quæ si fato quodam meo, in uno eodemque viro convenissent, hunc ego portentosum quiddam, “ raram avim, nigroque cycno simillimam,” Juven. sat. vi. 165, dicere non dubitaverim.

Providendum ergo mihi fuit, ut, cessante ad tempus collega et amico, quem totum mihi meisque devotum jampridem experior, memorique gratulor animo, alius succederet, qui non impar labori ferendo, conclamandi locum suppeteret lectoribus; “ Primo avulso, non deficit alter Aureus!” Virg. *Æn.* vi. 143. Nec quærenti diu mihi occurrit *similis* prorsus *metalli* vir, Cl. Gottlieb-Erdmann GIERIG, Tremoniaë quondam Professor celeberrimus, deinde scholarum Rector, in Montensi Ducatu; qui, quum anno 1779, specimen jam edidisset Ovidianarum *Metamorphoseon*, integrum opus emisit, anno 1784-87, ex recensione P. Burmanni, varietate lectionis, et notis perpetuis illustratum. Quod quidem opus perlegenti cuilibet, et sine studio examinanti, non indignum videatur, quod

cum ipso Heynii Virgilio compares, immo fortasse præponas, dummodo attenderis, qua sagacitate textum excutiat; lucem ex fumo det repentinam; et hujus quasi Labyrinthi ambages resolvat, certo semper, nec unquam interrupto filo lectoris regens vestigia: quæ laus, licet summa, nihil tamen Heynianæ detrahit; sed hanc propriam et peculiarem sibi vindicasse videtur Cl. Gierig, cui, tot inter et tam varias rerum figuras, retinenda erat in primis poetæ ipsius forma, cujus *non vultus, non color unus*, nec ita *diversus* tamen, ut sui prorsus dissimilis, quique *Proteus alter*, ut scripsit ingeniose jam laudatæ Præfationis auctor, p. xii. *e manibus excidit*, fallit oculos, e vinculis effluit, nec ideo minus perpetua, quanquam variante prodigialiter, voluptate animos oblectat, in delicias rapit et suavissime detinet.

Quum vero desiderandum esse nonnihil in varietate lectionum sensissem, ad Regiam Bibliothecam confugi, Codices omnes manuscriptos inspecturus, si quos doctissimus interpres ignorasset, vel neglexisset conferendos. Ex his accurate collatis, duos præsertim suppeditavit xiii sæculum, quos in primo quidem Metamorph. libro numeris designatos invenies, 8000 et 8001, quibus inscripti Regio Catalogo reperiuntur; deinde vero signis A et B, vel his tantum verbis, *Nostri Regii*: notulas quoque notis interdum addendas censui, quas e congestis *Variorum* commentariis, et præsertim e Farnabio excerptas *Editor signavi*.

Sed priusquam ad ipsum Metamorphoseon librum devenias, immorandum erit tibi, lector, nec sine fructu et voluptate, Criticæ Dissertationi, de variis *κατακλισμοις*, qui doctos non minus, quam orbem ipsum perturbaverunt, donec inter discrepantes vir exurgeret, tantas lites compo-

siturus, CL. G. CUVIER, Regiæ Galliarum Universitatis columnen, Rostrorum decus, Rerum physicarum sagacissimus indagator simul et interpres disertissimus. Ille, pro sua in me benevolentia, concessit libens, ut quæ de Diluviis disseruerat, Ovidiano diluvio præmitterem. Lætus igitur inserui, et Gallico quidem, ut conscripta fuerant, sermone; ne quid forte detrimenti inter transeundum caperet rerum vis, aut concinnitas verborum; gemmas ratus, quæ, vel ipso translatoris halitu, possint infusari. Sic BUFFON, quoties advocandi locus, talis in opere nostro prodiit, et prodibit, qualis olim, quum patriam linguam ea majestate amplificaret, quæ non impar ipsius naturæ majestati, omnium consensu celebrata in æternum vigeat.

His igitur omnibus frui, lector amice; et nostrum opus, ut occæpisti, continuo favore excipias, velim et precor. Vale.

N. E. LEMAIRE.

NOTE

SUR

CETTE QUESTION,

Les Déluges d'Ogygès et de Deucalion sont-ils des évènements réels et particuliers, ou des traditions altérées du Déluge universel ?*

PAR M^r. CUVIER.

LES Géologues ont reconnu, d'après l'état actuel des couches superficielles du globe terrestre, que la surface de notre planète doit avoir éprouvé, à une époque relativement peu éloignée, une grande révolution, qui abîma sous les eaux les continens alors habités par les hommes, et à laquelle il n'échappa qu'un petit nombre d'individus, seuls ancêtres des nations qui repeuplèrent ensuite les terres nouvelles que cette même révolution venait de mettre à sec. Divers peuples ont conservé un souvenir plus ou moins confus de cette catastrophe, où recommença nécessairement l'histoire des hommes, telle qu'elle a pu nous être transmise ; et ce qui est fort remarquable, c'est que ceux de ces peuples, qui ont gardé le moins de relations entre eux, s'accordent cependant à placer cet événement à peu près vers le même tems, c'est-à-dire, de 4 à 5000 ans, avant l'année présente 1820.

* Voyez Livre 1 des Métamorphoses, vers 253 à 415, pag. 78 et suivantes.

Chacun sait, en effet, que les livres de Moïse, d'après le texte des Septante, (celui qui allonge le plus l'intervalle entre le déluge et nous,) ne font remonter le déluge qu'à 5340 ans ; et selon le texte hébraïque, dont la chronologie est la plus courte, à 4168, en suivant le calcul d'Usserius, ou à 4393, en suivant celui de Fréret. Mais ce que l'on n'a pas remarqué, c'est que les dates données à cette catastrophe par les Chaldéens, les Chinois, les Indiens et les Grecs, sont à peu près les mêmes.

Les auteurs qui ont écrit en Chaldée, en Syrie, ou qui en ont consulté les vieilles traditions, Bérose, Hiéronyme, Nicolas de Damas, s'accordent à parler d'un déluge. Bérose le décrit même avec des circonstances tellement semblables à celles de la Genèse, qu'il est presque impossible que ce qu'il en dit ne soit pas tiré des mêmes sources. Il est vrai qu'autant que l'on peut en juger par les extraits embrouillés que Josephé, lib. i. c. 3, Eusèbe, Præp. Ev. lib. ix. cap. 12, et le Syncelle, p. 30, nous ont conservé de ses écrits, il en recule l'époque d'un grand nombre de siècles ; mais ces siècles nombreux, cette longue suite de rois entre Xixuthre et Ninus, sont une chose nouvelle, et qui lui est propre. Ctésias, qui lui est antérieur, n'en a pas eu l'idée ; ils n'ont été adoptés par aucun des auteurs profanes postérieurs à Bérose. Justin, Velleius, considèrent Ninus comme le premier des conquérans, et ne le font pas de plus de quarante-deux siècles antérieur au tems présent.

Les auteurs Arméniens du moyen âge, qui ont recueilli sur Xixuthre les vieilles traditions, et peut-être extrait les vieilles chroniques de leur pays, le font remonter un peu plus haut (à 4916 ans,) selon MM. Cirbied et Martin, Recherches sur l'anc. hist. de l'Asie, p. 26.

Il est vrai que le principal de ces auteurs, Moïse de Chorène, était chrétien, et a connu Eusèbe; néanmoins il est certain que la tradition du déluge existait en Arménie long-tems avant lui; la ville qui, selon Joseph, était appelée le lieu de la Descente, subsiste encore au pied de l'Ararat, et porte le nom de *Nachidchevan* qui a en effet ce sens-là. Voy. la préface des frères Whiston sur Moïse de Chorène, p. iv.

Les Chinois commencent dans le Chouking, leur histoire authentique, par un déluge arrivé sous Yao, et dont l'époque ne serait que de 4117 ans antérieure au tems présent.

Les Indous admettent dans leurs livres sacrés plusieurs révolutions, dont la dernière, appelée le Caliyoug, a eu lieu, il y a maintenant 4924 ans.

Les Grecs, qui ont toujours tout confondu, parce que les auteurs postérieurs ont voulu considérer, comme des faits positifs, les traditions vagues, ou les allégories mythologiques de leurs anciens prêtres et de leurs anciens poètes; les Grecs, dis-je, parlent de deux déluges, dont ils prétendent assigner les époques, mais auxquels ils ajoutent des circonstances inconciliables entre elles, et avec ces époques mêmes.

De ces déluges encore inconnus d'Homère et d'Hésiode, le premier est celui que l'on nomme d'Ogygès, et qui serait arrivé dans l'Attique et dans la Béotie: sa date, telle qu'elle a été fixée par Varron, et rapportée par Censorin, de Die nat. cap. 21, à 1600 ans avant la première olympiade, remonterait à 4196 ans, c'est-à-dire, à 28 ans près, à l'époque fixée pour le déluge de Noé par le texte hébraïque de la Genèse, selon le calcul d'Usserius. Varron place expressément ce déluge quatre siècles avant Inachus, et chacun sait que Varron a passé dans son tems, pour

l'homme qui avait mis le plus d'érudition et de jugement dans la chronologie. Cependant il paraît, qu'Acusilas et Hellanicus, les premiers auteurs connus, qui aient parlé du déluge d'Ogygès, et d'où Platon dans le *Timée*, pag. m. 524, Clément d'Alexandrie, *Stromat.* i. p. m. 321, et Eusèbe, *Præp. Ev.* x. p. m. 489, ont extrait ce que nous en savons, le plaçaient cent ans après Inachus, du tems de Phoronée, par conséquent plus de cinq cents ans plus tard que Varron; mais comme ce synchronisme n'empêchait ni eux, ni plusieurs autres de faire de Phoronée le premier des hommes, on voit de suite, que les traditions qu'ils en avaient, étaient mêlées de fables, et n'appartenaient en réalité qu'à la mythologie.

Le second de ces déluges serait celui de Deucalion. Le plus ancien auteur subsistant, où nous en trouvons la mention, est Pindare, *Olymp. Od.* ix. Il fait aborder Deucalion sur le Parnasse, s'établir dans la ville de Protogénie, (première naissance,) et y reformer son peuple avec des pierres; en un mot il rapporte déjà, mais en l'appliquant à une nation seulement, la fable généralisée depuis, comme on la voit dans Ovide^b, à tout le genre humain.

Cependant les plus anciens historiens grecs que le tems nous ait conservés, Hérodote, Thucyde, Xénophon ne font mention d'aucun déluge, ni du tems d'Ogygès, ni du tems de Deucalion, bien qu'ils nomment ce dernier, et en parlent comme de l'un des premiers rois des Hellènes; ils semblent donc aussi avoir considéré ces grandes inondations, comme appartenant à des tems antérieurs à l'histoire, ou comme faisant partie de la mythologie.

Ce qu'Hérodote dit, que la Thessalie doit avoir formé

^b Voyez plus bas *Met.* i. vers 399.

un lac, avant que le Pénée se fût ouvert une issue entre l'Ossa et l'Olympe, n'est qu'une de ces hypothèses géologiques, applicables à un pays particulier, et telles que nous en voyons tous les jours dans nos modernes. Hérodote n'en fait aucune application à Deucalion, ni à son déluge, quoique ce fût assurément une occasion bien naturelle de parler d'un semblable événement. Mais bientôt après le siècle d'Hérodote, des philosophes, pour accréditer ou des systèmes physiques, ou des romans moraux et politiques, s'emparèrent de cette tradition, et lui attribuèrent une extension plus ou moins grande, selon qu'il convenait à leurs idées.

Platon, dans le *Timée*, n'en dit que quelques mots, pour commencer le récit de la grande catastrophe, qui, selon lui, détruisit l'Atlantide; mais dans ce peu de mots, il place le nom de Deucalion immédiatement après celui de Phoronée, et sans faire mention d'Ogygès.

Aristote, *Meteor.* i. 14. semble considérer le déluge de Deucalion, comme une inondation locale, arrivée auprès de Dodone et du fleuve Achéloüs, lieux différens de ceux où on la place ordinairement, quand même il s'agirait de Dodone et de l'Achéloüs de la Phocide, ainsi que Clavier, *Apollod.* tome ii. p. 79, me semble l'avoir bien établi.

Dans Apollodore, *Bibl.* i. i. §. 7. le déluge de Deucalion reprend quelque chose de sa grandeur, et tout son caractère mythologique. Il arrive à l'époque du passage de l'âge d'airain à l'âge de fer; Deucalion est le fils du Titan Prométhée, du fabricant de l'homme; après le cataclysme, il crée de nouveau le genre humain avec des pierres; et cependant, d'après Apollodore lui-même, il n'y a d'inondé que la Grèce en dehors du Péloponnèse et de l'isthme, comme si toute la Grèce en dehors de l'isthme

avait pu être inondée, sans qu'une infinité d'autres pays, et le Péloponnèse lui-même, qui n'est pas plus élevé que la Grèce, fussent inondés aussi.

Diodore, liv. i. p. m. 10. n'assigne pas à cette catastrophe des limites si étroites, puisqu'il conjecture que ses effets auraient pu s'étendre jusques vers la Haute-Egypte.

La tradition de Phrygie relative à Annacus ou Nannacus, qui fut une sorte de précurseur de Deucalion, suppose aussi, que le déluge de celui-ci s'étendit sur l'Asie Mineure, et même qu'il détruisit tout le genre humain ; car c'est après ce déluge seulement, qu'elle place Prométhée, chargé par Jupiter de reproduire l'espèce. Il est vrai que cette tradition, si différente des autres, ne nous a été conservée que par des auteurs du Bas-Empire, Etienne de Byzance, voce Iconion, Zenodote ou Zenobius, Prov. Cent. vi. n. 10. et Suidas, voce Nannacus. Mais Zenodote cite des auteurs plus anciens, tels qu'Hermogène, auteur d'un traité sur les Phrygiens, et Hérode le Jambographe.

Iconium, où l'on suppose que régnait Annacus, est sur le grand plateau de l'Asie Mineure ; ainsi il n'a pu être inondé, sans que la presque totalité de cette presqu'île le fût.

C'est sur le Parnasse, qu'Apollodore, comme Pindare, fait aborder Deucalion ; mais d'autres auteurs lui assignent des lieux différens. Selon Servius, ad Virg. Ecl. vi. 41. ce fut sur le mont Athos, et selon Hygin, fab. 153. ce fut sur l'Ætna qu'il trouva un refuge. D'après le récit de Lucien, de Dea Syra, il semblerait même, qu'à Hiérapolis on croyait que Deucalion était descendu près de cette ville.

Le coffre qu'Apollodore, loc. cit. donne à Deucalion

pour moyen de salut, les colombes par l'instinct desquelles, selon Plutarque, de Solert. Anim. il cherchait à savoir si les eaux s'étaient retirées, les animaux de toute espèce qu'il avait embarqués avec lui, selon Lucien, de Dea Syra, sont des circonstances si manifestement empruntées de la narration de Moïse, qu'il est presque impossible, qu'elles n'en aient pas été tirées, soit immédiatement, soit par la connaissance que ces écrivains ont eue du récit de Béroserose.

Il paraît donc certain que l'idée que l'on se faisait le plus communément, soit du déluge d'Ogygès, soit du déluge de Deucalion, était dérivée de l'ancienne tradition du déluge universel, insensiblement modifiée, diversifiée selon les lieux. Chaque colonie en avait apporté avec elle le souvenir. Mais dans ces tems, où rien n'était encore fixé par l'écriture, les prêtres chargés de conserver la mémoire des principaux faits, et sans doute de celui-là plus que d'aucun autre, le localisaient petit à petit, d'après le penchant naturel à tous les hommes de placer, près des lieux qu'ils habitent, les grands évènements, dont ils n'ont plus qu'une réminiscence confuse, et d'après l'intérêt encore plus naturel, que les prêtres de chaque lieu avaient d'inspirer une vénération religieuse pour leurs temples, et en les accréditant ainsi, de s'accréditer eux-mêmes.

C'est particulièrement dans cette dernière vue, qu'en beaucoup d'endroits, on montrait des ouvertures, par où l'on disait que les eaux du déluge s'étaient engouffrées : la plus célèbre était celle du Parnasse.

Il y avait, au rapport de Pausanias, Attic. liv. i. c. 18. quelque chose de semblable à Athènes, dans un bosquet sacré, appelé Olympias. Un enfoncement d'une coudée de profondeur passait pour avoir reçu les eaux du déluge

de Deucalion, et l'on y jetait chaque année des gâteaux de farine et de miel; aussi prétendait-on bien, que Deucalion avait demeuré à Athènes, qu'il y avait construit un temple à Jupiter Phyxius, et que l'on y possédait son sépulcre, bien que l'on crût aussi le posséder à Pyrrha, dans la Phtyotide.

Les Hiérapolitains de Syrie, selon Lucien, de Dea Syra, prétendaient de leur côté posséder l'orifice, par lequel s'étaient écoulées les eaux de ce déluge: un temple célèbre couvrait cet hiatus de la terre, où l'on jetait deux fois chaque année une grande quantité d'eau de mer, qu'il absorbait entièrement, bien qu'il fût fort étroit, ce qui prouve qu'il conduisait dans quelque grande cavité.

Ce qui est bien extraordinaire, c'est qu'on retrouve dans un de ces nombreux poèmes, ou romans versifiés, qui composent le corps de la mythologie Indienne, un personnage dont le nom et les aventures ont des rapports frappans avec le Deucalion des Grecs; c'est Deva-cala-yavana, ou, dans le langage familier, Deo-cal-yun, qui, ayant attaqué Chrishna à la tête des peuples septentrionaux, (des Scythes, tel qu'était le Deucalion des Grecs, selon Lucien,) fut repoussé par le feu et par l'eau. La ressemblance va jusqu'à son père Garga, dont un des surnoms est Pramathesa, (Prométhée,) et qui, selon une autre légende, est dévoré par l'aigle Garuda. De ces détails vraiment étonnans par leur conformité avec les fables grecques, et qui ont été extraits par M. Wilfort, Mémoires de Calcutta, tom. v. du drame Sanscrit, intitulé Hari-vansa, M. Charles Ritter, dans son Vestibule de l'Histoire Européenne avant Hérodote, conclut avec une grande apparence, que toute la fable de Deucalion était d'origine étrangère, et qu'elle avait été apportée en Grèce,

avec les autres légendes de cette partie plus ancienne du culte grec, qui était venue par la voie du Nord.

. Ceux des modernes qui, comme Fréret et Clavier, ont pensé que le déluge d'Ogygès et celui de Deucalion sont des événemens réels, mais locaux et différens l'un de l'autre, se sont fondés principalement sur ce que la chronologie grecque assigne à ces deux princes, des places distinctes et fixes dans l'espace et dans le tems; mais qui ne voit que pour ces époques reculées, les Grecs, ainsi que toutes les nations encore peu éclairées, ont cherché à lier leur histoire à leur mythologie par des généalogies factices, et que c'est sur ces généalogies que repose, avant les Olympiades, toute leur chronologie? Quiconque croit de bonne foi, que Codrus et Médon descendaient de Deucalion par Hellen et par Dorus, ne peut se refuser à croire aussi, que Deucalion descendait d'Uranus par Japet et Prométhée, et que Saturne était son grand-oncle, et Jupiter et le centaure Chiron ses oncles *à la mode de Bretagne*. Ce sont les mêmes auteurs qui nous rapportent tout cela. Y a-t-il aujourd'hui un scheich Arabe, qui ne sache comment il descend de Noé par Ismaël, et un gentilhomme irlandais par Milésius? Nous-mêmes, n'avons-nous pas long-tems ajouté foi à notre origine Troyenne, telle que l'annonce Frédégaire, et à cette longue liste de princes allant en ligne droite de Priam à Clovis, que des romanciers du moyen âge ont entée sur cette première imagination?

Apollodore donne à Deucalion un fils nommé Hellen, chef de tous les Grecs, et fait naître de celui-ci Dorus, chef des Doriens, et Eolus, chef des Eoliens, avec autant d'autorité qu'Abulgazi, Hist. Gén. des Tart. ch. 2 et 3. donne à Japhet, fils de Noé, un fils nommé Turc, et à

Turc, deux arrière-petits-fils, appelés l'un Tatar, et l'autre Mongol, d'où seraient descendues les deux grandes nations qui portent encore ces noms aujourd'hui; ou que Jean Le Maire, Ill. des Gaules, p. 43. fait descendre de Galatas, roi des Gaules, Allobrosc, prince de Dauphiné, et son fils Romus, qui fonda la ville de Romans, et donna naissance à la langue romane.

Au reste, quand il serait vrai que Deucalion eût été en effet le chef des Hellènes, lorsque ce peuple vint s'établir aux environs du Parnasse, l'opinion populaire le regardant comme l'auteur de la nation, aurait pu placer de son tems la catastrophe, de laquelle datent toutes les nations, par une simple confusion d'époques, très-naturelle quand rien n'est écrit, ni même mis en vers et appris par cœur, et sans que l'on puisse en tirer aujourd'hui aucune conclusion sur la réalité de l'événement.

Il y avait aussi en certains lieux des traditions relatives au déluge, auxquelles le nom de Deucalion n'était pas lié. Telle était l'inondation de l'Arcadie, rapportée par Denys d'Halicarnasse, Ant. rom. lib. i. cap. 61, et à laquelle il attribue l'émigration de Dardanus vers l'île de Samothrace, et ensuite vers l'Hellespont; telle était encore celle d'une grande crue d'eau, dont parle Diodore, lib. v. cap. 47, qui devait avoir eu lieu en Samothrace avant les autres déluges, et que l'on attribuait à la rupture du Bosphore et de l'Hellespont.

Indépendamment de cette tradition de Samothrace, sur la rupture des détroits, on avait dans l'antiquité diverses hypothèses.

Le Bosphore est un canal fort peu large, mais dont les bords ne sont escarpés que dans un petit espace, et sur une hauteur peu considérable. Cependant ces petits es-

carpemens avaient suffi à quelques anciens pour qu'ils supposassent que ce canal était effectivement le produit d'une rupture. Straton de Lampsaque, au rapport de Strabon, Géog. liv. i. p. 49, cherchait même à expliquer par cet évènement supposé, les coquilles et autres vestiges de la mer, qui se remarquent en plusieurs endroits des plaines et des plateaux de l'Asie Mineure. Avant cette rupture, selon Straton, le Pont-Euxin aurait été beaucoup plus étendu qu'aujourd'hui, et aurait couvert une partie de l'Asie Mineure; une rupture pareille aurait eu lieu, à une époque quelconque et par des causes analogues, aux Colonnes d'Hercule, et aurait influé d'une manière ou d'une autre sur l'étendue de la Méditerranée.

Des modernes, d'après l'observation faite par Pallas des grandes plaines de sable, qui s'étendent du nord de la mer Noire à la mer Caspienne et au lac d'Oural, ont même imaginé, qu'autrefois ces trois mers étaient réunies, et qu'elles ne se sont séparées, qu'à cause de l'écoulement de leurs eaux, occasionné par la rupture du Bosphore; quelques traces de volcans observées aux Cyanées, et vers l'entrée de la mer Noire, leur ont paru pouvoir fournir une explication physique d'une telle rupture; ils ont même été plus loin, et ont cru pouvoir lier cet écoulement avec le déluge de Deucalion par des témoignages historiques.

Comme il est dit dans Apollodore, que le déluge de Deucalion arriva du tems de Nyctimus, roi d'Arcadie, Clavier, Hist. des premiers tems de la Grèce, i. pag. 44, suppose, que c'est sous ce même roi Nyctimus, qu'eut lieu l'inondation de l'Arcadie, qui, selon Denys, contraignit Dardanus à aller vers la Samothrace; et par une seconde supposition, il va jusqu'à croire que ce fut aussi cette inondation qui obligea Deucalion à se rendre vers le Par-

nasse; en sorte que, selon lui, Deucalion aurait été originaire d'Arcadie.

Mais une combinaison plus forte encore, est celle de M. Dureau de la Malle. Géog. Phys. de la mer Noire, etc. p. 241. Réunissant la tradition de Samothrace, touchant l'éruption de l'Euxin, que Diodore rapporte comme très-antérieure à Dardanus, et même à *tous les autres déluges*, avec la tradition relative à l'inondation de l'Arcadie, et à l'émigration de Dardanus, dans laquelle Denys d'Halicarnasse, de qui seul on la tient, ne fait aucune mention de l'Euxin; admettant ensuite, que le deuxième de ces événemens est identique avec le déluge de Deucalion, il fait de tout cela, et de la rupture du Bosphore, et de celle des Colonnes d'Hercule, qu'il place aussi à la même époque, une seule et même catastrophe, à laquelle il croit en conséquence pouvoir assigner une date historique.

Malheureusement le tout ensemble est aussi peu fondé en physique, qu'en histoire. Le phénomène des vestiges de la mer sur les continens est universel, et ne peut dépendre d'une cause locale. Ce n'est pas seulement autour de la mer Noire qu'il y a des coquilles fossiles; il y en a partout.

De plus, il résulte du témoignage de deux savans hommes qui ont été sur les lieux, M. Olivier, dans un rapport fait à l'Académie des Sciences, et le général Androssoy, Voyage à l'embouchure de la mer Noire, pag. 48 et suivantes, que la mer Noire, si elle se fût beaucoup élevée au-dessus de son niveau actuel, aurait trouvé plusieurs écoulemens par des cols et des plaines moins élevées que les bords actuels du Bosphore, sans avoir besoin de s'ouvrir cette longue et étroite issue. Chacun sent d'ailleurs, qu'une éruption volcanique est incapable de produire un

tel effet sur une plage calcaire, telle que les plateaux que traverse le Bosphore. Enfin, la mer Noire fût-elle même tombée un jour subitement en cascade par ce nouveau passage, la petite quantité d'eau qui aurait pu s'écouler à la fois par une ouverture si étroite, se serait répandue par degrés sur l'immense surface de la Méditerranée, sans causer sur ses bords une marée de quelques toises, encore moins un déluge qui aurait détruit des provinces, et forcé les hommes à chercher un refuge sur les hauts sommets du Parnasse.

M. le général Andréossi, qui a fait une étude particulière des lieux, et dont les talens, comme ingénieur et comme hydraulicien, sont si connus, a même prouvé, d'après la hauteur de la partie des bords de ce détroit qui est escarpée, que la simple inclinaison de la surface des eaux, nécessaire à l'écoulement, aurait réduit à rien l'excédent de hauteur, qu'elles auraient pu produire, une fois arrivées aux rives de l'Attique.

Mais, si les preuves historiques que l'on a prétendu donner de l'identité des déluges de Samothrace, d'Arcadie et de Deucalion, et surtout de leur date, et les explications physiques que l'on en a imaginées, disparaissent devant une critique sérieuse, il n'en reste pas moins très-probable, que tout ce qu'il y a de réel dans ces traditions, et même dans celles des déluges d'Ogygès, de Syrie, de Phrygie, d'Assyrie et de Chine, se rapporte au souvenir d'un seul et même événement, de celui qui est connu dans les annales hébraïques sous le nom de *Déluge universel*.

G. CUVIER.

PUBLII
OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON

LIBRI QUINDECIM.

PARS PRIMA.

EPIGRAMMA
PUBLII OVIDII NASONIS
IN METAMORPHOSEON LIBROS.

ORBA parente suo quicumque volumina tangis,
His saltem vestra detur in urbe locus.
Quoque magis faveas, non sunt hæc edita ab illo,
Sed quasi de domini funere rapta sui.
Quidquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, erat.

PRÆFATIO

DE OPERE METAMORPHOSEON,

AUCTORE GOTTL. ERDM. GIERIG.

RES antiquissimorum Græcorum ferme omnes, civitatum origines, fata et facta heroum, Deorumque religiones, philosophemata etiam, quum, ut in rudi gente et in sermone nondum exculto, *fabulis* essent involutæ, primi poetæ, jam ante Homerum et Hesiodum, iis varie tractandis ingenia exercuerunt; horumque vestigia presserunt tam quibus postea theogonias atque cosmogonias componere placuit, quam qui Cyclici dicti sunt. Lyrici etiam hymnos in Deos laudesque heroum fabulis exornarunt, et Tragici dramatum suorum argumenta inde repetierunt certatim. Neque poetarum ingeniis solis ampla illa materia est relicta; sed ante et circa bella cum Persis gesta exstiterunt, qui, ut gentis suæ origines conderent, fabulas illas, quales erant a majoribus traditæ, voluminibus complecterentur; in quibus Pherecides, Acusilaus Argivus, Hecatæus Milesius, et Hellanicus inclaruerunt. Illam vero fabularum antiquitus traditarum farraginem, qua tum omnis historia Græca continebatur, nec seriori tempore abjecerunt, qui rerum a gentis suæ auctoribus gestarum memoriæ consulere voluerunt. Tot igitur scriptorum studiis illa ipsa farrago facta est pars non exigua eruditionis Græcorum, qua passim omnes prope scriptores, philosophi, physici,

astronomi, geographi in rem suam sunt usi : atque etiam artifices mythos operibus suis expresserunt^a.

Persuasum erat Græcis, posse Deos figuras dare et admirare ; idque crebro esse ab iis factum, ut vel in sontes animadverterent, vel laborantibus succurrerent : quam opinionem a sacerdotibus, fictis pluribus exemplis, confirmatam esse latiusque sparsam admodum est credibile. Sic mythis illatæ sunt *metamorphoses*, quæ phantasiæ poetarum latum campum præsternebant, quum illi et vulgatas exornarent ingenioseque variarent, et a se inventas adderent. Simonidem quidem carmine luisse scimus, quo mulierum origines pro ingenii natura variis ex rebus deduceret. Ex antiquissimis hujus generis mythis Homerus nonnullos et Hesiodus servarunt. Apud illum enim non modo Proteus transformis occurrit, sed et draco quidam, Niobe et Phæacum navis in saxa, Pandarei autem filia in lusciniam transiisse leguntur. In Hesiodi Theogonia amputato Gorgonis capite Chrysaor et Pegasus prosiliunt, et in altero carmine, quod ab Operibus inscriptum est, Pandionis filia in hirundinem transformatur. Atque idem ille in Catalogo mulierum deperdito multo plurium metamorphoseon auctor fuerat. Hoc igitur mythorum genus quum et ipsum Græcis placeret, ut qui rebus ludicris ducerentur, prodierunt, qui id segregatum a reliquis tractarent. Corinna mulier, cujus ætas incerta, scripsit *Ἑτεροίων Βίβλους*, Callisthenes Olynthius, Aristotelis auditor, *Μεταμορφώσεις*, Antigonus Carystius, tempore Ptolemæi Philadelphi, *Ἀλλοιώσεις*, Nicander Attalo II. æqualis *Ἑτεροιοίμενα*, et Parthenius *Μεταμορφώσεις*. Erant etiam, qui certum sibi transformationum genus enarrandum sume-

^a Vide Heynii Comment. de origine et causis fabb. Homeric. in Nov. Commentar. vol. viii. Item Comment. de Apollodori Biblioth.

rent, in quibus Boeus, cujus Ornithogonia id agebat, ut aves omnes factas esse ex hominibus ostenderet^b.

Sed multo majus memorabiliusque opus molitus est Ovidius. Is enim recte vidit, fabulis illis in se tenuibus, magnam etiam partem ineptis atque absurdis, illecebras esse conciliandas a poeseos ornamentis, a collectione earum, nisi omnium, certe plurimarum, in unum corpus, et a laudibus Deorum heroumque interpositis. Id autem tanto ingenio tantaque arte effecit, ut suavissime bonarum literarum studiosos ad metamorphoses cognoscendas invitaret teneatque; quin adeo, ut, eo nomine audito, Ovidius statim, tanquam unus earum auctor, occurrat. Etenim, quod primum est, innumeros hujus generis mythos, quot nemo forte ante eum, undique decerptos collegit. Neque opera ejus intra metamorphoseon, quæ proprie sic dicuntur, limites substitit, sed sive plenitudinis causa, sive cosmogonias Græcorum respiciens, in primordio operis originem mundi, creationem hominis, successionem ætatum, ortum animantium ex limo, et libro extremo multa e Pythagoræ placitis adsumsit. Unde vero singula hauserit, quum tot libri mythici, tot etiam artium monumenta, quæ passim ab eo expressa videntur, perierint, certo dicere non possumus. Itaque nec constat, utrum ipse aliquid in fabulis novaverit addideritque, an Græcorum tantum vestigia presserit. Conjiunt nonnulli, fabulam de Pyramo et Thisbe, tum alteram de Philemone et Baucide, utramque longe suavissimam, atque etiam de Sidoniis Inus comitibus appendiculam ab ipso esse fictam; sed nulla ejus conjecturæ causa reddi potest probabilis. Hoc autem videmus, nihil in hoc genere memorabile ab eo esse præ-

^b Vide Mellmanni Comment. de causis et auctoribus narrationum de mutatis formis.

termissum, et in tanta varietate, qua mythi erant traditi, rationem ubique fere eam esse delectam, quæ vel plurimum ornatus admitteret, ut impetus Althææ in filium, vel decoro commendaretur, quo pertinet mutatio pueri in stellionem, atque Cephalî et Procridis fata, quibus turpia nonnulla ab aliis erant admixta. Quam ego laudem non contemnendam arbitror.

Tum artem admirari licet, qua fœcundum poetæ ingenium tot fabulas in unius corporis speciem conjunxit, ut vere *perpetuum* carmen vocari posset. A creatione mundi exorsus lectorem sensim, et cum maxima ejus voluptate, deducit per omnium seculorum seriem ad sua tempora, servata utcumque temporis ratione. Mille igitur modos invenit, quibus ab alia fabula transiret ad aliam. Hæc se offert, quia similitudo ei quædam cum superiore intercedit; illa, quia ad eundem hominem Deumve pertinet, aut quia res in eadem terra gesta est. Mox hymni canuntur metamorphoseon pleni, mox mulieres texunt argumenta mythica. Nunc abest a gratulantibus aut condolentibus unus, quem sua fata retinebant, quæ sic non male referuntur; nunc a facto propiore renarrant priora ii, qui rei gestæ interfuerant. Interdum sententiæ interpositæ ad alia nos ducunt; quam tamen frigidam et puerilem adsecrationem Quintil. Inst. iv. 1. 71. nominat, licet non neget excusari Ovidium necessitate, hoc est lege, quam ipse sibi præscripserit. Loco sententiæ nonnunquam plura ex historia repetuntur, quorum ope res dissimillimæ junctæ reperiuntur, ut Herculis apotheosis et Galanthidis in mus-telam mutatio. Raro nexus reperitur parum probabilis, ut ii. 368. ubi Liguria rex reginæ Æthiopiæ sanguine junctus contra fidem traditur; et viii. 548. in geographiam eo consilio peccatum est, dum Theseo Calydone

Athenas redeunti Achelous fluuius objicitur. Saltu facto v. 572; sed vix alibi transitur. Verum omnis hæc con- nexio fabularum clarius elucescit e serie, quam huic com- mentationi subjecimus: et operæ pretium est in perle- gendo opere ipso ad eam attendere.

Hinc videamus, qua arte mythos sic nexos poeta dis- posuerit atque exornaverit. Plerisque, qui narrantes in- ducuntur, tribuuntur quæ personis eorum conveniunt. Scelestæ Pierides canunt quæ Deos dedecent, impia Arachne eorundem flagitia textit; Minyeides, puellæ pe- tulantes, amoribus enarrandis indulgent; Orpheus, Thra- cibus puerorum amorem commendaturus, de pueris canit a Diis dilectis. Varietatis causa nonnulli sua fata ipsi narrant, ut Arethusa et Achelous, quamquam hic minus commode, quum, quod ei pudori erat, ter victus esset ab Hercule nondum Deo. Cornix adeo corvo una volanti, quæ aves quædam passæ erant, notum facit. Est etiam, ubi Themis mutationes futuras vaticinatur. Nonnullos mythos paucis poeta transmittit, ut Bacchi nutrices vetu- las, quibus iuventus a Medea redditur, et, quod mireris, celebratissimam adeo Gigantomachiam. Quosdam, quippe parum memorabiles, verbo tantum tangit. Sic una ex Minyeidibus, dubitans, quid e multis potissimum referat, et altera, præteritione rhetorica utens, plurium argu- menta brevissime recensent; nec aliter se habent, quæ Arachne textit, et quæ Minerva cum ea certans in extre- mis vestis partibus ponit. Medea sublimis fugiens ex aere despicit loca multa transformationibus nota, quæ non narrantur, sed tantum attinguntur. Verum in longe plurimis ingenii copias Ovidius effudit, et quantum rebus flumine orationis exornandis valeret ostendit, ea quidem

varietate, ut nunc historici, nunc dramatici partes ageret; qua ipsa re plurimum gratiæ carmini conciliatur.

Primo ingenium lectori in transformationibus ipsis describendis approbat; in quas enim novi corporis partes singula formæ prioris membra transierint, suavissime enarrat, atque ita multorum animantium, multarum item arborum aliarumque rerum naturam mirifice pingit. *Cycno* in avem sui nominis transeunti, ii. 373:

Vox est tenuata viro, canæque capillos
Dissimulant plumæ, collumque a pectore longum
Porrigitur, digitosque ligat junctura rubentes:
Penna latus vestit; tenet os sine acumine rostrum.

Ubi *Io*, concedente *Junone*, priorem formam recipit a *Jove*, i. 739:

Fugiunt e corpore setæ,
Cornua decrescunt, fit luminis arctior orbis,
Contrahitur rictus, redeunt humerique manusque;
Ungulaque in quinos dilapsa absumitur ungues.
De bove nil superest, formæ nisi candor, in illa;
Officioque pedum *Nymphe* contenta duorum
Erigitur, metuitque loqui, ne more juvenæ
Mugiat, et timide verba intermissa retentat.

Lyciacos agrestes *Latona* ranas esse, vi. 370, jubet. Itaque

Juvat isse sub undas
Et modo tota cava submergere membra palude,
Nunc proferre caput, summo modo gurgite nare,
Sæpe super ripam stagni considerare, sæpe
In gelidos resilire lacus——
Vox quoque jam rauca est, inflataque colla tumescunt,
Ipsaque dilatant patulos convicia rictus.
Terga caput tangunt; colla intercepta videntur;
Spina viret; venter, pars maxima corporis, albet;
Limosoque novæ saliant in gurgite ranæ.

Ocyrrhoe, vaticinandi perita, primum præsentit, ii. 561, fata sua:

Jam mihi subduci facies humana videtur :
 Jam cibus herba placet ; jam latis currere campis
 Impetus est.

Mox sequitur mutatio ipsa :

Pars est extrema querelæ
 Intellecta parum, confusaque verba fuere.
 Mox nec verba quidem, nec quæ sonus ille videtur,
 Sed simulantis equam ; parvoque in tempore certos
 Edidit hinnitus, et brachia movit in herbas.
 Tum digiti coeunt, et quinos adligat ungues
 Perpetuo cornu levis ungula : crescit et oris
 Et colli spatium : longæ pars ultima pallæ
 Cauda fit : utque vagi crines per colla jacebant,
 In dextras abiere jubas.

Quanquam hic ingenio abusus est poeta, extremam pallæ
 partem in caudam transformans. *Daphnes* fato instante,
 i. 548 :

Torpor gravis adligat artus,
 Mollia cinguntur tenui præcordia libro.
 In frondem crines, in ramos brachia crescunt.
 Pes, modo tam velox, pigris radicibus hæret :
 Ora cacumen obit ; remanet nitor unus in illa.

Saxa unum vultum habent, nec partes discriminatas ; nihilo
 tamen minus in ea quoque transitum jucunde describit, ii.
 820, ubi *Aglauro*

Surgere conanti partes, quascunque sedendo
 Flectimus, ignava nequeunt gravitate moveri.
 Illa quidem recto pugnat se attollere trunco :
 Sed genuum junctura riget, frigusque per artus
 Labitur, et pallent amisso sanguine venæ.
 ——Letalis hiems paulatim in pectora venit,
 Vitalesque vias et respiramina clausit.
 Nec conata loqui est ; nec, si conata fuisset,
 Vocis haberet iter ; saxum jam colla tenebat,
 Oraque duruerant : signumque exsanguē sedebat.

Neque semel tantum illum transitum per partes elocutus est, sed cum varietate sæpius. Etenim etiam, vi. 303, in *Niobe* :

Nullos movet aura capillos.

In vultu color est sine sanguine : lumina mœstis

Stant immota genis : nihil est in imagine vivi.

Ipsa quoque interius cum duro lingua palato

Congelat, et venæ desistunt posse moveri.

Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,

Nec pes ire potest.

Nec hoc satis.—iv. 551, plures mulieres simul eandem sortem patiuntur :

Saltumque datura moveri

Haud usquam potuit, scopuloque adfixa cohæsit.

Altera, dum solito tentat plangore ferire

Pectora, tentatos sentit riguisse lacertos.

Illa, manus ut forte tetenderat in maris undas,

Saxea facta manus in eadem porrigit undas,

et quæ plura sequuntur. Hic mutationem generali quidem notione quater exprimit, sed variatis verbis, et quamque mulierem in alio gestu formam novam induisse fingit. Simile figmentum etiam in *nautis Tyrrhenis*, delphinorum naturam accipientibus, iii. 671, reperimus; quamquam ibi et in singulis aliæ delphini partes memorantur :

Primusque Medon nigrescere pinnis

Corpore depresso, et spinæ curvamina flecti

Incipit : huic Lycabas, in quæ miracula, dixit,

Verteris? et lati rictus et panda loquenti

Naris erat, squamamque cutis durata trahebat.

At Libys, obstantes dum vult obvertere remos,

In spatium resilire manus breve vidit, et illas

Jam non esse manus, jam pinnas posse vocari, etc.

Eas partes si componis, integer fere delphinus efficitur. Similia, ii. 346, de Phaëthontis sororibus in arbores trans-

euntibus leguntur, quas primum singulas ostendit, deinde omnes communi metamorphosi complectitur. Quæ paulo ante de saxis dixi, ea et de aqua valent. Sed in hujus quoque uniformem naturam mutationes suaviter narrat. *Cyane*, v. 428:

Quarum fuerat magnum modo numen, in illas
 Extenuatur aquas: molliri membra videres,
 Ossa pati flexus, ungues posuisse rigorem:
 Primaque de tota tenuissima quæque liquescunt,
 Cærulei crines, digitique, et crura, pedesque;
 Nam brevis in gelidas membris exilibus undas
 Transitus est: post hæc tergumque, humerique, latusque,
 Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos.
 Denique pro vivo vitiatas sanguine venas
 Lympha subit, restatque nihil, quod prendere possis.

Tolle verba *Nam brevis—Transitus est*, quibus minime opus erat, et reliqua præclare se habent. Rursus, v. 632. *Arethusa* de se:

Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
 Cæruleæque cadunt toto de corpore guttæ;
 Quaque pedem movi, manat locus, eque capillis
 Ros cadit.

Interdum nonnulla fiunt inter mutationem, aut proferuntur ab iis, quos fatum illud opprimit, ut iv. 575 sqq. dum Cadmus et Harmonia serpentes fiunt; et ix. 355, Dryope arbor. Sunt etiam fabulæ, in quibus transitus ipse paucis memoratur, sed descriptionis loco comparatio additur. Id quale sit, ex ix. 219-25, et 266, intelligitur:

Utque novus serpens, posita cum pelle senecta,
 Luxuriare solet, squamaque virere recenti;
 Sic ubi mortales Tiryntius exuit artus,
 Parte sui meliore viget, majorque videri
 Cœpit, et augusta fieri gravitate verendus.

His igitur et talibus ingenium satis ostentavit. *Lynca* tamen, in quam *Lyncus* mutatus, non descripsit; neque *cirin*, cujus formam *Scylla* adsumsit; quanquam illa fera maculis, hæc avis pulchritudine insignis: nec aves satis notavit, quarum figuram *Letoia* *Meleagri* sororibus dedit.

Verum transformationes ipsæ, licet inde carmen inscriptum sit, minimam ejus partem constituunt. Ut amplum prodiret opus, tam ea poeta copiose persecutus est, unde metamorphoses pendent, quam alia admiscuit a consilio non aliena. *Phaethontis* fata nullam habent formæ mutationem; iis tamen magnam libri secundi partem implevit, ut per ea ad sorores transiret, in arbores, dum fratris casum lugent, versas. Mutatio sororum *Meleagri* duobus versibus absolvitur; sed ad eam longissima illa *ῥήσιν* viii. 260-543, pervenitur, quæ tota in apri *Calydonii* venatione et in lucta *Althææ*, filio necem parantis, versatur. *Æsonem*, *Jasonis* patrem, juvenem *Medea* reddiderat. Hoc narraturus *Ovidius* vii. 159-293, in totam artem magicam excurrit. Pestem, quæ *Æginam* insulam exhauserat incolis, *Minoisque* cum *Atheniensibus* bellum nobis vii. 472 sqq. retulit, ut *Myrmidonum* e formicis originem proderet. Locus vii. 1-158, habet quidem mutationem dentium satorum in viros, sed paucis versibus expositam; reliqua in *Minois* forma et in vesano *Medææ* amore notando versantur. Sic numerosissima poetæ occasio offerebatur innumera admiscendi, quæ antiquitas tulit, quæ rerum natura habet, quæ hominis indolem attingunt; eaque et cupide et ingeniose usus, insigni rerum varietate atque copia opus suum posteris commendavit. Deos enim plerosque cum attributis suis hic descriptos reperimus, *Jovis* majestatem, fulmina, imperium in mundum, furta, *Junonis* zelotypiam, *Apollinis* artes et amores, *Cereris* merita, *Mer-*

curii ministerium et ornatum, Dianæ choros et venationes, Bacchi nomina, res gestas et sacra, Minervæ in texendo excellentiam, Latonæ errores et vindictas, Cupidinis arma et potentiam, Plutonis imperium in inferos, Proserpinæ fata, Neptunum, Protea ambiguum, canorum Tritona, Musarum cantus, Telluris fructus, Tisiphones formam et venenum, Isidis quoque Ægyptiacæ pompam. Prodeunt viri et heroes, quos antiquitas habuit celeberrimos, Deucalion, Chiron, Æsculapius, Cadmus cum suis, Tiresias, Perseus, Jason, Theseus, Minos, Dædalus, Triptolemus, Meleager, Hercules, Orpheus, Achilles, Ulysses, Pythagoras, Æneas, Romulus, Numa, quorum omnium res plurimæ et laudes aut brevius attinguntur, aut ingenii flumine ornatae explicantur. Notantur, quæ in animo humano sunt, adfectus paternus, maternus, fraternus, sororius, amor castus, incestus, sceleratus, sui ipsius, libido furens, plures doloris et luctus gradus, desperatio, insania, ira, ulciscendi studium, invidia, crudelitas, impietas, pietas, innocentia, simplicitas, hospitalitas, mollities, fortitudo, tum pugnae et tumultus variorum adfectuum in animo. Adde studia hominum, bella, prælia, venationes, artes (textoriam, fatidicam, nauticam, piscatoriam, magicam,) lusus, rixas, lotiones, nuptias, convivia, certamina, item quæ iis vel contingunt, vel accidunt, aut a natura tributa sunt, diluvium, pestem, famem, somnum, somnia, paupertatem, opum abundantiam, dilanationem, discerpationem membrorum, naufragium, mille mortis genera. Partem adhuc rerum expositarum recensui. Accedunt enim plurimarum rerum, quas et natura protulit, et poetarum ingenia finxerunt, descriptiones, sedis coelestis, regiae Solis cum curru solari et equis, cœli stelliferi, inferorum, animantium, plantarum, montium, fluviorum, fontium, ven-

torum tempestatumque. Atque hæc ita tractata sunt, ut omnia fere artis rhetoricæ et poeticæ præcepta exemplis ex hoc opere petitis illustrari possint. Continet enim narrationes, orationes, epistolas, soliloquia, notationes morum, descriptiones hominum, locorum, rerum, hymnos, lusus ingenii, ut carmen pastoritium et παρακλαυσίθρον, prosopopœias, similitudines, sententias, acumina, figuras omnis generis. Ea vero tractatione nunc jucundi et teneri sensus in animo legentis excitantur, nunc vehementiores adfectus commoventur.

Restat, ut jam videamus, quo successu illa Ovidius exornaverit. Conformaverat ingenium ad præstantissimorum, quos Græcia et Roma tulerant, poetarum exempla; neque adeo mirum est, passim eum eosdem et in dispositione rerum tractandarum et in ornamentis multis *imitando* expressisse. Pleni sunt poetarum principes, Homerus Virgiliusque, sic enim Iliados et Æneidos ratio ferebat, præliis cædibusque, in quibus enarrandis, ne tædium lectori crearent, pugnantium patriam, habitum, conatus, vulnera, mortes maxima varietate descripserunt. Noster igitur, quum Perseus et Theseus ab eo producendi essent, quorum virtus etiam in præliis enituerat, nec hæc ab opere suo v. et xii. abesse voluit, easque descriptiones non modo in universa delineatione, sed etiam in quibusdam bellatoribus notandis ad exempla illa composuit; eandemque rationem etiam in apri Calydonii venatione secutus est. Celebrabatur omnium sermone sublimis ille Homeri locus, quo Jupiter concusso capite Olympum movet: talem igitur Jovem et ipse induxit. Pestis descriptiones, quas, Thucydide præeunte, Lucretius atque Virgilius dederant, cupide ab omnibus legebantur; simili igitur loco, auctores illos effingens, suum quoque opus ornavit. Ne-

que inde Polyphemum abesse voluit, ab Homero et Virgilio locis insignibus notatum. Similiter in magicis rebus enarrandis Horatium, Virgilium, et Tibullum, in variis ætatibus hos duos postremos, et Hesiodum respexit. Ad Virgilitate auctoritatem etiam Orphei ex Eurydice luctum, Junonis soliloquia, et descensum tam ad Deos marinos, quam ad inferos, inferorum ipsorum delineationem, Deorum transformationes, quibus fallendi causa anilem formam sumserant, fulminum Jovis compositionem, canis venatici in lepore persequendo velocitatem, multas similitudines sententiasque composuit. In diluvio Deucalioneo lineas quasdam ex Horatio duxit, eundemque effinxit, quum vim cantus Orphici apud inferos referret. Sunt et alia loca, in quibus a Lucretio atque Tibullo pependit. In carmine pastoritio Polyphemi xiii. 789 sqq. Theocritum ante oculos habuit. Nonnulla sumsit ab Euripide: neque tamen putandum est, presso eum pede auctores illos secutum esse, sed ita eos respexit, ut solent præclara ingeniorum inventa in suum usum convertere. In Tisiphones habitu describendo iv. 480, concertavit cum Virgilio, eumque adeo superavit: et quæ ille de lumine per terram fissam in tartara penetrante obiter tantum, comparationis causa, dixerat, ea Noster v. 356 sqq. multo melius cum Homero, qui etiam Virgilio præiverat, adhibuit. Superatur quidem xii. 12 sqq. in fabula de dracone in lapidem mutato ab Homero; sed viii. 738. in Erisichthone notando superior Callimacho, certe non deterior, reperitur. Laudem igitur et in aliis *imitandis* meretur: neque vero *inventionis* gloria eum fraudare decet. Etenim quæ ad aliorum imitationem composuit, ea minimam amplissimi operis hujus partem efficiunt, quum innumera loca variis virtutibus eximia, innumera figmenta, plurimæ amplificationes,

notationes, descriptiones, dispositiones, similitudines, aliaque ornamenta sint, quod sciamus, ipsius Ovidii. Famæ prosopopœiam communem quidem cum Virgilio habet; sed in ea fingenda suum ingenium secutus est, quod et in *Famis*, *Invidiæ* et *Somni* personis effingendis in magnam suam laudem fecit. *Lycaonis* impietatem et pœnam non ipse refert, sed *Jovem* narrantem inducit. Hic igitur haud dubie ipse rem ita disposuit, ut cœli regiam, conventum *Deorum*, *Jovis* præsidium nobis ante oculos poneret, eidemque *Deo* orationem tribueret disertissimam, cui fabula de *Lycaone* intexta. Adde, quæ in *Deucalioneo* diluvio de *Noto* evolante, de *Neptuno* amnes convocante, de *Tritone* signum fluctibus dante, de *Deucalionis* querelis, ab eo inventa sunt. Spreverat *Niobe* *Latonam* præ se, nec pati voluerat sacra ei fieri. Quomodo hoc tractavit poeta? Nempe vatem primum inducit *Latonæ* sacra indicentem, tum *Nioben* in publicum cum fastu prodeuntem, atque oratione audacissima se *Deæ* præferentem. Et quid de *Ceycis* atque *Halcyones* rebus dicam? In iis tempestatis, artis nauticæ, *Somni* *Morpheique* descriptiones, tum adfectuum notationes testantur fœcundum fuisse *Ovidii* in inveniendo ingenium. Mitto plura addere; nam plurimæ fabulæ huc advocari possent. Monui quidem supra, nescire nos, quid, et quantum ei in fabulis excolendis *Græci* poetæ ministraverint; sed ingenium præclarum, quale in omnibus *Ovidii* carminibus elucet, impetrare a se non potest, ut, missis suis bonis, tanquam fidus interpres, alios semper subsequatur.

Non summo virium nisu opus suum excudit, sed e felici illa ingenii vena peperit, quæ tacta statim profundit quidquid ad rem pertinet, sive soluta oratione utaris, sive metris constricta. Datur enim hoc ingeniis quibusdam a

natura, ut, ubi scribendo incaluerunt, illico omnes rei tractandæ partes, earum nexum verborumque involucra maxime idonea clarissime perspiciant. Hinc illa *facilitas*, quæ mirifice scripta commendat, quibus oblectatio potissimum quæritur: eandem et per totum Ovidianum opus effusam videmus; in nullum enim incidimus locum, qui vultum, ut ita dicam, nitentis habeat; sed omnia apparet, sententias, verba, imagines et reliqua ornamenta, tanquam apparitores paratissimos, scribenti præsto fuisse. Verum tale ingenii flumen lutulentum interdum decurrit, sortesque nonnullas secum vehit, quas cura secunda tollere debet. Nostro autem per fata non licuit retractare, quæ primus ingenii impetus fuderat; forte et in quibusdam corrigendi voluntas defuisset: itaque hic illic occurrunt, quæ quis sublata aut emendata velit. Insita ei porro erat virtus ingenii ea, quæ externas potissimum rerum formas considerat, acriterque sentit, in iis hæret, quæ grata sunt animo aut ingrata, phantasiæ ope nititur, ejusque e penu colores petit, quibus rem propositam illuminet. Ejus virtutis, quam Nostri *den Witz* vocant, exemplis abundat hoc carmen; ab eaque ejus auctor eminenter *ingeniosus* poeta vocatur. Modo non *argutiarum* studium, *acuminum* venatio et *petulantia* quædam animi eum passim avertissent ab eo, quod rectum est et verum. Illas autem ingenii dotes doctrinæ liberalis pabulo aluerat, lectione auctorum præstantissimorum, poetarum in primis, declamationibus in scholis rhetorum, atque observatione morum et studiorum humanorum. Itaque scientia vigebat elocutionis poeticæ, antiquitatis, animi humani, earumque rerum, quibus ille persuadetur, delectatur, movetur. Sic ergo et a natura et suoapte studio formatus accessit ad opus *Metamorphoseon* condendum.

De *facilitate* non est, quod plura dicam, ut quæ non in singulis locis, sed in tenore totius carminis cernatur. Maculas potius nonnullas commemorabo, quas impetus ille ingenii, cui facilitas debetur, fudit, nec postea abstersit poetæ cura. In iis *tautologiæ* et loquacitatis ineptæ vitium primum obtinét locum, atque in singulis prope libris offendit. In libro i. 89-93, ad tædium usque nobis, inculcat, aurea ætate nondum leges fuisse, nec judicia. Temere, 205-7, verba cumulavit de silentio Jovis auctoritate facto. Cui non molesta sunt illa, ver. 291 sqq.?

Jamque mare et tellus nullum discrimen habebant :

Omnia pontus erant ; deerant quoque litora ponto :

quibus mox, ver. 314, de Phocide subjicitur,

Terra ferax, dum terra fuit ; sed tempore in illo

Pars maris et latus subitarum campus aquarum.

et rursus paulo post,

Nam cætera texerat æquor.

In saxorum Deucalionis et Pyrrhæ manibus jactorum inauditione describenda, vers. 400-406, diu in eundem orbem circumagitur.—ii. 161 sqq. ter dicit, levem fuisse Solis currum, et, quasi hoc nondum satis fuisset, 165 idem bis repetit.—iii. 87-89, quater causam exprimit, quare leve fuerit serpentis vulnus,

Quia se retrahebat ab ictu ;

Læsaque colla dabat retro, plagamque sedere

Cedendo arcebat, nec longius ire sinebat.

Ver. 418 sqq. in Narcissi fabula intolerabili loquacitate ad eandem sæpius notionem revolvitur, et quæ ipse sic dixerat, eadem paulo post Narcissum repentem fingit.—vi. 192 sqq. Niobe quinque formulis urget hoc, se liberorum numero Latonæ præstare.—vii. 179 sqq. Lunæ cor-

nua tota coeunt, efficiunt orbem, ipsa plenissima fulget, et solida imagine spectat terram.—xii. 46 sqq. *Fama tota fremit, voces refert, iterat quod audit, Nulla quies intus, nullaque silentia parte.* Miror itaque Criticos, qui his et talibus non offensi essent, versus resecare voluisse, in quibus multo minus redundantiae, ut viii. 87; ubi post verba *prædaque potita nefanda* sequitur versus Heinsio improbatu8 :

Fert secum spoliu8 sceleris, progressaque porta, etc.

Talia bene multa commemorari possent. Sæpe enim *otiose* nonnulla subjicit, et interdum satis *languide*.—iii. 715, bene dixit, *ruit omnis in unum Turba furens*, modo ne addidisset, *cunctæ coeunt cunctæque sequuntur*.—ii. 168, Solis equi *ruunt tritumque relinquunt Spatium*. Hoc satis fuisset; sed inepte pergit, *nec, quo prius, ordine currunt*. Ubi, iv. 300, fontem clarum satis descriperat, non erat, cur adderet, *perspicuus liquor est*. Quid? xi. 519, post horrenda tempestatis phænomena monet, *vela maduisse*. Non igitur erat, cur Heinsius, vii. 527, verba *quæ victa jacebat*, ut otiosa et languida post superiora, deleta mallet. Intempestive etiam inserit, quæ brevitati et perspicuitati obsunt.—iv. 616-19, Perseus super Libycas pendet arenas, et, 626, consistit in regno Atlantis. Versus igitur 620-25, in quibus huc et illuc, ad Arctos et ad Cancrum volat, alieno loco interjecti. Sunt contra loca, in quibus *nimio brevitat8 studio* factus est obscurior. Eo vitio, i. 170 sqq. laborat sedis cœlestis descriptio, nec quisquam, iv. 787 sqq. illa

Eripuisse caput collo, pennisque fugacem
Pegason et fratrem, matris de sanguine natos,

sine aliorum auctorum adjumento intelliget. Etiam alibi festinat nimis, omittitque non omittenda, unde obscuritas oritur.—ix. 165, non apparet, quo modo Hercules, factis in Eubœæ promontorio sacris, *Æten* vocibus suis impleverit. Interdum non satis perpendit, quæ scriberet.—i. 270, quum terra diluvio vastanda esset, Iris aquas a terra haurit, quas in terram demittat.—iii. 41 sqq. serpens immensis saltibus petit eos, qui proxime stabant. Idem versu 43, *media plus parte erectus in auras Despicit omne nemus*; sed versu 94, totus pendet in arbore.—v. 228, Perseus Phinea saxeum semper domi spectari vult a conjugē, quæ vero mox relictura erat domum paternam.—xii. 620, Somnus in lecto decumbens *pectora percutit nutanti mento*. Mitto dictiones improbandas, ut, v. 426, *inconsolabile vulnus*, repetitionem ejusdem vocabuli inter paucorum versuum ambitum, et multa alia. Talia excidunt iis, qui sua non sedulo conquirunt, sed e felici ingenii sui vena, quasi stantes pede in uno, fundunt.

Ingenii pars ea, quam paulo ante descripsi, statim in principio carminis emicat. Ibi non veram rudis molis naturam nobis explicat, sed externam rerum et confusarum et postea dispositarum formam ostendit, acriterque sentiendam proponit.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
 Nec nova crescendo reparabat cornua Phæbe,
 Nec circumfuso pendebat in aere tellus
 Ponderibus librata suis: nec brachia longo
 Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Sed postea Deus jussit *freta diffundi, rabidisque tumescere ventis, extendi campos, subsidere valles, lapidosos surgere montes*. Multa ex hoc genere insignia, xv. in

placitis Pythagoræ; sed præ cæteris eminet, 200-13, locus de quatuor anni partibus, quibus suavissime hominis attributa data sunt. Aperit annum *tener et lactens puer, roboris expers*, sequitur *robore valens et æstuans juvenis*, quem, *posito fervore juventæ, Maturus mitisque* Autumnus excipit. Ad extremum

Senilis, Hiems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos.

His adde Noti, Boreæ, Invidiæ, Famis, Famæ, Somni descriptiones, in quibus ex illarum rerum attributis personas earumque domicilia mirifice (nævīs paucis demtis) composuit. Jam si hæc ita inter se comparaveris, ut primum *rabidis tumescere ventis* ponas, tum, *brachia longo Margine terrarum porre.xerat Amphitrite*, post hæc locum de annuis vicissitudinibus, aut partem ejus, denique ex iis, quas modo laudavi, prosopopœiis unam; gradationem habebis imaginum egregiam, quarum proxima quæque præcedentem plenitudine superat. Personis mythologicis egregie animavit loca varia.—i. 264 sqq. Notus evolat, Iris alimenta nubibus adfert, Neptunus convocat Amnes, Triton recessus canit. In omnibus fere et descriptionibus et narrationibus ingenium poetæ tam in tenuissimis, quam in gravissimis rebus admirari licet. Ut a brevibus tenuium rerum descriptionibus incipiam, cui non placeat, i. 335, *buccina Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo?* non, iii. 586, piscator, qui *lino solebat et hamo Decipere, et calamo salientes ducere pisces?* non, vii. 624, formicæ frugilegæ *agmine longo grande onus exiguo ore gerentes, Rugosoque suum servantes cortice callem?* aut, viii. 189, Dædalus alas sibi filioque e pennis, lino et cera componens? His et talibus innumeris palmam facile eripit

suppeditilis in Philemonis casa, epulique ab eo parati descriptio. Et qui tenuia sic ornavit, ejus ingenium etiam in majoribus, atrocibus adeo eminet.

Tanta vertigine pontus

Fervet, et inducta piceis e nubibus umbra
 Omne latet cœlum duplicataque noctis imago est !
 Unda, velut victrix, sinuatas despicit undas,
 Nec levius, quam si quis Athon Pindumque revulsos
 Sede sua totos in apertum everterit æquor,
 Præcipitata ruit.

Sed totus locus, xi. 478-560, cognoscendus est; habet enim egregiam tempestatis, studii nautarum in nave servanda, et naufragii descriptionem. Idem ingenium, eadem phantasia in narrationibus elucet. Non ille summatim narrat, sed omnia ordine explicat, ut tu adstare rei que interesse tibi videaris; et si quid memorabile incidit, id suis pingit coloribus. Daphnes fugientis,

Nudabant corpora venti,
 Obviaque adversas vibrabant flamina vestes,
 Et levis impexos retro dabat aura capillos.

Et mox de cane lepori instante,

Alter inhæsuro similis, jam jamque tenere
 Sperat, et extento stringit vestigia rostro :
 Alter in ambiguo est, an sit deprensus, et ipsis
 Morsibus eripitur, tangentiaque ora relinquit.

Quod idem variatum, vii. 781 sqq. Adde ii. 861, lusum Europæ et falsi tauri; iii. 66 sqq. serpentem Cadmi jaculo vulneratum; 125 sqq. Actæonis per canes dilanationem; iv. 358, Salmacidis et Hermaphroditi luctam. Ib. 480.

Tisiphone madefactam sanguine sumit
 Importuna facem, fluidoque cruore rubentem
 Induitur pallam, tortoque incingitur angue,
 Egrediturque domo. Luctus comitatur euntem
 Et Pavor, et Terror, trepidoque Insania vultu.

Incessus reginæ superbæ ejusdemque iratæ mirifice, vi.
 165, notatus:

Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba,
 Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro,
 Et, quantum ira sinit, formosa; movensque decoro
 Cum capite immissos humerum per utrumque capillos
 Constitit: utque oculos circumtulit alta superbos, etc.

Pugnam Persei cum bellua marina, iv. 710, venationem
 feræ Thebanæ, vii. 765, et apri Calydonii, viii. 329, quis
 narrare ingeniosius possit? Byblis fratri literas scriptura,
 ix. 521:

Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.
 Incipit et dubitat; scribit damnatque tabellas;
 Et notat et delet; mutat, culpatque, probatque,
 Inque vicem sumtas ponit, positasque resumit.

Pygmalion, quum statuam suam absolvisset, x. 254:

Sæpe manus operi tentantes admovet, an sit
 Corpus, an illud ebur: nec ebur tamen esse fatetur.
 Oscula dat, reddique putat: loquiturque tenetque,
 Et credit, tactis digitos insidere membris,
 Et metuit, pressos veniat ne livor in artus.

et quæ plura sequuntur. Myrrha, x. 455,

Nutricisque manum læva tenet; altera motu
 Cœcum iter explorat: thalami jam limina tangit;
 Jamque fores aperit; jam ducitur intus: at illi
 Poplite succiduo genua intremuere, etc.

Innumera loca transcribenda essent, si omnia adferre vellem, quæ hac se virtute commendant. Et innumeris modis ingenium ostentavit, aliter, iii. 380, in Narcissi et Echus colloquio; aliter, vii. 813, in Cephali cantilena; aliter in conversione quadam, i. 700. Mitto sententias ingeniosas, qualis, ii. 13, *facies non omnibus una, Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum*. Ad ea prævertamur, quæ vitiose in hoc genere ab eo scripta sunt.

Nempe *luxuriat* et lascivit ejus *ingenium* non raro, quum nec modum in rebus exornandis teneat, nec quid deceat curet; quam luxuriam jam Seneca, Controv. xxviii. in eo vituperat: non minus enim magnam virtutem esse, scire desinere, quam scire dicere. Ejus autem vitii exemplum memorat atque exagitat alter Seneca, N. Q. iii. 27; ubi monet, Ovidium in diluvio Deucalioneo pro magnitudine rei dixisse, *Omnia pontus erant*, sed mox eum ad pueriles ineptias delatum, *Nat lupus inter oves*, etc.: non enim esse rem satis sobriam, lascivire devorato orbe terrarum; magnifice dictum esse hoc: *Exspatiata ruunt per apertos*, etc. modo non curasset, quid oves et lupi fecerint: natari autem in diluvio non potuisse, sed eodem impetu pecus omne, quo raptum fuerit, mersum esse. Simili vitio, præter alias, laborat Narcissi fabula. Ut Narcisso sua facies, sic Ovidio ejus insania placuisse videtur. Nec in incendio mundi res sobria erat ii. 331 *jocari, incendia lumen Præbebant, aliquisque malo fuit usus in illo*; aut minutias curare ver. 211 sqq. *fissaque (tellus) agit rimas, et succis aret adentis. Pabula canescunt*; ver. 252 sqq. *quæ Mæonias celebrârunt carmine ripas, Fluminææ volucres medio caluere Caystro*. Quis enim in tam gravi calamitate cygnorum calorem curet? Sed et ver. 265 sqq. *delphinas nobis ostendit latitantes*. Nec in pestis descriptione,

vii. 538 sqq. modum servavit. Rectius certe abessent illa,

Non aper irasci meminit ; nec fidere cursu
Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi.

Inepte, ii. 206 sqq. in æthere *decliva viasque præcipientes* fingit, nec ibi 133, *manifesta rotæ vestigia* esse poterant, sed luxuriantis ingenii illa sunt. Tristem nobis et commiseratione dignissimam Actæonis narrat sortem, sed et hic ludit, iii. 199, *fugit Autonoeius heros, Et se tam celerem cursu miratur in ipso*. Frigida sunt illa acumina.— iii. 425, de Narcisso se ipsum amante, *et qui probat ille probatur, Dumque petit, petitur, pariterque incendit et ardet*. Eumdem, ubi errorem suum agnovit, sic loquentem ver. 464, inducit: *Flammas moveoque feroque. Quid faciam? roger, anne rogem? quid deinde rogabo? Quod cupio mecum est, inopem me copia fecit*: ita non solet desperatio lascivire. Idem ver. 505: *Tum quoque se, postquam est inferna sede receptus, In Stygia spectabat aqua*: in limosa illa palude non poterat quisquam se spectare. Thisbe in summa desperatione, iv. 152, justo argutius dicit, *quique a me morte revelli Heu sola poteras, poteris nec morte revelli*. Parum placet, vii. 339, duplex illud oxymoron, *ut quæque pia est, hortatibus impia prima est: Et, ne sit scelerata, facit scelus*. Ipsi autem tanto magis placuerunt; repetita enim ab eo sunt quater: Cf. iii. 5; viii. 477; ix. 408. Nec placent hi lusus, vi. 560, lingua resecta *moriens dominæ vestigia quærit*, et versu 708, volando Boreæ *arserunt agitati fortius ignes*. Qui proprie dicuntur ignes, volando quidem ardescunt fortius, non autem illi, quos nunc poeta intelligit.—xii. 614, præclarum præcesserat epiphonema, cui autem lusus ineptissimus

subjicitur, *armârat Deus idem, idemque cremârat*: Vulcanus arma ejus fabricaverat, et ignis corpus ejus absumserat. Halcyone mariti naufragium metuens, et graviter dolens, xi. 700: *Nunc absens pereo, jactor nunc fluctibus absens, Et sine me me pontus habet*; quæ argutiæ multo deteriores etiam sunt illis, quas Thisbæ tribuit. Etiam in lusu verborum lascivia ejus passim cernitur.—xi. 484, loco, quo studia nautarum in præsentissimo periculo egregie notantur, *egerit hic fluctus, æquorque refundit in æquor*.—xii. 493, Cæneus ensem corpori hostili immisum manu versans *vulnus in vulnere fecit*. Atque repetitione verborum inepta sæpissime ludit, eaque tanto magis offendit, quando in eadem fabula plus semel occurrit.—iv. 170-195: *Cepit amor Solem: Solis referemus amores. Primus Hic vidisse Deus: videt hic Deus omnia primus. Tectos qui læsit amores, Lædit amore pari. Tuis omnes qui terras ignibus uris, Ureris igne novo; quique omnia cernere debes, Leucotheen spectas*. Puerilem adfectionem ista habent; in quibus tamen placuisse sibi poeta videtur: neque adeo eum puto resecturum fuisse talia, si vel maxime retractare opus potuisset. Rogatus enim aliquando, ut Seneca, Declam. ii. refert, ab amicis, ut tolleret tres versus, petivit invicem, ut tres exciperet, in quos illis nihil liceret. Conscripserant illi, quos tolli vellent; secreto hic, quos tutos esse vellet. In utrisque codicillis iidem versus erant, in quibus *Semibovemque virum, semivirumque bovem, et, Egelidum Borean, Egelidumque Notum*. Nonnulla non amplificavit, sed prodigialiter auxit. In quo genere sunt serpens Cadmi et Erisichthonis fames. Prodigium enim est, *quodque urbibus esse, Quodque satis populo poterat, non sufficit uni*.

In orationibus spectatur hoc, ut non solum consilio di-

centis, sed et personæ accommodatæ sint: quæ utraque laus orationibus fere omnibus, quas hoc carmen plurimas habet, debetur. Nobilissimæ sunt, xiii. 1-378, quibus Ajax et Ulysses de Achillis armis certant, quarum altera indignationem, altera calliditatem spirat, illa vehemens est, hæc composita et moderata, utraque autem argumentis fortissimis pugnat. Dissuasoria Phœbi ad Phaethontem, ii. 50-102, non modo argumentorum pondere et delectu valet, sed et animum paternum sollicitumque prodit. Plena acerbitatis est oratio, qua Scylla Minoa fugientem, viii. 108-142, insectatur. Convenienter majestati suæ Jupiter, i. 182-243, Deos convocatos alloquitur, sceleraque hominum verbis gravissimis notat. Fidenter et ad commovendum apte Tellus suam mundique causam agit, ii. 279-300. Meram zelotypiam et iram ex sui contentu evomit Juno, ii. 511-30, apud Deos marinos. Præclare Pentheus, iii. 531-63, a novi Dei mollitie, a sacrorum ejus strepitu et a Thebanorum origine deterrendi argumenta sumit. Niobe, regina celeberrima, superbissime genus suum, opes, numerosissimamque prolem jactat, atque contentim præ se Latonam spernit, vi. 170-202. Convenit furori juvenis incitati et perditæ amantis oratio, qua Phœbus, i. 504-24, Daphnen fugientem revocat, suaque connubia commendat; ab eaque longe discrepant, quibus, ix. 16-26, Achelous Dejaniræ nuptias ambit. In omnibus his tam argumenta, quam forma orationum personis dicentium egregie attemperata. Idem valet de *soliloquiis*; quod apparebit, si quis v. c. quæ, iii. 262-72, Juno, et, vi. 687-701, Boreas secum loquuntur, et separatim et inter se collata consideraverit. *Narrationes* nonnullas auctor aliis tribuit, eaque moratæ satis sunt; ideoque forma dissident tam a se in-

vicem, quam ab Ovidianis. Alius color iis est, quæ, iii. 582-691, Accetes; alius, quæ, v. 577-641, Arethusa de se; alius, quæ Æacus, vii. 518-660, de peste et Myrmidonum suorum origine; alius denique, quæ Cephalus, vii. 690-862, de Procride sua, referunt. In prima nautam de rebus suis garrientem et causa sua fidentem audire tibi videris; ideoque et ignoscimus facile poetæ, quod Penthea furibundum longis illis ambagibus aures præbentem finxit. Altera simplicitate est conspicua. In ultima adfectus tenerrimus narrantem ab initio usque ad finem deducit, studiumque venandi interlucet. Narrationibus interpositæ sunt locorum, hominum rerumque *descriptions*, quæ multitudine, varietate et præstantia sua non exiguam operis partem efficiunt. Quocumque oculos circumtuleris, descriptiones tibi occurrent sive imagines, quæ te advertent et tenebunt. Phantasiam poetæ in iis enitere jam supra monui, sed et iudicium ejus in deligendis partibus, ex quibus imagines compositæ, atque vim poeticam in iis exornandis admirari licet. In regia Solis, ii. 25-30, non aurum rursus nobis et pyropum ostendit, sed, ut personas, Diem, Mensem, Annum, Secula, Horas, Ver, Æstatem, Autunnum, Hiemem. Alas Dædali, viii. 189, ostendit nobis suavi similitudine interposita: *Sic rustica quondam Fistula disparibus paulatim surgit avenis*. De apro Calydonio, viii. 282-97, tum 338-40, nil memorat, nisi quod ad consilium pertinet; hoc est, quod declarat, quam horrenda fuerit bellua, quantum damnum attulerit agris, et quot juvenum concursu opus fuerit ad eam debellandam. Sed, ut jam dixi, totum carmen ejusmodi luminibus distinctum est, neque adeo est, quod plura jam recenseam.

Etiam in *adfectibus* mentis humanæ, tam motibus tene-

ris, quam vehementioribus perturbationibus *notandis* egregius artifex Noster reperitur. Paternus adfectus paucis, sed bene, viii. 210, descriptus,

Inter opus monitusque genæ maduere seniles

Et patriæ tremuere manus,

copiosius, ii. 91-99, in Phœbo, *do pignora certa*, etc.; et, vi. 496-510, in Pandione sene filiam dimittente. Maternum animum, ix. 375-81, egregie exserit Dryope in lotum transiens, sollicitudine de filii educatione atque salute. Mutuum juvenis puellæque, tædæ jure jungi cupientium, amorem bene describit Pyrami et Thisbes fabula. Flagrantissimum uxoris in maritum amorem Halcyone verissime refert, xi; ubi maritum discessurum esse comperit, 416-43, et in discessu ipso, 464 sqq. idemque illo absente transit primum in desiderium, 573-81: mox, ubi de obitu ejus somnio monita est, in gravissimum luctum 678-709, et ubi corpus ejus natans prospicit 716 sqq. Mariti in conjugem animum non male exprimit Deucalion, i. 351-62, et multo melius Cephalus, vii. 690 fin. Tetræ et furentis libidinis naturam nobis ostendit Tereus, vi. 455 sqq. summi furoris Procne, ver. 610 sqq. Sed in primis memorari merentur loca, in quibus perturbatio mentis cum alia perturbatione aut cum sana ratione diu pugnat, ut in animo Medææ, vii. 10 sqq. Scyllæ, viii. 44-80, Althææ, 462-511, Byblidis, ix. 473 sqq. Myrrhæ, x. 320 sqq. Hæc satis probant, egregiam Ovidio fuisse animi humani scientiam. Parum contra, ii. 381-400, Phœbus placet, qui in luctu et ira stultos homines imitatur. Perversis acuminibus corruptas esse nonnullas ejus generis notationes, ut, iii. 463-692, jam supra est admonitum.

Similitudines, quibus res varias vel illustrare voluit vel

exornare, multæ sunt probandæ, nec ingenio magno indignæ.—iii. 111: *Sic ubi tolluntur festis aulææ theatris*, etc. Ver. 568: *Sic ego torrentem*, etc. quibus illustratur vehementia iræ inhibitæ.—iv. 354, Hermaphroditus nudus in aqua, translucet, *ut eburnea si quis Signa tegat claro, vel candida lilia, vitro*. Dædalus antevolans nato timet, *velut ales, ab alto Quæ teneram prolem produxit in aera nido*. Suavissima est, x. 190, quam tamen Virgilio debet. Ibi Hyacinthus jacet, *Ut si quis violas, rigoove papper in horto, Liliaque infringat*, etc. Laudandus et locus, xi. 508-36, quo navis fluctibus jactata cum urbe oppugnata comparatur. Sed sæpe in hoc genere ornamentorum inveniendō et adhibendō fuit infelix. Ineptum est illud, iii. 44: *Cadmi serpens tanto est corpore, quanto, Si totum spectes, geminas qui separat Arctos*. Male, ii. 825, mutatio mulieris in saxum cum *cancro, corporis malo late serpente*, comparatur; nec bene, vi. 48, Arachnæ rubor, vicissim apparens et evanescens, cum aere sub Auroræ ortum purpureo.—ix. 170, Herculis cruor *stridit, ceu lamina candens Tincta lacu*. Temere, iv. 362-67, similitudines cumulavit et sine delectu posuit. Idem judicandum est de *sententiis* incertis, quarum aliæ placent, aliæ improbandæ sunt. Vere, ii. 447, monet, *Heu, quam difficile est, crimen non prodere vultu!* Vere etiam, iv. 64: *Quo magis tegitur, tectus magis æstuat ignis*, nempe amoris. Sæpe repeti videmus, ut verissimum, ex vii. 21: *Video meliora proboque; Deteriora sequor*. Græcis debet, quæ, iii. 135, ad Cadmum transtulit, scilicet, *ultima semper Expectanda dies homini, dicique beatus Ante obitum nemo supremaque funera debet*.

Anachronismi se sæpe reum fecit: i. 218, *Arcades* commemorantur, qui serius ab *Arcade* nomen invenere; i. 373,

de ornamentis templorum Deucalionis ætate loquitur, ut de suo tempore. Serius etiam acciderunt, quæ iii. 559, de *Acrisio* memorat. Jam Pandionis tempore Corinthum, vi. 416, *nobilem ære* vocat, atque ver. 423, Athenis ante Thesea *muros* tribuit; eodemque tempore et convivas *discumbentes*, viii. 565, xii. 155, fingit. Interdum tamen diligentius scribit, ut, ii. 219, *nondum Cæagrius Hæmus*; vi. 415, *Nondum torvæ Calydon invisæ Dianæ*; ver. 418, *Neque adhuc Pittheia Træzen*. Mythologiam et rerum naturam nonnunquam confundit. Triones, Phaethonte Solis currum agente, tentant, ii. 172, *vetito æquore* tingui, et, ver. 530, demum Juno hoc impetrâsse legitur, ut vetarentur tingui. Ver. 253, *cycni calescunt in Caystro*, et paulo serius, ver. 377, *Cygnus rex fit nova avis hujus nominis*. Peccat Ovidius interdum et in physicis, ut quum, iii. 675, *delphinis squamas* tribuit. *Repetitionem* ejusdem verbi aut hemistichii aut integri versus vario modo *adfectat*, quamquam in eo interdum vis aliqua aut virtus inest.—i. 33: *se-cuit, sectamque*. Ver. 142: *prodierant; prodit bellum*. Ver. 158: *incaluisse ferunt, calidumque*. Ver. 206 sqq.: *compressit—pressus*. Ver. 642: *Naides ignorant, ignorat et Inachus ipse*. Ver. 643: *patrem sequitur, sequiturque sorores*.—ii. 399: *sævit: Sævit enim*.—v. 15: *deseruere suas Nymphæ vineta Tymoli, Deseruere suas Nymphæ Pactolides undas*.—vi. 419: *Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab Isthmo, Exteriusque sitæ bimari spectantur ab Isthmo*.—viii. 628: *Mille domos adiere, locum requiemque petentes: Mille domos clausere seræ*.—i. 325: *Et superesse videt de tot modo millibus unum, Et superesse videt de tot modo millibus unam*.—iv. 306, 9:

Salmaci, vel jaculum, vel pictas sume pharetras;

Et tua cum duris venatibus otia misce.

I PRÆFATIO DE OPERE METAMORPH.

Nec jaculum sumit, nec pictas illa pharetras ;
Nec sua cum duris venatibus otia miscet.

In quo postremo plurimum est suavitatis, quemadmodum in antecedente magna vis. Nova etiam vocabula quædam fecisse videtur, ut *dubitabile*, *jaculabile*, *crinale*, *omnifer*, *remollire*, etc.

Ex his igitur apparet, egregium hoc esse Metamorphoseon corpus, nævis quibusdam dispersis deturpatum, eosque partim ex ingenii abusu, partim ex facilitate, qua hæc nata, fluxisse.

METAMORPHOSEON SERIES

EX

G. CANTERI NOVIS LECTIONIBUS

NUNC PAULO AUCTIONIOR.

LIB. I. Principio *Chaos* in *elementa* quatuor a Deo distinguitur; quibus quum sui darentur *incolæ*, etiam *homo* ex *terra* et *aqua* creatus est. Secutæ sunt *ætates* hominum quatuor, in quarum postrema, eaque vitiosissima, quum *Gigantes*, ne terris securior esset æther, cœleste regnum peterent, ex eorum, a Jove interemptorum, *sanguine nova hominum propago* orta est. Qui quum et ipsi essent impii, Jupiter non modo *Lycaonem* in *lupum* mutat, sed omne genus hominum animaliumque terrestrium *diluvio* perdit, unde soli relinquuntur superstites *Deucalion* et *Pyrrha*, qui post redditam terram, jactis post terga *lapidibus*, *humanum* reparârunt *genus*. Reliqua *animalia* sponte sua ex *humore* et *calore* prodierunt: in quibus etiam *Pytho* serpens. Quem quum *Phœbus* interemisset, *Pythios ludos* in rei memoriam instituit, quibus victores æsculea corona donabantur; nondum enim erat *laurus*, in quam mox *Daphne*, Phœbi amorem fugiens, est conversa. Quod quum accidisset, tum ad patrem ejus Peneum reliquis fluviiis, sive gratulandi, sive consolandi gratia, congregatis, solus desideratus est *Inachus*, sollicitus de *Ione* filia, quam Jupiter post stuprum in *juvencam* mutaverat. Ea quum a Junone *Argo* custodienda esset tradita, hunc *Mercurius*, narrata prius Nymphæ *Syringis* in *arundinem* transformatione, occidit, ejusque deinde *oculi* a Junone in *pavonem* collati

sunt. Tum *Io*, *pristina* mulieris *forma* recepta, *Epaphum* parit.

Lib. II. Qui quum aliquando *Phaethonti* Apollinem, ut falsum patrem, objecisset, ille currus solaris imperium ad diem unum a patre, in pignus veræ stirpis, petiit. Quo impetrato, terra ab eo tota accenditur, et inter cætera *nigrescunt Æthiopes*. Phaethontem deinde fulmine percussum dum lugent *sorores*, et una cognatus *Cycnus*, illæ in *arbores*, hic in *cycnum* mutatur. Hinc Jupiter, lustrato, ut eum pristino vigori restitueret, terrarum orbe, in *Callistonem* incidit, eamque, sumta Dianæ forma, stupravit. Ob id irata Juno *Callistonem* in *ursam* convertit, quam postea *Arcas* filius transfixurus erat, nisi utrumque Jupiter inter *sidera* retulisset. Qua de re quum apud Oceanum conquesta esset Juno, in cælum relata est humeris *pavonum*, qui nuper *variegati* fuerant; sicut et *corvus* nuper ex *albo niger* erat redditus, quum *Cornicis* monitis, quæ illi tum suam in cornicem tum *Nyctimenes* in *noctuam* mutationem explicârat, non obtemperâset, verum *Coronidis* adulterium ad Apollinem detulisset. Ejus deinde filio *Æsculapio*, e *Coronide* exsecto, et in *Chironis* antrum delato, *Ocyrrhoe*, *Chironis* filia fatidica, dum futura prædicit, in *equam* vertitur. Tum *Chiron*, pater, *Apollinis* auxilium frustra invocavit, quod ille jam in *Elide* pastor factus aliud ageret, neglectis etiam bubus. Id quod *Mercurio* furandi eas occasionem dedit, qui deinde *Battum* ob furtum proditum in *indicem* lapidem mutavit. Inde avolans *Hersen*, *Cecropis* filiam, spectat, eaque potitur. Cui dum invidet *Aglauros* soror, invidiæ veneno infecta in *saxum* obrigescit. Postea *Jupiter*, quum *Mercurium* in cælum reversum boves *Agenoris* ad litus avertere jussisset, sumta *tauri* specie, *Europam* per mare in *Cretam* transvexit.

Lib. III. Filiam amissam Agenor *Cadmum* jubet investigare. Quod dum ille facit, in Bœotia e *dentibus draconis* occisi *satis* enascuntur *homines*, quibuscum ille deinde Thebas condidit. Huic non omnino felici luctuosa primum fuit *Actæonis* nepotis in *cervum* mutati dilaniatio; quæ vero Junoni, quum *Semelen* pellicem, Cadmi filiam, ut omnem Agenoris domum, odisset, grata fuit: ideoque ad ipsam facie *Beroes* accedens, dolo effecit, ut illa Jovis fulminibus combureretur. Dum *Bacchus*, e Semeles flagrantis utero servatus, in terris nutritur, Jupiter cum Junone disputans, utra sit Venus suavior, *Tiresiam* adhibet arbitrum, quandoquidem sexum utrumque fuerat expertus. Is, lata contra Junonem sententia, ab illa quidem visu privatus, a Jove autem vaticinandi scientiam consecutus est. Primum ejus oraculum in *Narcisso* comprobatum fuit: qui quum puellas omnes, inter quas et *Echo* præ amoris impatientia in *vocem* fuerat conversa, contempsisset, sui ipsius tandem amore contabescens, *flos* est factus sui nominis. *Pentheus* tamen vatem hunc irridebat; quanquam et ipsi fata futura prædicebat, quibus mox eventus constitit: nam quum *Orgia* celebrarentur, ille *Bacchum*, sub persona famuli sacerorum latentem, postquam *Tyrrhenos nautas* in *delphinos* esse transformatos ab eodem cognoverat, in vincula coniecit; ob quod facinus a Bacchis est discerptus; id quod magnam apud omnes fidem sacris conciliavit.

Lib. IV. *Alcithoe* tamen et sorores, constanter ea contemnentem, ipsis diebus festis lanificio operam dabant, opusque levabant fabellis enarrandis, de *Pyramo* et *Thisbe*, quorum sanguine *moris niger* color additus, de *Sole* in *Eurynomen* verso, ut cum *Leucothoe* concumberet, quam ob rem *Clytie* zelotypa in *heliotropium* mutata, denique de *Hermaphrodito* et *Salmacide* in *unum corpus* concretis.

Quo facto sorores ipsæ in *vespertiliones*, earumque telæ in *vitem* transformatæ sunt. Hac de re quum *Ino* lætaretur, *Juno*, et invidens et indignans, *Furiam* ei immisit, cujus veneno in insaniam versa cum *Melicerta* filio in mare prosiluit; sed, *Venere* intercedente, ambo facti sunt *Dii marini*. Quos dum *comites Sidoniæ* pro mortuis deplorant, in *saxa* et *volucres* mutantur. *Cadmus* quoque, hac calamitate commotus, relictis *Thebis*, in *Illyriam* cum uxore profectus est, ubi uterque *anguineam formam* accepit. Solus ergo restabat de *Bacchi* contentoribus *Acrisius*, avus *Persei*, qui *Gorgonis* caput amputavit, e cujus sanguine, guttatim in terram delapso, *angues* exorti sunt; et *Atlantem* in montem, *virgasque* post *Andromedam* liberatam in *coralia* convertit, *Andromedam* autem uxorem duxit.

Lib. V. Orto deinde in nuptiis tumultu, *Plineum*, qui sponsam sibi vindicabat, cum suis, et mox etiam *Prætum* et *Polydecten* saxeos reddit. Tum *Pallas*, quæ hactenus *Persei* comes fuerat, eo relicto, in *Heliconem* se confert, ut *Hippocrenen* inspiciat. Ibi narrant ei *Musæ* de *Pyreneo* et *Pieridibus* in *picas* conversis, postquam cantu instituto hinc de variis *Deorum transformationibus* in animalia, illinc de *raptu Proserpinæ*, de *Cereris erroribus*, de *Cyanes* in *fontem*, *pueri* cujusdam in *stellionem*, *Ascalaphi* in *bubonem*, *Sirenum*, *Proserpinam* quærentium, in *aves* ex parte, *Arthusæ* in *latices*, *Lynci* denique regis in *lynca* mutationibus, atque *Triptolemi* agricultura inter se certaverant.

Lib. VI. Quo exemplo mota *Pallas* de *Arachnes* exitio cogitavit. Itaque inito cum ea texendi certamine, postquam utriusque tela *varias transformationes* repræsentavit, ipsam in *araneam* mutavit. Neque tamen *Niobe* popularis hujus pœna admonita est, quo minus se *Latonæ* præferret; ob quam ferociam, interfectis ab *Apolline* et *Diana*

liberis ejus omnibus, in *saxum* obduruit. Quo quidem cognito, unus e vulgo *Lycios rusticos* in *ranas* a Latona versos, alter *Marsyam* ab Apolline excoriatum in memoriam revocavit. Nioben luget *Pelops*, cui humerus eburneus datus erat. Sed ad consolandos Thebanos urbium finitimarum legati convenerunt. Soli deerant Athenienses, quoniam a barbaris agminibus infestabantur, quos *Tereus* fudit, cui Pandion *Procnem* in matrimonium dedit. Is alio tempore Athenas reversus, quum *Philomelam*, uxoris sororem, secum abduxisset, ea stuprata, aliisque facinoribus perpetratis, in *upupam* est transformatus, quemadmodum *Philomela* in *lusciniam*, *Procne* in *hirundinem*. Quæ res Pandioni intellecta mortem attulit. Huic in regno successit *Erechtheus*, cujus filiam *Orithyiam* Boreas rapuit, atque ex rapta *Calain* procreavit et *Zethen*, qui in Argonautarum numero fuerunt, quum

Lib. VII. *Jason*, victis *Medeæ* auxilio tauris ignem vomentibus, seminatis serpentis *dentibus*, e quibus *homines armati* prodierunt, et dracone sopito, *vellus aureum* retulit. *Medea*, *Jasonem* in Græciam comitata, *Æsoni* medicamentorum ope juventutem reddidit, eandemque *Peliæ* pollicita, præmisso *arietis* in *agnum* reformati specimine, dolo eum occidit. Inde per varia loca *multis* insignia *transformationibus* delata, post occisos liberos *Ægeos* nupsit sub adventum *Thesei*, quem pæne veneno interfecisset. *Ægei* gaudia de filio recepto turbat *Minos*, bellum contra eum parans, collectis undique copiis, etiam e *Paro*, ubi *Arne* in *monedulam* fuerat conversa, *Æacumque* in partes suas trahere cupiens. At ille ab *Ægeo* stetit, et ad eum *Myrmidones* suos, post gravem pestem e *formicis* ortos, auxilio misit, duce *Cephalo* Atheniensi, qui *Phoco*, *Æaci* filio, narrat, quomodo ab *Aurora* et raptus et *alia forma* indu-

tus, *Procrin* uxorem in adulterium pellegerit, ab eaque ex fuga reversa *canem* et *jaculum* acceperit, quorum ille cum *vulpe* Thebana in *saxum* conversus sit, hoc autem a se imprudente missum uxorem interfecerit.

Lib. VIII. *Minoi* interim Megaram obsidenti *Scylla*, amore ejus capta, patriam cum crine *Nisi* patris purpureo prodit; sed spreta ab illo quum abeuntis navi inhæreret, in *cirin* avem, pater autem in *halicæton* mutantur. Reversus Minos in Cretam *Minotaurum*, opprobrium generis sui, labyrintho Dædali arte posito, includit, et Atticis pueris pascit, e quibus *Theseus* monstrum interficit, atque *Ariadnen*, cujus ope ex labyrintho se expediverat, secum e patria ductam in Dia insula relinquit, ubi eam Bacchus assumit, ejusque *coronam* inter *sidera* collocat. *Dædalus* vero quum ex insula illa aufugere non posset, alis inventis evolavit, sed *Icarus* post patrem volans submersus est. Ejus exsequias celebrantem vidit patrem, gaudiumque testata est *perdix*, e *Perdice* aut Talo, ingenioso multarum rerum inventore, quem Dædalus invidia motus ex arce Minervæ præcipitem miserat, transformata. *Theseus* interea, quum celeberrimus jam esset, ad *aprum Calydonium* tollendum vocatus est, quem *Atalanta* prima vulneravit. *Meleager* autem interfecit, cujus mortem acceleravit *Althæa* mater, combusto stipite fatali. *Theseus* ex ista venatione rediens ad *Acheloum* devertitur et *Echinades* insulas conspicit, in quas *Naiades* erant conversæ. Quod ita fieri potuisse, negante Pirithoo, Lelex primum *Baucidis* et *Philemonis* probat exemplo, qui in *arbores* fuerint commutati, sicut *domus* eorum in *templum*, ac *pagus* ipse in *stagnum*. *Achelous* deinde *Protei* et *Mestræ*, Erisichthona, patrem fame furentem, alentis *naturam transformem* addit.

Lib. IX. Tum *suas* formas refert, quas quondam muta-

verat, quum ipsum premeret Hercules, de *Dejanira* certans. Hanc victori in patriam redeunti *Nessus* rapere voluit; sed Herculis sagitta venenata confossus cecidit, et, ne inultus periret, raptæ vestem dedit sanguine suo tinctam. Ea dubitans aliquanto post de mariti amore, vestem ei misit eandem, qua indutus quum concremaretur, et *Lichas* famulus ab eo per aëra missus in *saxum* obriguisset, periit, et, *renovata* ejus *facie*, in cælum est traductus. Tum *Alcmena* mater ad *Iolen* nurum se contulit, eique *Galanthidem* in *mustelam*, et illa vicissim *Dryopen* sororem suam in *loton* conversam narravit. Interim supervenit ipsis *Iolaus*, reparata per *Heben* *juventute*: id quod non posse omnibus contingere, Jupiter *Æaci* exemplo docet. Hunc fugiens *Miletus* in *Asiam* discessit, et *Byblidem* procreavit atque *Caunum*; cujus illa desiderio tabefacta in *fontem* transiit. Quæ quidem res magis mira cunctis visa esset, nisi paulo ante *Iplis*, ipso nuptiarum die, *virilem sexum* accepisset.

Lib. X. His nuptiis qui interfuerat *Hymenæus* ad *Orpheum* inde se contulit, sed malo omine, quandoquidem mox obiit *Eurydice*, neque ad superos reduci potuit. Mœrore igitur percussus *Orpheus* montes solitarios petiit, quo, sono *lyræ* ejus impulsæ, accurrerunt arbores, et inter cæteras *pinus* ex *Aty* atque *cupressus* e *Cyparisso* mutata. Canebat autem ille de raptu *Ganymedis*, de *Hyacinthi*, ab *Apolline* amati et interfecti, in *hyacinthum* florem, de *Cerastarum* in *tauros*, de *Propætidarum* in *lapides*, de *Pygmalionis* *statua* in *mulierem vivam* (unde natus *Paphus*), de *Myrrhæ*, propter incestum cum patre concubitum, in *Myrrham* arborem, atque de *Adonidis*, cui *Venus Hippomenis* et *Atalantæ* in templo concumbentium in *leones* transformationes narraverat, in *anemonem* mutatione.

Lib. XI. Hinc *Thraciæ mulieres* quum Orphea discerpissent, *serpente*, qui os ejus petebat, in *lapidem* mutato, in *arbores* conversæ sunt a Baccho, qui, relicta, ob interfectum vatem, Thracia, in Phrygiam se contulit, ubi *Midas*, cui pro Sileno restituto *auri copiam* fecit. Cujus quum illum pœniteret, in *Pactolo* lotus *arenas* ejus *aureas* reddidit. Postea Phœbus pro iniquo judicio *ares* illi *asininas* tribuit. Quo facto, Trojam profectus Apollo, *Laomedontem* muros Trojanos exstruentem adjuvit. Filiam ejus *Hesionen*, saxo alligatam, liberavit Hercules, conjugem autem duxit *Telamon*, quemadmodum *Peleus* Thetida transformem. Is ad Ceycem postea profectus, *Dædalionem* in *accipitrem*, et *lupum* in *saxum* conversum, partim intellexerat, partim ipse viderat. Sed *Ceyx* in itinere ad oraculum Clarium suscepto periit naufragio. Accidit deinde, ut *Halcyone*, marito post naufragium sub *Morphei* figura secundum quietem conspecto, in *halcyonen* avem, sicut et maritus, mutaretur. Quos volantes quum animadvertissent quidam, *Æsacum*, Priami filium, quondam in *mergum*, qui tum forte aderat, meminere transformatum.

Lib. XII. Huic tum *Priamus* pater, tanquam mortuo, exsequias fecit una cum filiis, excepto *Paride*, qui in Græciam profectus Helenam rapuit. Raptorem secuti sunt Græci, postquam Aulide, *serpente* quodam in *lapidem* mutato, Dianam placare voluerant *Iphigenia* oblata, cui vero mutatae Dea substituit cervam. Trojani quum fama adventum Græcorum cognovissent, armati eos exspectant. Primo statim congressu *Cygnus*, ab Achille super lapidem necatus, convertitur a Neptuno in *avem* sui nominis. Is autem, qui telo nullo violari potuerat, in convivio heroum Nestori in memoriam revocabat tam *Cænea*, invulnerabilem et ipsum, atque primum e femina in *marem*, deinde

in prælio, quum arborum mole obrueretur, in *avem* conversum, quam omnino pugnam *Centauroorum* cum *Lapithis*, quorum pars *Cæneus* fuerat. His appendicula addita de *Periclymeno* in *aquilam* transformato. Neptunus vero *Cycni* mortem dolens exoravit *Apollinem*, ut *Paridis* sagittam in *Achillem* flecteret, qua ille periit.

Lib. XIII. De Achillis armis *Ajax* et *Ulysses* contendunt: ac illius quidem, sua ipsius manu interfecti, sanguis in *hyacinthum* vertitur. Capta jam *Troja*, *Hecuba* in *Thracia*, ubi *Polymnestorem* excæcavit, fit *canis*. Ejus infortunium quum *Dii* omnes deplorarent, *Aurora* alio luctu tenebatur, *Memnonis* scilicet filii, cujus e cineribus *Memnonides* aves prodierunt. *Æneas* porro profugus ad *Anium*, cujus *filix* in *columbas* erant conversæ, post alia deinceps loca transformationibus clara, in *Siciliam* delatus est, ubi *Scylla*, cui *Galatea* narrat *Polyphemi* amores *Acidisque* obitum; quo facto, *Glaucus*, in *Deum marinum* mutatus, apparet.

Lib. XIV. *Scyllam* *Circe* mutat in *monstrum*. *Æneas* autem in *Africam* venit, ubi eum *Dido* excipit. Tandem ut, *Pithecosas* prætervectus, ubi *Cercopes* ex hominibus in *simias* mutati, in *Italia* appulit, in *Caietano* litore e *Macareo* multa de *Ulyse* atque *Circes* veneficio comperit, quo etiam *Picus* rex in *picum* avem mutatus erat. Mox bellum cum *Turno* suscipit. Is quum per *Venulum* peteret auxilium a *Diomede*, cujus *socii* in *aves* erant transformati, repulsam tulit: redeunte *Venulo* per ea loca, in quibus *Appulus* pastor quondam in *oleastrum* conversus erat. Postea *Æneæ naves* *Nymphæ* fiunt in prælio, sicut et ex *Ardeæ*, urbis incendio deletæ, cineribus *ardea* avis; atque *Æneas* in *Deum* transit. Successerunt huic reges alii, quorum inter cæteros sub *Phoca* floruit *Pomona*; quam

quum *Vertumnus* amaret, sumta primum *anus* forma, et *Anaxaretes* exemplo in *saxum* conversæ usurpato, deinde rursum *juvenis* factus, voto potitur. Inde sub *Numitore* aquæ *frigida* redduntur *calida*. Cui qui successit *Romulus*, factus est *Quirinus*, ejusque uxor *Ora* Dea.

Lib. XV. Secutus est *Numa*, qui quum de originibus *Crotonis* quæreret, *nigros calculos* quondam in *albos* fuisse commutatos comperit, et *Pythagoram* de *perpetuis* rerum *transformationibus* disputantem audivit. Mortuum deinde *Numam* deflet *Egeria*, nec *Hippolyti*, qui suas ipsi *conversiones* narrabat, consolationem admittens, in *fontem* liquescit. Id quod non minus fuit mirandum, quam quod *Tages* e *gleba* ortus, *Romuli lancea arbor*, et *cippus* cornutus factus. Tum transit poeta ad præsentia, narratque, quomodo *Æsculapius* coli a Romanis in insula *Tiberis* cæptus sit, *Juliusque Cæsar* in *stellam* commutatus.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON*

LIBER PRIMUS.

IN nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Di cœptis, nam vos mutastis et illas,
Adspirate meis, primaque ab origine mundi

* *Metamorphoseon*, non *Metamorphoseos* inscriptum esse hoc opus ab Auctore, MSS. optimorum, auctorum hoc carmen laudantium, Planudis in metaphrasi Græca, et Græcorum, ad quorum imitationem Noster hæc scripsit, evincunt auctoritates, quas vide ap. Heins. Neque usus linguae permittit, tot transformationum corpus *metamorphosin* vocare.

1. *Fert animus.*] Intell. *me*, impellit me; quod est simpliciter, volo, cupio. Sic etiam infra ver. 775; et A. A. iii. 467. Aliorum poetarum loca collegit Drakenb. ad Silium, xvii. 294. *In nova mutatas formas corpora* per hypallagen dictum volunt, pro *corpora in novas formas mutata*, ut dixit Noster, II. Trist. 556. Sed non opus est, ut ad hypallagen confugiamus. *Formæ* nunc sunt corpora ipsa, qua formam habent, ut infra, ver. 436; et xv. 172. *species et figuræ*. Noluit dicere, corpora prisca mutata esse in nova, aut formam priorem in aliam, sed posuit verba duo, quæ eodem redeunt. Et maluit formas *in corpora mutatas*, quam alterum, partim quia illud exquisitius et magis poeticum, partim quia mutatio forma potissimum

VOL. III.

fit conspicua. Itaque et alibi memorat, cecinisse se, *mutatas formas*, ut I. Trist. i. 117. et vii. 13. Neque male sic Græcum *μεταμορφώσεις* quasi interpretatus est. Nimis anguste Burm. quem sequitur Schirachius, de solis hominibus accipit; insunt enim et aliarum rerum metamorphoses. Ii vero arguantur, qui poetam consulto carmen de corporum transformatione a verborum permutatione exorsum esse contendunt.

2. *Di cœptis*, etc.] Causam affert propriam, quare sibi non unum et alterum Deum, non Musam aliquam, sed omnino Deos adspirare velit; auctores enim rerum dicendarum fuerunt: *nam vos*, etc. Difficultas quam movet multis τὸ *et*, facili, opinor, tollitur negotio, si sententiam in hunc modum concipias: Di, vestrum est me adjuvare, quandoquidem vos non modo cætera regitis, verum *etiam* formas illas mutastis, quas ego hoc carmine persequar. Cui hoc displicet, is e lectionis varietate præferat *easdem*. Non bene Kœppen. *nam* et conjunxit atque per *etenim* explicuit.

3. *Adspirate meis.*] Adeste, favete; metaphora sumpta a navigantibus qui-

B

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

I. Ante, mare et tellus et quod tegit omnia cœ-
lum,

bus vento adspirante opus est. Hæc invocatio parum solemnitas pro tanto et tam gravi opere. Virg. *Æn.* lib. ix. 525: *Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti. Primaque ab origine mundi.* Post Lucret. phrasis fere solemnitas in hac re: vid. Ciofan. Bene et ambitum operis et naturam propriam in limine indicat.

4. *Perpetuum.*] Ad naturam operis declarandam delectum est vocabulum, *perpetuum*, non interruptum, una serie procurrens; ut apud Cic. *Verr.* i. 4. *perpetua oratio*, et *Or.* ii. 54. *sermonis perpetuitas*. Ergo *perpetuum carmen*, in quo fabulæ omnes in unius corporis speciem conjunctæ sunt: a qua virtute laudem insignem Ovidius meruit. Simili fere modo Horat. i. *Od.* vii. 6: *Athenas carmine perpetuo celebrare*, omnes Athenarum laudes justo ordine persequi. *Deducite*, inde ab initio usque ad finem mihi scribenti adeste. Ducta est metaphora a lanificio, ubi fila *deducuntur* per radios, iv. 36. Usitatum autem est, scribendi operam cum textura et lanificio comparare. *Ad mea tempora*. Ad principium scilicet imperantis Augusti. Cæterum hoc totum exordium adeo displicebat Scaligero, *Poet.* lib. vi. pag. 862. ut ipse novum substitueret, sed invita Minerva; et gravissimas temeritatis suæ pœnas dedit tum aliis, tum Capoferreo.

5. *Ante, mare et tellus, etc.*] *Creatio mundi*, metamorphosis omnium prima, eademque gravissima. Amplexus autem est poeta, suoque modo exornavit sententiam, quæ jam olim fuerat Ægyptiorum. Horum enim in scitis erat, auctore Diog. Laert. *procem.* s. 10. *ἀρχὴν εἶναι τὴν ὕλην, εἶτα τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακριθῆναι, καὶ ζῶα τινὰ ἀποτελεσθῆναι:*

quam sententiam latius explicat Diodor. Sic. tom. i. p. 11. ubi multa et his nostris, et iis, quæ infra, ver. 416 sqq. traduntur, quam simillima, nisi quod ibi omnia sine interventus et opera Dei, solis naturæ legibus perficiuntur. Noster autem multo sanior cum præstantissimis Græciæ philosophis opificem sapientem adhibet, cujus vi ac numine singula et segregata, et disposita, et exornata sint. Duci etiam potuerunt primæ hujus loci lineæ (quæ erat *Burm.* opinio) ex Apollon. *Rh.* Argon. i. 496; ubi Orpheus cecinisse dicitur, *Ὡς γαῖα, καὶ οὐρανός, ἡδὲ θάλασσα τὸ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι μὴ συναρηρότα μορφή Νείκεος ἐξ ὄλοοιο δῖεκριθεν ἀμφὶς ἕκαστα*: quem loc. certe respexit Virg. *Ecl.* vi. 30 sqq. Kœppennio et Lenzio Ovidius omni h. l. Anaxagoræ placita secutus esse videtur: non adsentior. Anaxagoras tot elementa statuit, quot corporum genera; Noster cum Empedocle quatuor tantum. Tum Anaxagoræ *Νοῦς* non nisi primum motum elementis dat; quo facto vires Naturæ reliqua perficiunt; sed h. l. *opifex rerum* cuncta absolvit. Sed primum usque ad ver. 20, rudem illam molem describit, ex qua Deus singula evoluerit mundumque creaverit. Erat enim communis veterum philosophorum error, Deum ex materia quadam, subordinata quidem ipsi, æterna tamen, mundum finxisse; quam materiem Noster, Theogoniarum auctores secutus, atque Orphicos, *Chaos* vocat. Hesiod. *Theog.* 116: *Πρώιστα χάος γένετο*. Locus satis elegans, si verba spectes, cæterum non exigendus ad physicas rationes, ut monuit etiam Baylius in *Diction.* *Ante, mare et tellus*. Revocassem ego alterum *Ante mare et terras*, ut longe plurimis auc-

Unus erat toto Naturæ vultus in orbe,
 Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles;
 Nec quidquam, nisi pondus iners; congestaque
 eodem

Non bene junctarum discordia semina rerum.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan; 10

toritatibus fultum et multo facilius, nisi vidissem, Seidenstikerum in libro *Philologisch-pedagogisches Magazin* a Wiedeburg. Helmst. ed. vol. i. p. 3. et vol. ii. p. 1. atque Lenziuum, acriter pro Heins. ratione stare. Urgent illi hoc, eam esse difficiliorem, adeoque veriorem; quanquam Ovid. non impeditiora amat, sed faciliora præfert. Sine dubio lector aliquis, aut librarius, cui loca in notis allata succurrebant, hunc illis similem efficere voluit, mutato *terras* in *tellus*. *Ante*, ante rerum originem. *In principio* dixit legislator Judaicus. *Mare* igitur et reliqua, *unus vultus erat*, dictum foret, ut Art. Amat. ii. 468: *Unaque erant facies sidera, terra, fretum*, et Fast. i. 106: *Ignis, aquæ, tellus unus cervus erant*, quibus locis nostrum illustrat Heins. et quæ expressa videntur ex Euripid. Menalip. fragm. p. 454. tom. ii. edit. Lips. ubi Menalippe ait, se a matre accepisse, Ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφή μία. Verum sic molesta sunt verba *Naturæ* et *toto in orbe*. Displicet etiam *ante* sic in principio operis, ubi nihil præcessit ad quod referatur. Vix ergo dubito præferre alteram lectionem, ab Heinsio duorum Codd. auctoritate pulsam, *Ante mare et terras et quod tegit omnia cælum*, antequam mare et reliqua exornarentur, in toto orbe unus vultus Naturæ erat. Sic nihil hic impeditum. Non autem poeta, quæ erat Seidenstikeri opinio, hic elementorum numerum in ipso limine præcipere voluit, sed mundi partes e vulgari divisione nominare.

Quod tegit omnia, ὁ περιέχων τὰ πάντα Græcis dicebatur cælum: *cæli tegmen*, Cic. Nat. D. ii. 14; *cæli amictus*, Lucr. vi. 1131.

6. *Unus vultus*.] Una species, una forma, in qua nullæ partes variarum figurarum discerni possent. Horatius, I. i. 90: *Vultus mutans Proteus*. Claudian. 87. i: *Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?* Et h. l. cum dilecta. *Naturæ*. Parentis et auctoris omnium rerum. *Natura* enim vis est quædam qua omnia nascuntur; quam Seneca nihil aliud esse quam Deum sentit.

8. *Iners*.] Inutilis, nisi quid inde formatum esset. Sic Virg. Georg. i. 94: *glebæ inertes*, inutiles, nisi comminuantur. De informi et inculta mole nolim cum aliis accipere, quia id jam præcessit. Sed quam nos *inertiam* intelligimus, ea vers. 16, 17. describitur. *Semina rerum*, elementa, *στοιχεῖα*, unde omnia nata esse creduntur.

9. *Discordia*.] Heins. conj. *dissortia*. Frustra: *male junctæ* potius sunt dissortes. Inde vero oriebatur *discordia* illa, quam Auctor, 18—20. persequitur.

10. *Nullus adhuc*, etc.] Cavendum est poetæ, ne in notionibus generalibus subsistat; itaque et Noster copia poetica præcipuas mundi partes enumerat, quæ nondum *digestæ* fuerint. Sed vide, quam suaviter exornaverit tenuia illa, nondum erat sol, nondum luna, etc. Pro his partibus nominantur personæ mythologica, quibus hic

Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe ;
 Nec circumfuso pendebat in aere Tellus
 Ponderibus librata suis : nec brachia longo
 Margine terrarum porrexerat Amphitrite ;
 Quaque fuit tellus, illic et pontus et aer : 15
 Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
 Lucis egens aer ; nulli sua forma manebat,
 Obstabatque aliis aliud : quia corpore in uno

locus mirifice animatur. Itaque et *Tellus* litera majuscula in initio dedimus. Sol non Phœbus, ver. sed ex antiquiore mytho *Titan* ; natus enim est ex Hyperione, uno ex Titanibus. Hesiod. Th. 371 : *Titania astra*. Virg. *Æn.* vi. 725. Lunam a propria, quam habet, luminum varietate designat.

12. *Circumfuso.*] Nam terræ aërem undique circum fluentem subjici Physici demonstrant. Sic. Tibul. IV. i. 151 : *circumfuso condidit in aere tellus*. Sic ipse Ovid. *Fast.* lib. vi. ver. 269. hanc terræ in medio suspensæ *ισορροπίαν* luculenter exsequitur : *Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa, Aere subjecto tam grave pendet onus.*

13. *Ponderibus librata suis.*] Oscillans gravitate sua æquilibrio servato, ita suspensa, ut æqualitate ponderum æquilibrium servaret, nec in alterutram partem inclinaret. Loca Veterum similia congesserunt Ciof. et Heins. Kæppen. monet, cogitandum esse orbem planum ita impositum axi, ut ambæ orbis partes æquilibrium servent. Antiquissimi sane poetæ putarunt, terram esse orbem planum ; sed, quod jam Thales, Anaximander et alii docuerunt, formam ei esse globosam, et Romani constanter crediderunt, iidemque nihilominus eam *ponderibus librata* suis dixerunt.

14. *Amphitrite.*] Neptuni uxor, Dea et domina Oceani : *nondum brachia, aquas suas, porrexerat, effuderat,*

longo margine, circa longas oras terrarum.

15. *Quaque fuit tellus, etc.*] Hac redundantia non offendetur, qui comparaverit, quæ ad vers. 90. 206. 292. 401. monuimus. *Quaque fuit, etc.* Ut hactenus *indigestam* molem descripsit, sic nunc ad verba *congesta eodem* et vers. seq. ad *pondus iners* redit. *Quaque, ubicunque.* Sed nexus commodus cum antecedentibus desideratur. Vide igitur Varr. lect. Forte melius poeta omnem h. l. usque ad ver. 20. omisisset. Non enim erat, cur post superiora lectorem moneret, *instabilem* fuisse *terram, etc.*

18. *Obstabatque, etc.*] Pugna autem illa, vers. 18—20. talis est, ut vix in cogitationem cadat. *Instabilis*, si passive accipis, qua insisti, in qua pes figi nequibat, nove quidem et paulo insolentius dictum erit, sed bene conveniet τῶν innabilis. In limoso illo acervo nec pes figi poterat, terra enim subacta erat multis aquis ; nec natari, aqua enim terram dissolutam ferebat ; nec denique cerni quidquam (χάος ἐρεβώδες,) lucis enim, etc. Verissime igitur erat *pondus iners*. Et multum sibi indulserunt Veteres in usu adjectivorum in *bilis* desinentium : vid. Perizon. ad Sanctii Min. I. xv. 4 ; et Creech. ad Lucret. i. 11. Sin activam vim et hic præferas, *instabilis tellus* erit, quæ nondum firmum et immotum locum tenebat, nondum erat *terra continens*. *Nulli sua forma manebat,*

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Hanc Deus et melior litem Natura diremit : 21
Nam cœlo terras et terris abscedit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aere cœlum.
Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
Dissociata locis concordî pace ligavit. 25

nulli certa et perpetua forma erat ; nam veluti fermentatione quadam miscebantur. Nulli manebat. Hoc verbum admittit geminum casum, accusat. et dativ. ; sed pro *expecto*, tantum accusat. Virg. Æneid. ix. 298 : *nec partum gratia talem Parva manet* ; Græci pariter utrumque casum admittunt. *Corpore*, mole, acervo : *pugnabant*, movebantur intestino quodam motu elementa : *pugnabant calidis*, Græca syntaxis, *μάχεσθαι τινί* nisi malis præpositionem *cum*, quæ sequitur, ad hæc quoque referre : *sine pondere paulo durius*, iis, quæ erant sine pondere, *τοῖς ἀνευ βάρους*, scilicet *οὔσι*.

21. *Hanc Deus*, etc.] Hoc chaos Deus ita tractavit, ut primum elementa separaret, et cuique suum locum assignaret. Ut quodvis erat levius, ita altiore locum occupabat. Ciof. Fast. i. 106. v. 11. Claud. R. P. 249. *Melior Natura*. Quæ sit ex mente poetæ, aut quo modo differat a *Deo*, frustra quæritur. Ipse poeta infra, ver. 31, fatetur se nescire. Sufficit vim quandam divinam intelligere. Nempe philosophi disputabant de natura creatoris, quum ab aliis vocaretur Deus, ab aliis animus per omnia fusus, ab aliis mens aut natura ratione prædita : vid. Lactant. Inst. div. I. v. 16 sqq. Cic. Sen. 12 : *Quum homini sive Natura, sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset*. Kœppen. per *Naturam* e placitis Anaxagoræ vires elementorum intell. Sed ver. ad

ver. 5. *litem*, pugnam, fermentationem : *νεῖκος ὄλον*, Apollon. Arg. i. 498. *Litem* dixit variationis causa. Grav. Claudian. d. I. *veterem qua lege tumultum Discrevit Natura parens*.

22. *Abscedit*.] Sejunct. Horat. I. Od. iii. 21. *Deus abscedit Oceano terras*, ubi vid. Bentlei. Cf. Virgil. Ecl. vi. 35 sqq. *Cælum* est æther. Pacuv. in Chrys. *Nostri cælum memorant, Graii perhibent æthera* : cf. Cic. N. D. ii. 42. Sed et apud Græcos *αἰθήρ* et *ὀβρανός* usurpantur promiscue : vid. Valkenar. Diatrib. in Eurip. cap. vi. Vocat *liquidum*, quippe natura tenuiore et purum ab humoribus, aut, ut ipse, ver. 68. explicat, nihil terrenæ fæcis habens. Opponit *spissum aerem*, graviore pondere et repletum vaporibus et nebula. Cic. I. cit. *concretum aerem* dixit. Cf. cum omni hoc loco, xv. 239 sqq.

24. *Cæco*.] In quo nullæ partes animadverti, discernique poterant. *Dissociata ligavit*. Tria insunt. Deus *dissociavit elementa locis*, diversa iis loca tribuit, terræ imum, alterum mari, etc. sed *ligavit dissociata*, ita dissociavit, ut tamen nexus eorum esset. *Æther attingit aerem*, aer attingit terram, etc. Tibul. IV. i. 20 : *Aeri contextus æther*. Hinc *concors par*, qua non amplius permixta inter se pugnant. *Dissociare*, ut apud Horat. I. Od. iii. 22 : *Oceanus dissociabilis*, dissocians. *Pace*. A Claud. iii. 65, *fides* et *fædus* elementis tribuitur.

Ignea convexi vis et sine pondere cœli
 Emicuit, summaque locum sibi legit in arce :
 Proximus est aer illi levitate, locoque :
 Densior his tellus, elementaque grandia traxit ;
 Et pressa est gravitate suâ : circumfluis humor 30
 Ultima possedit, solidumque coercuit orbem.
 Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille Deorum,

26. *Ignea convexi*, etc.] Cf. Tibul. IV. i. 19—23; Claudian. R. P. i. 246 sqq. ubi Proserpina hoc argumentum texit. Is *elementorum seriem* hunc primum Naturæ actum vocat. *Ignea vis*, periphrasis ignis ipsius. *Vis*, βίη, apud poetas sæpe inservit periphrasi. *Ignis* porro *cœli* est æther, qui constat ignea natura (Virg. Ecl. vi. 33. *liquidus ignis*. Tibul. d. l. *igneus æther*.) quæ eadem est levissima. *Convexum*, pro concavum; quem usum Cic. in Arateis, ver. 314, primus invexisse videtur Heyn. ad Virg. Æn. iv. 451.

27. *Emicuit*.] Repente et celeriter prosiluit, quod verbum maxime convenit levitati ætheris. *Summa arx*, altissima rudem ora. *Sibi legit*, tanquam sua sponte fecerit, quod lege naturæ fiebat. Etiam ap. Claud. d. l. nonnulli *legit flamma potum*. Cf. xii. 43. ubi eadem verba de Fama.

29. *Elementa grandia*.] Crassiora corporum stamina attraxit, quæ pondere suo deorsum vergebant. *Pressa* est, ut subsideret. Fast. v. 13: *Pondere terra suo subsedit et æquora traxit*; quod sumtum e Tibul. d. l.: *Qualis in immenso desederit aere tellus*.

30. *Sui*.] Cantab. et viginti alii *sua*. Nempe genitiv. pron. primitivi ponitur, ubi is casus a nomine adfectus aut facultatis pendet, sed deinde et sine tali nomine. Itaque sæpe in eo variant libri. *Circumfluis*, (περίφρυστος) humor, Oceanus.

31. *Ultima possedit*.] Profundissima

occupavit, quia terræ eminent super Oceani superficiem. Aliter Sever. Ætn. 103. *sors data cælo Prima, secuta maris, deseditque infima tellus*. Lenzius vero per *ultima* int. marginem orbis terrarum plani, atque *circumfluis* putat esse Homeric. ἀψόρροος, *in se ipsum rediens*; sed vide ad ver. 12. *Solidum orbem*, terram continentem, quæ solidior multo aquis. *Coercuit*, amplectitur, ambit. Infra xv. 251: *Tellus cogitur unda*. Cæterum huc respexit Lactant. Inst. div. II. ix. 2: *Terram voluit humore circumflui et contineri*.

32—88. *Sic—redegit*.] Ordo et sensus horum verborum debet haud dubie esse hic: quum Deus *congeriem* illam, rudem et indigestam molem, *secuisset*, divisisset, atque in *membra*, distinctas partes, aquam, terram, *redegisset* 22-23, atque adeo *disposuisset*, cuique parti suum locum assignasset, 25-31. Amant poetæ ejusmodi transpositiones. Virg. Georg. i. 319: *Quæ—segetem—sublime expulsam eruere*, i. e. eruere et deinde in aerem expellerent. Idem, ver. 400: *solutos jactare manipulos*, jactare manipulos sic, ut solvantur. Similiter Noster passim. Vide ad ver. 303. Burm. tamen præfert alteram lectionem *compositam*, ut adeo *composita congeries* sit ille κόσμος, scil. mundus philosophorum. Bene. Sed me offendit hoc, quod illa moles nondum secta non poterat κόσμος, aut mundus sensu illo philosophico dici. Cic. in Timæo, cap. xxxi. p. 1114,

Congeriem secuit, sectamque in membra redegit ;
 Principio terram, ne non equalis ab omni
 Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis. 35
 Tum freta diffundi, rabidisque tumescere ventis
 Jussit, et ambitæ circumdare litora terræ.
 Addidit et fontes, immensaque stagna, lacusque ;
 Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis,
 Quæ diversa locis partim sorbentur ab ipsa, 40
 In mare perveniunt partim, campoque recepta
 Liberioris aquæ, pro ripis litora pulsant.

Ern. ut hunc hac varietate distinctum bene Græci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus. Etiam Claudian. in Ruf. i. 4. h. v. usus est : *dispositi fœdera mundi*.

33. *Secuit, sectamque.*] Mirum in modum Noster illam repetitionem adfectavit. Cf. vers. 142. 158. 166. 206. et alibi. *Membra* omnino partes distinctæ alicujus rei, ut *membra carinæ, ædificii, philosophiæ*. Vide nos ad Plin. II. Ep. xvii. 9. Cæterum Anaxagoras, qui et ipse docebat, ab initio πάντα χρήματα πεφυρμένα fuisse, addebat : Ὁ Νοῦς δὲ ἀπὸ τῶν διῶρε, καὶ διεκόσμησε, καὶ ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγε. Plutarchum vide de Plac. lib. i. cap. 3.

35. *Parte foret, etc.*] Omnis hic locus plurimum habet suavitatis, a delectu in primis verborum. Pro simplici enim *facere aut fieri* posuit verba ea, quæ vel naturam rei exprimant, vel modum adspectabilem, quo facta sit. Terra *glomeratur*, freta *diffunduntur*, aquæ *pulsant* litora, *extenduntur* campi, valles *subsidunt*, montes contra *surgunt*. *Glomeravit*. Cic. Tim. 15. *Deus mundum ita tornavit, ut nihil fieri possit rotundius*. N. D. ii. 39. *terra nutibus suis (pondere) conglobata*. Jam antea aquæ coercuerant orbem ; nunc jubentur *diffundi*, latius extendi,

atque hic illic se insinuare in terras, ut sinus et similia efficiant.

36. Et *rabies* et *insania* ventis tribuitur ; vide Heins. *rabies Noti*, Hor. I. Od. iii. 14.

37. *Ambitæ.*] Quæ cingitur a mari. Qua ratione *ambitus* mediam producat, disputatur : vide Burmann. *Ambitæ circumdare* e copia poetica dictum.

39. *Declivia.*] Quia e locis altioribus defluunt ; *pronos fluvios* alii dicunt. *Obliquis* eleganter exprimit cursum fluviorum tortuosum. *Cinxit*, inclusit.

40. *Pro diversa locis*, Georg. iv. 367. in pedestri oratione usitatus, *diversis locis*. *Sorbentur*, ut *Arethusa*. Quidam subeunt terras, sed mox redduntur, ut *Lycus* in Asia, *Erasinus* in Argolica : vide Plin. H. N. II. 103.

41. Alios fluvios velut intercipit terra, alii usque ad mare perveniunt. *Campus* et *æquor* quamcumque planitiem designant. Hinc utrumque vocab. promiscue mox de planitie, agris, mox de superficie aut de fundo maris dicitur. Melius tamen nunc abstinuisset h. voc. quia proxime sequitur *extendi campos*.

42. *Liberioris.*] Non inclusæ angustis ripis. *Vaga aqua* a Nostro appellatur *Heroid. x. 136. Pro ripis, etc.* merus lusus grammaticus. *Sidere* aut

Jussit et extendi campos, subsidere valles,
 Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.
 Utque duæ dextra cœlum, totidemque sinistra 45
 Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis;
 Sic onus inclusum numero distinxit eodem
 Cura Dei; totidemque plagæ tellure premuntur:
 Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu:
 Nix tegit alta duas; totidem inter utramque locavit,
 Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma. 51
 Imminet his aer, qui, quanto est pondere terræ
 Pondus aquæ levius, tanto est onerosior igni.
 Illic et nebulas, illic consistere nubes
 Jussit, et humanas motura tonitrua mentes, 55

subsidere de locis depressis et complanatis. Vid. Gron. *Observat.* p. 726: *surgere* contra, (quasi surrigi, sursum agi,) de iis, quæ excrescunt in altitudinem. Drakenb. ad *Silium*, iii. 659: *Frons honor arborum*, ver. 346.

44. *Lapidosos.*] Gebhard. *Crep.* i. 6. *spatiosos crescere*. Et ita *Palat.* sec. At alterum agnoscit *Lactant.* ii. 5. et *surgere* exquisitius quam *crescere*. Etiam *lapidosos* minus vulgare, quam *spatiosos*.

45. *Utque duæ dextra*, etc.] Quemadmodum in cœlo quinque zonæ sunt, duæ frigidæ, totidem temperatæ, una torrida; sic et in terra. In harum descriptione Nostro præverant *Virgil. Georg.* i. 233 sqq. et *Tibul.* IV. i. 152-174. qui cæteris copiosior est. Cf. etiam *Claud. R. P. I.* 257-263. Multo ornatio *Ovidio* est *Virgilius*. Pro eo, quod hic legimus, *est ardentior*, ille dixit: *una corusco Semper sole rubens, et torrida semper ab igni*; et de frigidis non satis habuit *altam nivem* commemorare, sed: *cærulea glacie concreta atque imbris atris*.

46. *Secant.*] *Dividunt*: ductum a

sphæra, quam *secant* circuli. *Onus inclusum*, moles terræ, quam includit cœlum. *Cura Dei* est *Deus ipse*, sed quatenus curam gerit mundi. *Fast.* i. 37: *Hæc igitur vidit trabeati cura Quirini*.

48. *Tellure.*] *Deest in. Premuntur* sonantius et exquisitius, quam *sunt*; nam *premi* eleganter dicuntur, quæ finibus inclusa sunt. *Virgil. Georg.* i. 235: *zonæ trahuntur*.

49. *Non est habitabilis*, etc.] *Nempe* ex opinione Veterum, qui zonas frigidas non minus, quam torridam, incolis orbas putabant: vide *Lucret.* v. 205; *Virgil. Georg.* i. 237 s. et *Macr. Somn. Scip.* ii. 5. late de hac re disputantem.

51. *Flamma.*] *Poetice pro calore*.

52. *Imminet.*] *Superimpositus est*. Et viciniam et altiorem situm h. v. indicat.

54. *Consistere*, colligi, oriri, *συνίστασθαι*, aut immorari. *Motura*. Alias *terrere* *Jupiter* dicitur fulminibus aut tonitru. *Facientes frigora*, ut apud *Virg. Georg.* i. 352. *agentes frigora venti*.

Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
 His quoque non passim mundi fabricator habendum
 Aera permisit: vix nunc obsistitur illis,
 Quum sua quisque regant diverso flamina tractu,
 Quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum!
 Eurus ad Auroram, Nabatæaque regna recessit, 61
 Persidaque, et radiis juga subdita matutinis:
 Vesper, et occiduo quæ litora Sole tepescunt,
 Proxima sunt Zephyro: Scythiam septemque trio-
 nem
 Horrifer invasit Boreas: contraria tellus 65

57. *Passim.*] Sine ordine et lege, ut quisque spiret, unde velit. Vide Burmannum, ad Quintilianii Declam. iv. 13. *Habendum*, possidendum, vel agitandum: similiter Græc. ἔχειν.

59. *Quum—tractu.*] Quum quisque ex diversa regione flat, ut Homer. Od. v. 295. *Regant sua flamina*, Tanquam personæ: *lanient*, graviter, pro disrumpant.

60. *Fratrum.*] Habiti sunt Astræi et Auroræ filii. Hesiod. Th. 378. Sed Noster omni h. l. mythologia neglecta, rerum naturam sequitur; itaque hoc nomine communem potius ventorum naturam respexisse videtur. Positum autem est in hoc epiphonemate cum virtute.

61. *Auroram.*] Laudat hanc ventorum cardinalium descriptionem Seneca N. Q. v. 16. *Auroram*, Æthiopicam, sedem Auroræ, ver. 774. *Nabatæaque*. Ita sine *h*, hoc nomen constanter legitur apud Plin. Tac. Strab. *Nabatæos* Strabo, lib. xvi. p. 767, inter Babylonem et Arabiam Felicem collocat, metropolimque eorum nominat Petram. Sic et Plin. H. N. vi. 28-32. Iis præerat *rex*, qui a Tacito An. ii. 57. commemoratur. Inde Nabatæa *regna*. Nunc omnem Arabiam cogitabinus, quæ fere commemoratur, ubi
 VOL. III.

Orientis fines designandi sunt. *Juga*, haud dubie Emodi, Damasii et alii montes, quibus India cingitur, Plin. vi. 17-21. *Subdita*. Horat. i. Od. xii. 55. *subjectos orientis oræ Seras*. Nostrum expressit Senec. Thyest. 482: *Eurus Orientem movet, Nabatæaque quatiens regna et Eoos sinus*. Cf. idem, Agam. 477.

63. *Vesper, et occiduo.*] Euro contrarius Zephyrus ab occidente flat. *Litora* dixit, non *terræ*, quia mare Atlanticum claudit orbem occidentalem. *Tepescunt*, quia Solis occidentis radii minus violenti sunt; propterea etiam occidentales terræ minorem solis æstum sentire poetæ videntur. Ita et Horat. i. Sat. iv. 30: *Sol, quo vespertina tepet regio*. Similiter mox meridionalis terra *madescere* dicitur, quia Auster inde pluvias agit. Boreæ vero violentiæ satis accommodatum *invasit*. Manil. *Asper ab axe ruit Boreas*.

64. *Scythiæ* nomine Veteres comprehenderunt omnes terras septentrionales incognitas. *Trionem*, non *triones*.

65. *Horrifer.*] Frigora enim, de quibus proprie *horror*, agit Boreas. De origine ejus cf. iv. Pont. x. 40. *Contraria tellus*. Meridionalis, Antarcticæ, Septentrionali opposita.

C

Nubibus adsiduis, pluvioque madescit ab Austro.
Hæc super imposuit liquidum, et gravitate carentem,

Æthera, nec quidquam terrenæ fæcis habentem.

Vix ea limitibus disseperat omnia certis,

Quum, quæ pressa diu massa latuere sub illa, 70
Sidera cœperunt toto effervesce cœlo.

Neu regio foret ulla suis animantibus orba,

Astra tenent cœleste solum, formæque Deorum :

Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ :

Terra feras cepit : volucres agitabilis aer. 75

Sanctius his animal, mentisque capaciùs altæ

67. *Liquidum*—*Æthera*.] Purum et ab omni noxiò vapore liberatum.

68. *Nec quidquam terrenæ fæcis*.] *Ἄρρηκτον αἰθήρα* dixit Homer. II. P', 425; nam *ῥρηξ* et *fæx*, omne impurum: vid. Gronov. Observat. ii. vii. p. 207.

69. *Disseperat*.] *Dissepire*, describere, verbum paulo rarius et poeticum. Lucret. i. 998: *aer dissepit colles*. Senec. Med. 335, forte ex nostro loco: *Bene dissepti fœdera mundi*.

71. *Effervesce* etiam exquisitius, quam quod alii, ex interpretatione, habent; sidera enim sunt ignes *ferventes*, et *fervidus* sol passim occurrit. Lenzio h. v. idem esse videbatur, quod ver. 27. *emicare*, et celerem motum in superiora loca significare. Verum tunc saltem scribendum fuisset *effervesce in cælum*, ut Virg. Georg. lib. i. 471. *effervere in agros*.

72. *Suis*.] *Sibi propriis*.

73. Etiam astra sunt *animantia*, in primis ex mente Stoicorum: vide Cic. N. D. ii. 16 et 21. quanquam et ex opinione vulgi. Inde *inter sidera referri*, Deum fieri. *Cæleste solum*, cœlum tanquam pavementum, quo insistent: *formæ Deorum*, sidera, quæ

habentur numina: *forma, species* et similia inserviunt periphrasi. Infra ii. 78: *formæ ferarum*; Virg. *Æn.* vii. 18: *formæ luporum*; Cic. N. D. ii. 40, sidera dicuntur *formæ igneæ*; Heroid. x. 95: *simulacra Deorum astra et formæ*, *ἔν δὲ διὰ δνοῖν*.

74. *Nitidus* aptum piscium epitheton, propter squamarum lævitatē et lubricitatē: ix. 264. de serpente, *squamaque nitere recenti*.

75. *Agitabilis*.] Significanter *agitabilis*. Senec. N. Q. vi. 16: *nihil est tam versabile et agitatione gaudens, quam aer*.

76. *Sanctius his animal*, etc.] Originem hominis describit, ut postulat ejus dignitas. Non enim mutum et turpe pecus et terra erepsimus Ovidio, sed *sanctius*, Deo similis, atque adeo reverentia dignius *animal*. Ergo comparativus pro positivo bene usurpatur: non enim cætera animalia sancta erant. *Mens alta*, ratio, quæ alta cogitare, cogitando se ad cælum attollere potest. Cic. Mil. 8: *homo sapiens et alta et divina quadam mente præditus*. Apud Juvenal. xv. vocamur *divinorum capaces*; qui loc. cum hoc nostro conferendus est.

Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset.
 Natus homo est; sive hunc divino semine fecit
 Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
 Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto 80
 Æthere, cognati retinebat semina cœli.
 Quam satus Iapeto, mixtam fluvialibus undis,
 Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum;
 Pronaque quum spectent animalia cetera terram,

78. *Natus homo est.*] Valde fluctuant philosophi veteres in definienda et origine et natura animæ: vide Ciceron. Tusc. i. 9, 10. Noster sequitur eos, qui cœleste quidquam et divinum in animis inesse putabant: Cic. Fin. ii. 34. Unde vero divinum illud traxerint, dubium relinquit. *Divino semine*, deest *ex*.

79. *Origo.*] Palat. et alii, *melioris imago*, quo Dan. Heins. respici putat ad ideam, quæ in Deo fuerit, et ad quam mundus ille melior dispositus sit. Sed unde talis philosophia in hoc carmine? Sæpe *origo* et *imago* permutata sunt, ut i. Fast. 65. *Origo*, auctor, creator; vid. lib. v. ver. 262. Tacit. Mor. G. ii: *Celebrant Tuisconem et Mannum originem gentis conditoresque. Melioris*, dispositi et exornati. Referatur ad *rudem indigestamque molem*.

81. *Cognati.*] Non terræ, sed animæ. Male igitur Lenzius addit: quatenus cœlum et terra olim conjuncta fuerunt. Cognationem et domicilium pristinum animæ nostræ cœlum vocat etiam Cic. Legg. i. 9. Sed omnium optime Hipparchus approbaverat, animam nostram esse partem cœli. Plin. H. N. ii. 26; Lucret. ii. 990: *Cælesti sumus omnes semine oriundi*.

82. *Quam satus Iapeto.*] Prometheus, Iapeti filius, habebatur generis humani auctor haud dubie propterea, quod mores hominum agrestium molli-

verat. Alii aliter super eo philosophantur, de quibus exponendi nunc non est locus. Importune autem, meo quidem sensu, *opifici rerum* repente Prometheus socius additur. *Mixtam undis*, ergo ex luto creavit hominem; Hor. i. Od. xvi. 13; Juvenal. xiv. 35. Hinc homo vocatur *πῆλδος ὁ Προμηθεῖος* a Callim. fragm. Bentl. 87. Apud Hesiod. "Εργ. 60. ubi mira hominis compositio narratur, Vulcanus jubetur *γαῖαν ὕδει φέρειν*. Aliter rursus hic mythus ab Horat. i. Od. xvi. 13. narratur; aliter etiam ab Hygin. Fab. 142.

83. *In effigiem.*] Phocylid. v. 101, anima vocatur *θεοῦ εἰκῶν*. Eurysus Pythag. in libro de Fortuna, censet Deum creasse hominem *ἀρχετύπῳ χρώμενον ἑαυτῷ*. Plato Rep. vi. pag. 431. in homine ait esse aliquid *θεοειδὲς καὶ θεοεικελόν*. Fluxit et hoc ab Ægyptiis; Lactant. Inst. vii. iv. 3: *At Hermes non ignoravit, hominem et a Deo, et ad Dei similitudinem fictum*. Noster *effigiem Deorum* ponit in corpore humano.

84. *Prona.*] Ad terram depressa, incurvata. De forma hominis erecta multi Veterum. Cf. Cic. N. D. ii. 56; Legg. i. 9; Lactant. Inst. Div. ii. 1. In ea esse dignitatis et præstantiæ nostræ causam, bene docuit Herder. in libro *Ideen zur Geschichte*, etc. P. I. p. 172 sqq.

Os homini sublime dedit; cœlumque tueri 85
 Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.
 Sic, modo quæ fuerat rudis et sine imagine tellus,
 Induit ignotas hominum conversa figuras.

II. AUREA prima sata est ætas, quæ, vindice
 nullo,

85. *Tueri* intueri, ut x. 389. Virg. *Æn.* iv. 451: *cali convexa tueri*.

86. *Erectos.*] *Erectum* hominis formam urget poeta. *Ad sidera*, ut corporibus cœlestibus contemplan-
 dis, Dei cognitionem capere possimus. Hæc respexerunt alii. Senec. de Otio Sap. 32: "Nec erexit tantummodo hominem, sed etiam ad contemplationem factum, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, et vultum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput." Silius, xv. 84: *Nonne vides, hominum ut celsos ad sidera vultus Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora?* Inde homo Græcis ἄνθρωπος dictus.

87. *Sine imagine.*] Informis. Fast. i. iii. *sine imagine moles*. *Imago* passim pro forma, ut iii. 1.

88. *Induit conversa*, e copia poetica, accipit.

89-150. *Aurea prima*, etc.] Nobilis locus de *ætatibus*, in quas priscum, quod effluxerat inde ab origine mundi, ævum describere, quibusque, pro cuiusque ratione, a metallis nomina imponere, antiquis poetis placuit. Claudian. xxii. 446: *vario faciem distincta metallo Secula*. Quo sine dubio nil aliud exprimere volebant, nisi hoc, genus hominum a statu naturali et animi integritate gradatim delapsum esse ad hanc et vitæ rationem, et vitiositatem. Varro, R. R. ii. 1. In numero autem harum ætatum, poetæ, ut fit, inter se dissentiunt. Nam Hesiod. *Æpy.* 109-208. quinque recenset; Noster, omnia post æneam heroica, quatuor; Aratus, Phænomen. 100-134.

tres; duarum tantum mentionem faciunt Virgil. Georg. i. 125 sqq. coll. *Æn.* viii. 314 sqq. et Tibul. I. iii. 35 sqq; nec pœnitebit cum his Lactant. Inst. div. v. 5. contulisse. Erat præterea in vaticiniis, exacta hac misera ætate, fore *παλιγγενεσίαν*, h. e. fore, ut inverso ordine secula illa denuo revolvantur et renoventur: vid. Virg. Ecl. iv. ibique Heynium, in primis ad ver. 4. Ovidius Hesiod. et Virgil. maxime secutus reperitur, æmulumque habuit Senec. Hipp. ver. 524 sqq. Med. 330; Octav. 397 sqq. Ferrea ætas secundum Nostrum periit Deucalioneo diluvio.

89. 112. *Aurea prima sata est ætas.*] Status primorum hominum naturalis describitur, qualis v. c. vita Cyclo-
 pum apud Homer. Od. I'. 106. sqq. atque etiam hodie multarum gentium barbararum. Sed accesserunt colores mythici et poetici. Vide super hac re philosophantem Posidonium ap. Senec. Ep. 90. *Ætas*, genus hominum. Cic. N. D. ii. 63: *avreum genus*. Virgil. Ecl. iv. *aurea gens*, ex Hesiod. *χρῦσειον γένος*. Virg. Georg. ii. 538: adeo *aureus Saturnus*, sub quo aurea ætas. Nempe *aurea* præstantissima quæque dicitur. Hoc igitur epitheton quum primæ ætati datum esset, reliquæ deteriores facile suum nomen invenerunt; quanquam *ahenea* et *ferrea* etiam ab armis aheneis et ferreis dici potuerunt. *Vindice nullo*, nemine scelera coercente. Virgil. *Æneid.* vii. 203: *Saturni gentem haul vincolo nec legibus æquam, Sponte sua veterisque Dei se more tenentem*.

Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.
 Pœna metusque aberant; nec verba minacia fixo
 Ære legebantur; nec supplex turba timebant
 Judicis ora sui: sed erant sine iudice tuti.
 Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret orbem,
 Montibus, in liquidas pinus descenderat undas;
 Nullaque mortales, præter sua, litora norant. 96
 Nondum præcipites cingebant oppida fossæ:
 Non tuba directi, non æris cornua flexi,

Id autem dum Noster latius tractare voluit, ineptæ garrulitatis exemplum dedit. Erant homines sine legibus non metuebant pœnam legum, non legebant leges propositas, erant sine iudice, non mutuebant iudicem, sed erant sine iudice tuti. Hoc vero est garrire! Cæterum similiter vetustissimorum hominum mores notat Tacitus, *Anal. lib. iii. 26.*

91. *Nec verba—legebantur.*] Nondum leges latæ erant. Erant ergo ἀθέμιτοι, ut Cyclopes apud Homer. d. l. Cf. Platon, de Legg. iii. init. et Aristot. Rep. i. 2. Leges vocat (etiam v. 669) *verba minacia*, quia pœnas minantur. Hæ apud Romanos in *æneis* tabulis incisæ in Capitolio, aut alio loco publico, *figebantur*, seu affigebantur, unde *figere leges et refigere*, pro ferre et abrogare, ut ab omnibus *legerentur*.

92. *Supplex turba* sunt rei, eorumque amici, qui sordidati et mœsti causam suam defendunt. *Simplex turba*, quod Cod. Douzæ et quinque Heinsii exhibent, Burmannus aptius iudicabat et convenientius integritati aurei seculi. At si hoc præferas, major etiam erit tautologia illa, quam in notis vituperavimus. Male etiam ætas illa *turba* vocaretur.

93. *Sine iudice.*] Diu dubitavi, utrum *sine vindice*, an *sine iudice* præferrem. Prætulit tandem posterius: præcessit, non erant iudicia; recte

igitur subjicitur, sed erant sine iudice tuti; præsertim quum Ovidius voc. præcedens varie repetere soleat, atque h. l. cum vi repetitum videatur. *Vindex*, si quis id malit, potest et de iudice et de defensore capi.

94. *Nondum cæsa suis.*] Cf. Virg. Ecl. iv. 32-38; Tibul. I. iii. 37-40. Navigatio summæ aureæ ætatis simplicitati et integritati non satis convenire videbatur, partim quia maxime quæstus causa instituta est, partim quia hominum vitam in ultima pericula conjicit, atque adeo voluntati divinæ repugnare credebatur. Propert. iii. El. v. 41 sqq.

95. *Pinus.*] Lignum resinosum, in primis apta habebatur navigiis faciendis: *suis*, sibi ab ipsa natura assignatis: *peregrinum orbem*, peregrinas terras. *Orbis sæpe pars orbis terrarum*, ut ii. 254. 322; Tacit. An. ii. 2. *Descenderat*. Statius Sil. ii. 2. 6. 28: *invitas dejecit in æquora pinus. Liquidas*, epith. ornans.

97-100. *Nondum præcipites.*] Nondum bella gerebantur. Vivebant ἡσυχῶι, pace fruentes. Hesiod. ver. 120; Tibul. I. iii. 47: *Non acies, non ira fuit, non bella; nec ense Imniti sævus duxerat arte faber*; i. x. 9: *Non arces, non vallus erat. Præcipites*, profundæ.

98. *Tuba directi æris.*] Turba recta ex ære. Juvenal. ii. 117: *recto canta-*

Non galeæ, non ensis, erant : sine militis usu
 Mollia securæ peragebant otia gentes. 100
 Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
 Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus ;
 Contentique cibis, nullo cogente, creatis,
 Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,

verat ære. *Tuba directi*, etc. *Tuba* peditum, et est *directa* : lituus equitum incurvus ; Horat. i. Carm. i. 23 : *et lituo tubæ permistus sonitus*.

100. *Gentes*.] Heins. approbante Burm. ex uno Gronov. invexit *mentes*, quia homines tum nondum in *gentes* discesserint : vid. not. 102. *Gentes* revocavi, quia et Senec. Hippolyt. 527-536. ubi nostrum locum ante oculos habuit, *gentes* et *populos* aureæ ætati tribuit. Etiam Virg. Æn. viii. 325 : *Saturnus placida populos in pace regebat*. Infra ver. 339. statim post restauratum genus humanum *populi novi* commemorantur. In his pluralis pro singul. *Securitas* illa ab invasione hostili turbisque domesticis, commemoratur et ab aliis. Sever. in Ætna, ver. 9 : *Aurea securi quis nescit secula tregis?* Tibul. d. l. *Ulroque ferebant Obvia securis ubera lactis oves*. Eadem et fruebantur pecudes. Idem l. x. 9. Inde *mollia otia*, pax jucunda. Virg. *placida pax*.

101. *Ipsa quoque immunis*.] Nondum agricultura. Hesiod. ver. 118. sqq. *Καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἀρουρα Ἀπομάτη πολλὸν τε καὶ ἄφθονον*. *Ipsa*, sua sponte : vid. Ernesti Clav. Cic. h. v. mox *per se*, ut *δι' ἑαυτοῦ*, eodem redit : vid. Cortium ad Sallust. Jug. ix. 62. Etiam Virg. Georg. ii. 10 : *Ipsa per se*. *Immunis*, vacua a miseriis, ἀπαθής. Expressit Homer. Od. ii. 109. ubi terra omnia ἄσπαρρα καὶ ἀνήροτα profert. *Rastro*. Virg. Ecl. *Non rastrobus patietur humus*. *Rastrum*, ponderosum instrumentum

duobus aut quatuor dentibus, quo glebæ in agris comminuebantur : Virgil. Georg. i. 94 : quanquam et sarritioni inserviebat, ver. 155.

102. *Saucia*.] Sulci sunt veluti vulnera, quibus dilaceratur tergum terræ. Latius hæc Plin. H. N. ii. 63. persequitur, et plura lacerationis genera invidiose commemorat. Non mirum autem est, agriculturam diu fuisse ignoratam, quippe quæ multarum rerum scientiam, magnam curam, multum laboris requirat.

103. *Nullo cogente*.] Virgil. Georg. i. 128. pari elegantia, *nullo poscente* ; quanquam idem et *nullis cogentibus*, Georg. ii. 10 : utrumque verbum non minus eleganter, quam *imperare arvis*, de agricolis dicitur, qui veluti *cogunt* terram fruges reddere cultoribus : vide Burmann. Arva vero quum fruges reddunt, dicuntur *parere*, *respondere*, etc. Sed *cibi*, qui jam narrantur, minime lauti sunt, neque ob eos invidenda aurea ætas.

104. *Arbuteos fœtus*.] *Arbuta*. *Arbutus*, arbor fruticosa, in Italia frequens, poma ferens rubentia (x. 101) fragis similia, et difficilia concoctioni (Plin. xxiii. 8.) quibus tenuioris sortis homines vesci solebant : vid. Martyn. ad Virgil. i. 148. Etiam Varro, R. R. ii. i. et Virgil. d. l. eos fœtus in antiquissimorum hominum victu commemorant. Sed *arbovei fœtus*, quæ est altera lectio, forent poma x. 669. Hæc vero magis culturam postulant, minusque adeo primo seculo conveniunt : tribuntur ei tamen, xv. 97. Heins. conj.

Cornaque, et in duris hærentia mora rubetis, 105
 Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.
 Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
 Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
 Mox etiam fruges tellus inarata ferebat ;
 Nec renovatus ager gravidis canebat aristis. 110

roboreo factus, i. e. glandes. At de glandibus mox sequitur. Hesiod. Ἐργ. 116. ἀφνειοὶ μῆλοισι, quod est, *abundantes arbuteis factibus*: vid. Grævium ad h. l.

105. *Hærentia*.] Male Burmannus ex Leid. et aliis quibusdam probabat *horrentia*. Arboreo ipsæ, earumque rami recte dicuntur *horrere*, id est, eminare, non item fructus. Regius ex interpretatione, *pendentia*. *Cornus*, cujus fructus, *cornu*, lapidosi sunt, nec multum carnis habent, quibus adeo Homeri tempore, Od. x. 241. sues pasciebantur; unde et a Virgilio Æneid. iii. 649. inter *victum infelicem* referuntur. *Rubetis*. Asperis et spinosis. Rubetum autem dicitur locus, rubis et spinis consitus. Rubus mora silvestria fert, quibus et ipsi tenuiores homines vesciebantur: Plin. H. N. xvi. 37-71; xxiv. 13-73. *duros rubos* dixit; etiam Noster iv. Pont. iv. 4. Bene *hæerere*, ut iii. 730. de foliis.

106. *Patula*.] Arridebat Burmanno e Cod. Heinsii, *larga*, i. e. benigne victum ministrans. *Patula*, quæ ramos late diffundit. *Jovis arbore*. Quercu, *Jovi* sacra, uti laurus *Apollini*, *Herculi* populus, *Marti* fraxinus, et *Minervæ* olea, etc. Ergo quernas glandes devorantur primi homines; quæ sane fuit vulgaris Veterum opinio. Itaque et in Ambarvalibus quernam coronam gerebant in hujus victus memoriam: Virg. Georg. i. 350. Sed merito dubitatur, an quernæ glandes alimenta præbeant humano corpori. Error sine dubio inde ortus est, quod *glandis* et *βαλάνου* vis latius olim patuit, omnesque fructus echinatos

complexa est: vide Dioscor. i. 126. ubi inter alia tradit, *castaneus* dici Διὸς βαλάνου· cf. Pausaniæ Arcad. p. 599. Kuhn. Atque etiam hodie in terris australibus genus quoddam glandium nascitur, quibus tostis loco castanearum utuntur: vid. Goguet. vom Ursprunge der Gesetze, etc. P. i. lib. ii. p. 57 sqq. Scripsit etiam Leisnerus progr. de Glandivoris.

107. *Ver erat æternum*, etc.] Ex philosophorum sententia, quam suavissime describit Virg. Georg. ii. 336 sqq. natales mundi in vernum tempus incidebant, idque tempus duravit per totum seculum aureum. *Ver assiduum* est Virg. Georg. ii. 149; *ver longum* Hor. ii. Od. vi. 17. vid. et Buchanani in Maiæ Kalendas poema.

108. *Zephyri*.] Comites sunt Veris. *Mulcebant*, leviter agitabant, huc et illuc movebant flores. Fast. i. 61. ventus *mulcet summas aristas*. *Tepor* convenit temperiei æris verni. Plin. ii. Ep. xvii. 3. *tepor* verno nitescent. Causam illius teporis reddit Lucret. v. 816: *At novitas mundi nec frigora dura ciebat*, etc. *Sine semine*, sine cura hominum: Virgil. Georg. i. 22: *non ullo semine fruges*. Hæc sunt *injussa gramina*.

109. *Mox non temporis successio-* nem indicat, sed continuatum ordinem, idem quam præterea. Vide Schwarz. ad Plin. Pan. viii. 6. Male igitur Lenzius monet, Ovidium hoc posuisse, quia *fruges* serius maturescunt floribus. Neque idem *non renovatus* recte explicat, non aratus.

110. *Nec renovatus ager*.] Immo *renovatus ager* est novalis, qui alternis

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant ;
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara misso,
Sub Jove mundus erat ; subiit ARGENTEA proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære. 115
Jupiter antiqui contraxit tempora veris ;

annis vacat et novatur. Sensus : Sin-
gulis annis sua sponte ager frumenta
ferebat, nec erat, cur alternis cessaret.
Canebat, exprimit albicantem segetis
colorem. Virg. Ecl. iv. 28. non minus
venuste, *mollis flavescet campus arista*.
Ita *cunæ aristæ*, vi. 456. *Gravidis*,
plenis granorum, ut iii. 665. *Gravidis*
corymbis. Cæterum sua sponte olim
frumenta nata esse necesse est: vid.
Heyn. in Opusc. Acad. t. i. p. 339
sqq.

111. *Flumina jam lactis*.] Sic elo-
quebantur veteres magnam lactis et
vini copiam, qua tempore aureo vacca-
rum ubera distenta, uvæque gravidæ
erant. Omnis enim copia cum *flumine*
comparari solet. Virg. Ecl. IV. v. 21:
*Ipsæ lacte domum referent distenta ca-
pelle Ubera*. Add. ver. 29. et Tibul. I.
iii. 45. *Ire* sic etiam, ii. 456.

112. *Mella stillabant de ilice*.] Vel
quia apes in ilice favos condebant, vel
quia folia iliginea mel eliquabant, id-
que tam copiosum, ut in terram deflu-
eret. Vid. Heyn. ad Virg. Ecl. iv.
30. et Fabri Historia Mannæ inter
Hebræos. p. 12-18. Etiam hodie in
locis quibusdam Asiæ rivos propemo-
dum mellis in silvis reperiunt peregrin-
antes, ut docent Itineraria. *Viridis*
epitheto genus quercuum hieme quo-
que folia retinens Ovidius indicasse
Lenzio videtur. Potius in *flava* et
viridi imago, sive lusus inest parum
probandus.

113. *Postquam Saturno*.] *Saturnus*,
antiquissimus rex Latii, agrestes et
sine legibus viventes homines ad me-

liorem victum et cultum traduxerat:
Virg. Æn. viii. 314-329. Idem apud
Græcos fecerat Κρόνος, sub cujus im-
perio aureum seculum fuisse diceba-
tur. Itaque Latini hos duo pro una
persona habuerunt. Vide Heynii Ex-
curs. ad d. 1. *Cronus* cum reliquis
Titanibus in Tartara detrusus: Apol-
lod. i. 2. Hæc est Titanomachia,
antiquissimorum poetarum carminibus
celebrata, unde multa in Gigantoma-
chiam translata. Ceterum in hæc ar-
gentea ætate nihil Noster a reliquis
poetis mutuatus est, sed suum inge-
nium secutus.

114. *Sub Jove*.] Ὑπὸ Διός, sub im-
perio Jovis. *Subiit*, successit, secuta
est. Etiam in *adiit*, *rediit*, *periiit*, *abiit*,
et similibus, in primis in cæsura, pos-
trema syllaba producitur, sequente
vocali.

115. *Auro deterior*.] Ex Hesiod. *Ἔργ.*
127: πολλὸ χειρότερον χρυσέει. *De-
terior ac decolor ætus* hæc argentea vr.
Æn. viii. 326. *Auro* et *ære*, pro au-
rea et ahenea. *Pretiosior*, innocen-
tior, cum respectu ad metalla. Clau-
dian. xxii. 454: *melioris secla metalli*.
Argentea candent, et aureis *rutili anni*
sunt.

116. *Jupiter contraxit*.] Ut apud
Virg. Georg. i. 131: *Jupiter mella*
*decussit foliis, rivis currentia vina re-
pressit*, etc. *Antiqui*, pristini, præteri-
riti. Virgil. Æneid. ii. 137. *antiqua*
patria de exsule. Noster infra ver.
423. *antiquus alveus* et sic centies.
Vetus patria dixit, I. iv. i. 35.

Perque hiemes, æstusque, et inæquales autumnos,
Et breve ver, spatiis exegit quatuor annum.

Tum primum siccis aer fervoribus ustus

Canduit; et ventis glacies adstricta pendit. 120

Tum primum subiere domos: domus antra fuerunt,

Et densi frutices, et vinctæ cortice virgæ.

Semina tum primum longis Cerealia sulcis

Obruta sunt, pressique jugo gemuere iuveni.

Tertia post illas successit AHENEÆ proles, 125
Sævior ingeniis, et ad horrida promptior arma;

117. *Inæquales.*] Mox humidos, mox siccos; calidiores interdum, frigidiores rursus. *Incertos* tales menses dixit Virg. Georg. i. 45.

118. *Breve.*] Cum defectu, quia antea *æternum*. *Exegit*, exigi voluit. *Exigere* autem tempus, est agere, degere, ut centies ap. Cic. Virg. Plin. et alios. Sed Burmann. aliter: exæquavit, ut in trutina. Lenzius explicat: Jupiter antiquum ver extendit in quatuor tempestates. Non bene. Non enim *ver*, sed *annum exegisse* dicitur, neque *exigere* extendere significat. *Spatia*, tempora. Suaviter annuus vicissitudines describit. xv. 201 sqq.

119. *Tum primum siccis.*] Summum æstum describit. Sed cogitandum est, vixisse poetam sub calidiore Italiæ cælo.

120. *Canduit.*] *Candor* solis ita ap. Claudian. i. 219. et *incandescere* Virg. Georg. iii. 479. Plin. Pan. xxx. 3. Hiemis frigore *adstringuntur* corpora, vere autem adventante *solvuntur*; vid. Horat. I. Od. iv. 1. *Glacies*, stiria; *adstricta pendit* venuste, pro *adstricta* est. Etiam III. Trist. 10. 21. *pendens glacies*. Sed multo venustius Virgil. Georg. iii. 366: *Stiriaque impexis induruit horrida barbæ*.

121. *Subiere domos.*] Quum antea in agris et silvis habitassent (A. A. ii. 473.) ut etiam hodie Californiæ incolæ.

læ. Cf. Fabers. Archæologiæ, t. i. p. 9. *Antris* pro ædibus etiam hodie utuntur Arabes multi. Et in aliis calidioribus terris, tecta sibi parant ex ramis arborum.

122. *Cortice.*] *Cortex*, intelligitur cortex interior, liber: *vinctæ cortice virgæ*, cratæ, e quibus olim sibi pararunt homines ædificia: Sen. Ep. 90: *quamlibet virgeam cratem tenuerunt manu*.

123. *Longis vim pingendi habet. Pressi*, onerati. Cf. Virgil. Georg. i. 45: Cic. N. D. ii. 63.

125. *Tertia post illas.*] In hac ætate justo brevior est, pendetque ab Hesiod. ver. 144 sqq. Erat hoc hominum genus ἐκ μελιᾶν δεινόν τε καὶ θυβριμον, *hæstis terribile et validum*, amabat Martis opera habebatque *χάλκεα τεύχεα*, *ænea arma*, quum nigrum ferrum nondum inventum esset. Cf. Arat. Phæn. 130. Ergo et nunc *sævior* est ferocior, audacior in bello.

126. *Sævior.*] Ferocior, audacior in bello. Hesiod. Ἔργ. 145, *arma* invenit hoc genus hominum. Arat. Phæn. 130, in armorum auctorem gravissime invehitur. Tibull. I. iii. 47 seq. *horrida, sæva. Horrida. Horridum* solemne epitheton armorum, præliorum, bellorum, castorum. Arat. *κακέργον μάχαιραν*. Lenzius vero *horrida* interpretatur horrentia, hastas, erec-

D

Nec scelerata tamen: de duro est ultima FERRO.

Protinus irrumpit venæ pejoris in ævum

Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque;
In quorum subiere locum fraudesque, dolique, 130
Insidiæque, et vis, et amor sceleratus habendi.
Vela dabant ventis, nec adhuc bene noverat illos
Navita; quæque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultavere carinæ;

tas. Senec. Octav. 408. de hac ætate, *tertium solers genus Novas ad artes exstitit; sanctum tamen.*

127. *De duro est*, etc.] Cf. cum omni h. l. Catull. Epithal. Pelei et Thet. *Durities* etsi prima ferri virtus, nunc tamen invidiose dicitur cum respectu ad hominis *duritiem*. Hor. Epod. xvi. 65: *Jupiter ferro duravit secula.*

128. *Venæ.*] *Vena*, ad animum a metallis translata est, quibus et ipsi *venæ* tribuuntur: Heins. ad Silium, iii. 283. *Venæ pejoris*. Metalli deterioris. Optima vena auri, si ad mores referas. *In ævum*, genus hominum, cujus *vena*, sensus et studia, deterior erat.

129. *Pudor.*] Moderatio in omnibus cupiditatibus justæ et æquæ causa, virtus princeps. *Verum* aut *veritas*, quum de moribus et vita hominum sermo est, non in verbis cernitur, sed in factis. Etiam Cic. Quinct. 26. *veritatem et pudorem* conjungit. Tacit. An. iii. 26: *Pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat. Vero et fide* continetur societas humana.

131. *Insidiæque.*] Langerman. *Invidiæque. Amor habendi, πλεονεξία.* Aurel. Vict. Cæs. iii. *studium habendi.* Phædr. iii. prolog. 21. *cura habendi*, ubi vid. Burm. In his *habere* est possidere. Copiose hæc Noster persequitur, Fast. i. 195 sqq.

132. *Veladabant.*] Querelas acerbas

de inventa navigatione habes etiam apud Horat. I. Od. iii. 9—24; Propert. I. xvii. 13 sqq.; Plin. H. N. 19. proœm.; Senec. Med. ver. 301 sqq. qui et Horat. et Nostrum respexit. *Noverat illos*, scilicet rabiem Noti decertantis horriferis Aquilonibus, ut loquitur Horatius.

133. *Quæque diu*, etc.] Hæc paulo brevius dicta sunt. Quæ diu in montibus, iisque altissimis, steterat arbor, resecta est; ex eaque *carina*, navis, facta. Gronovianam conject. *alni* repudiaverim: partim quia alui non tam montibus gaudent, quam palustribus locis et ripis (Plin. H. N. xvi. 18;) partim quia *altis* non minus quam *diu*, inservit insanix mortalium declarandæ. Neque Noster respexisse videtur Virg. Georg. i. 136.

134. *Insultavere* contemtim, insultavere tanquam æquori victo; ex inepta scilicet Veterum opinione, quasi insolentia sit navigare. Xerxes *aquis insultans* est apud Lucret. iii. 1045. Horat. I. Od. iii. 24: *Impie non tangenda rates transiliunt vada.* Tibul. I. iii. 37: *Nondum cæruleas pinus contemserat undas.* Claudian. R. P. præf. 11: *nauta vagus exultat pelago.* Sine insolentix notione, pro insilire, *insultare* legitur apud Tacit. An. ii. 8: *Batavi dum insultant aquis, artemque natandi ostentant.* Sed quanta comoda redundaverint ad genus humanum e navigatione inventa et exulta,

Communemque prius, ceu lumina Solis et auras,
 Cautus humum longo signavit limite mensor. 136
 Nec tantum segetes alimenta que debita dives
 Poscebatur humus; sed itum est in viscera terræ;
 Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat um-
 Effodiuntur opes, irritamenta malorum. [bris,
 Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum

satis notum est. Et tantum abest, ut Deus Oceano interjecto gentium consuetudinem impedire voluerit, ut vel remotissimas terras eo arctius conjunxerit.

135. *Communem.*] Cf. Amor. III. viii. 35—44; Justin. XLIII. i. 3: *Omnia communia et indivisa omnibus fuerunt, veluti unum cunctis patrimonium esset.* Cf. Virg. Georg. i. 126. Explicat Lactant. Inst. V. v. 7: sic, tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges non includerent, sed pauperes ad communionem propriimitterent. *Ceu lumina*, etc. Cf. vi. 350. Τὸν ἥλιον τὸν κοινὸν et τὸν αἶρα τὸν κοινὸν dixit Menander, p. 184. 260.

136. *Cautus.*] Et auget avaritiam hominum, et diligentiam mensoris declarat. *Longo limite*, ut paulo ante, *longis sulcis: signare limite*, dividere agros, limite, signi loco, inter eos relicto. Prævit Virg. d. I.: *nec signare quidem aut partiri limite campum Fas erat.* Variavit hoc Senec. Hipp. 526.

137. *Dives humus.*] Ζεῖδωρος ἀρουρα. *Debita* non sunt, ut Lenzius vult, ad vitam sustentandam necessaria, sed, elegantiore sensu, quæ terra, cui semina, tanquam depositum, creduntur, hominibus debet.

138. *Itum est*, etc.] Neapolit. *per viscera*, quod respuendum, quia profunditas magis, quam latitudo metal-
 lufodinarum, hic tangitur. *Ire in viscera*, penetrare in viscera terræ, *viscera ejus extrahere* etiam ap. Plin. H. N. 33. 1 s. I. ii. 63. ubi graves de hac

re querelas habes. *Stygiis umbris*, orco, in quo *umbræ* seu manes ad Stygiam paludem versantur. Hanc Veteres in media terra ponebant; intelligit ergo opes altissime latentes. Satis lepide Plin. H. N. ii. 63, ubi de hac eadem avaritia queritur, *Si ulli essent, inquit, inferi, jam profecto illos avaritiæ atque luxuriæ cuniculi refo-*
dissent.

139. *Quasque.*] Abusus non tollit usum. Plin. H. N. xxxiv. 14, ferrum vocat *optimum pessimumque vitæ instrumentum*, quod deinde explicat. Neque Natura illas opes tam alte abscondidit: immo in multis terris ditissimæ auri argentique venæ propemodum in superficie terræ expositæ patent. Vide Goguet. *vom Ursprunge der Gesetze*, etc. i. 2—4. Cæterum de inventione metallorum locus elegans est apud Lucr. lib. v. 1240—1295.

141. *Nocentius.*] Sacram enim famem injicit mortalibus. *Quod pugnat utroque*, nummis aureis et ferreis armis. Aliter tamen sensit Pyrrhus: vide Cic. Offic. i. 12. Quis non audit Philippi Macedonis arma victricia, ἀργυρέας λόγχας, et asinum auro onustum: Græciam auro ejus, non ferro, subactam? *Bellum pugnat* poetice pro, belligerantes pugnant. Solebant autem Veteres prælium inuturi *concutere arma*, hoc est hastis aut pilis scuta pulsare, ut tali strepitu tererentur hostes. Hinc frequenter *crepuit armorum* in descriptionibus pugnarum. Vide Sphanhem. ad Callim. h. Del.

Prodierant : prodit bellum, quod pugnat utroque ;
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.

Vivitur ex raptō : non hospes ab hospite tutus, 144

Non socer a genero : fratrum quoque gratia rara

Imminet exitio vir conjugis, illa mariti : [est :

Lurida terribiles miscent aconita novercæ :

Filius ante diem patrios inquirit in annos :

Victa jacet Pietas ; et Virgo cæde madentes,

Ultima cœlestum, terras Astræa reliquit. 150

ver. 136, et Arnaldum in Specim. Animadv. p. 74.

144. *Vivitur ex raptō.*] Gravem hanc vitiositatis humanæ deplorationem Seneca laudat, de Ira ii. 8 ; de Benef. v. 15 ; N. Q. p. 911. Locus adumbratus ex Hesiod. ver. 182 sqq. *Οὐδὲ πατήρ παιδεύσων ὁμοίως, οὐδὲ τι παῖδες, Οὐδὲ ξείνος ξεινοδόκῳ, καὶ ἑταῖρος ἑταίρῳ, Οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἕσσεται.* Nostrum expressit Senec. Hipp. ver. 553 sqq. sed non satis feliciter.

145. *Gratia.*] Concordia. *Imminet grave verb. cupide instat.*

147. *Lurida aconita.*] Atra, tristitia venena. De aconito, herba venenata, vid. infra vii. 415. *Luridus* proprie de pallore cadaverum dicitur : vid. Brouckh. ad Propert. IV. vii. 2. Hinc etiam venena letifera dicuntur *lurida* ab effectu. Ante oculos autem Noster habuit Virg. Georg. ii. 128 sqq. ubi *sævæ novercæ miscent herbas et non innoxia verba.* Claud. xv. 173 : *Adhuc ignota novercis Gramina.* Adeo male olim audiebant novercæ ! Ad exemplar Nostri, et ab effectu veneni, Juvenalis, de matrona quæ viro *miscet* sitiente rubetam, dixit, Sat. i. ver. 72, *instituit nigros efferre maritos,* scilicet veneno lurido extinctos.

148. *Inquirit,* etc.] Quærit a Mathematicis, s. Chaldæis, astrologis

qui ex natalibus futura prædicebant (Gellius, N. A. i. 9.) annum, quo pater moriturus sit : *ante diem inquirit,* præscire cupit. Silius, iii. 13, *casus scire futuros Ante diem.* Lenzio hæc impietas, in hac quidem notatione, non satis magna videtur ; itaque his verbis subjicit h. sensum : ipse fit auctor mortis præmaturæ patri. Id vero verba significare non possunt. Tacit. An. iii. 22 : *Quæsitum per Chaldæos in domum Cæsaris,* ubi Lipsius et suis et Tertul. verbis monet, quam capitale id sit. Varietas tamen lectionis materiam emendandi largam suppeditat. Forte Ovid. scripsit : *irrupit in annos.* Cic. Lig. 5. *irrupere in fletum,* eum interpellare, abrumpere. Tacit. An. iv. 67, *irrupere quietem* eodem sensu. Tum *ante diem,* scilicet fato destinatum, ut Art. Amat. iii. 739 ; Virg. Æneid. iv. 696.

149. *Pietas.*] Amor consanguineorum mutuus ; *victa jacet* graviter dictum, expulsa est. Metaphora petita ab hostibus aut gladiatoribus victis.

150. *Virgo Astræa.*] Justitia, quæ etiam simpliciter *Virgo,* et a Cæsare Germ. *justissima virgo* dicitur. Relicta terra, Jovis in cælo resedit. *Ultima cælestum,* erat enim etiam hoc in auri seculi bonis, ut Dii præsentem homines viderent. Fast. i. 247.

III. Neve foret terris securior arduus æther,
 Adfectasse ferunt regnum cœleste Gigantas;
 Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
 Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
 Fulmine, et excussit subjecto Pelion Ossæ. 155
 Obruta mole sua quum corpora dira jacerent;

151—162. *Neve foret, etc.*] *Gigantomachia*, quam Noster paucis transmittit, Hesiodus plane neglexit. Quæ Homer. Od. λ. 304—19; Apollon. i. 484; Virg. Georg. i. 280—83; Col. Æn. vi. 580; Apollod. I. vii. 4. Otum et Ephialtem, Aloï filios, statura corporis prodigiosa, parasse, et, nisi ab Apolline sagittis confixi essent, perfecturos fuisse scribunt, ea Noster hic, atque Fast. v. 35. a *Gigantibus* facta esse narrat. Verum *Gigantas* Πηγευείς, *Terrigenas*, quos Terra, indignans Jovi ob Titanas in Tartarum coniectos, ex Tartaro peperit, et quorum nomina Schol. Hesiod. ad Th. 185. Hygin. præsert. p. 3. habent, potius in Macedonia saxa atque accensas arbores in cœlum jaculatos esse atque a Cœlicolis, Hercule in societatem adscito, interfectos, alii tradunt, ut Eurip. Ion. 206—18; Apollod. i. 6. Itaque Ovid. duos diversos mythos confudit; in quo forte auctores habuit, aut Pherecydem et Acusilaum, qui illa attigerant, aut priscos poetas, qui Gigantomachias scripserant. Horat. III. Od. iv. 49—63. mythos illos distinguit. In Claudiani Gigantomachia Gigantes et hos et alios montes jaculantur. Vix dubium autem est, quin Olympus ab Ossa terræ motu revulsus originem fabulæ dederit: Strabo, ix. p. 658. Gigantes autem fuisse videntur homines viribus valentes, feroces et insolentes tam in Deum, quam in homines; quorum ferociam prisca ætas, sub sensu omnia vocans, sic expressit, ut corpora immania, et multa brachia, in quibus sedes roboris, iis daret, atque

montes ab iis ad cœlum exstructos fingeret. *Neve, etc.* Sic commode hæc annectuntur antecedentibus. *Arduus*, longe remotus a turbis terrenis, atque etiam difficilis adscensu. Fecerunt autem hoc gigantes impulsu matris, invidentis cœlicolis regnum. *Fulmen* Cyclopes Jovi in Titanomachia ministraverant (Apoll. I. ii. 1.) eoque pro telis deinde in omnibus pugnis usus est.

152. *Adfectasse ferunt regnum cœleste Gigantas.*] Similiter Fast. iii. 439: *Post ausos cælum adfecture Gigantas*; et Pont. IV. Ep. viii. 59: *Adfectantes cœlestia regna Gigantas.*

155. *Subjecto.*] Quoniam non modo apud Hom. atque Propert. II. i. 19. sed etiam apud Nostrum Amor. II. i. 13. montes illi sic collocantur, ut maximo Olympo minor Ossa, et huic minimus Pelion impositus sit; propterea nos non dubitavimus amplecti lect. multorum MSS. ex vetustioribus, quam etiam Barth. ad Statii Theb. x. 846. probat, et a qua tantum in syntaxi aberrant secund. Palat. et unus Bersm. qui habent *subjecto Pelion Ossa.*

156. *Corpora dira.*] Erant enim immania monstra, quibus mater staturam ingentem, centenas manus, quinquagena capita, et pro cruribus angues dederat: Fast. v. 35. De forma illa symbolica, vid. Heyn. *Antiquarischen Aufsætzen*, t. ii. p. 58. *Mole sua*, montibus a se exstructis. Senec: Thyest. ver. 1084. hi tres montes vocantur *tergemina moles.*

Perfusam multo natorum sanguine Terram
 Incaluisse ferunt, calidumque animasse cruorem ;
 Et, ne nulla suæ stirpis monumenta manerent, 159
 In faciem vertisse hominum : sed et illa propago
 Contemtrix Superum, sævæque avidissima cædis,
 Et violenta fuit : scires e sanguine natos.

IV. Quæ pater ut summa vidit Saturnius arce,

157. *Multo—sanguine.*] Heins. ex uno Leid. arridet merito sanguine. Immo in multo causa *incalescendi*; et *multus* esse debebat immanium Gigantum cruor. Pro *Terram* unus Heins. *matrem*, quod præfert Burm. ut sic indicetur, Terræ filios fuisse Gigantas. Immo *Terram natorum* eorum originem declarat certam; *matrem* contra eam dubiam relinquit. Hæc fabulæ pars adfecta propter hominum crudelitatem. *Crudeles sanguine nati* dicebantur: Tibul. I. ii. 39. *Animare*, in animans vertere: iv. 618; xiv. 566. Pro *feræ* revocavi *suæ*, in quo indulgentia materna inest et causa mutationis. Neque, si *feræ* præcessisset, subjici potuisset, *sed et illa*, etc. *In faciem hominum*, in homines, aut in formam hominum, quam Gigantes non habuerant. Sic dicitur facies maris, facies cæli, etc.; adeoque omnis externa species et forma, oculis exposita, facies appellatur. Hinc superficies.

162. *Scires e sanguine natos.*] vi. 22: *Scires a Pallade doctam*. Fast. ii. 419: *Marte satos scires*. Vide Drakenb. ad Sil. v. 279.

163—243. *Lycaon.*] Quam impia illa e Gigantum sanguine orta proles fuerit, commode probatur exemplo Lycaonis, regis Arcadiæ, qui ipsi Jovi, terras visenti, non modo carnes humanas apposuerat, sed etiam insidias struxerat; quam ob impietatem in lupum conversus est. Cf. Hygin. fab. 176. et Apollod. Biblioth. iii. 8;

quo utroque loco filii Lycaonis, quod hic traditur periculum, in Jove facere conantur, quam ob causam ipsi fulmine necantur; pater autem secundum Hygin. in lupum convertitur, secundum Apollod. autem una cum filiis concrematur. Cum Apollod. consentit Schol. Lycophr. ad ver. 481. Pausan. Arcad. p. 600. tradit, Lycaonem, Pelasgi filium. Cecropi æqualem, Jovi sacra Lycæa instituisse, in iisque infantem sacrificasse, eamque ob causam in lupum conversum esse. Id quod paulo propius ad historicam veritatem accedit. Etenim etiam marmor Arundel. i. 31. memorat, Lycaonem, Pandionis, Cecropis filio, æqualem, instituisse Jovi sacra, *Λυκάια* dicta, in quibus homines Deo offerrentur. Atque hæc sacra diu mansisse inter Arcadas, ex antiquo quodam auctore refert. Plin. H. N. viii. 32. Regem justum fuisse eum Suid. in *Λυκάων* narrat; atque etiam ex Pausan. apparet, multa eum inter Arcadas ad vitæ cultum invenisse. Fabulam de mutatione in lupum facile nominis etymon parere potuit. De *λυκανθρωπία* universe Herodot. iv. 105. Plin. d. l. disputant. Fabulam in se tenuem Ovidius tractatione reddidit memorabilem, in eaque exornanda multum ingenii ostendit. Poeta non ipse narrat, quid Lycaon commiserit, sed Jovem Diis convocatis narrantem inducit: quæ inventio multa ornamenta peperit. Sic enim consessus Deorum, Jovisque majestas describi, atque ora-

Ingemit; et, factò nondum vulgata recenti,
 Fæda Lycaoniæ referens convivia mensæ, 165
 Ingentes animo et dignas Jove concipit iras;
 Conciliumque vocat: tenuit mora nulla vocatos.

Est via sublimis, cœlo manifesta sereno,
 Lactea nomen habet; candore notabilis ipso.
 Hac iter est Superis ad magni tecta Tonantis, 170
 Regalemque domum: dextra lævaque Deorum
 Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
 Plebs habitant diversa locis: a fronte potentes

tio commota intexi poterat. Cœlum vr. *arx mundi, arx cœli, arces igneæ*. Vide Brouckh. ad Propert. III. iii. 53. In *summa arce* domus Jovis fuit ii. 306. quæ et ipsa *arx* vr. ver. 673. unde despicit terras. Virgil. *Æn.* i. 223. Apud Homer. Jupiter ἐν ἀκροτάτῃ κορυφῇ Olympi habitat.

165. *Fæda Lycaoniæ . . . mensæ.*] *Fædus victus* de carne humana apud Horat. A. P. 392. Θοῖναν ἀγρίαν θηρῶν vocat Eurip. Hec. 1071. Ut hic *convivia Lycaoniæ mensæ*, sic apud Lucan. ex imitatione Nostri *convivia Ganymedeæ mensæ*, et apud Nostrum xv. *Thyestæ mensæ*, non minus illa fœda, quam Lycaonia. *Referens*: quibus? Deos postea convocat. Num poeta dedit *repetens*, sibi in memoriam revocans? Plin. iii. Ep. 5. 16. Rod. omisit in versione. *Facto recenti*, ut alibi *re recenti*. *Concipi animo* dicuntur, quæ oriuntur in animo, ut ira, furor.

167. *Conciliumque.*] Cum res gravis agenda esset, Jupiter Deos convocare (*ἀγορῆν δεῖ καλεῖσθαι*) solebat (Homer ii. δ. 1. θ. 2. v. 4 sqq; Virgil. *Æneid.* x. i. et sæpe) in primis duodecim magnos, qui erant Consilarii Jovis, et *Consentes* dicebantur. Senec. Nat. Quæst. ii. 41; Arnob. c. Gent. iii. p. 123. Nunc autem etiam reliqui

Dii, audiendi causa, conflunt. Itaque non facile discernere licet, utrum *consilium* an *concilium* legendum sit; nam *consilium* est consensus deliberantium, *concilium* audientium. Vide Ernesti Clav. Cic. voc. *consilium*, et Burm. ad h. l. *Vocare consilium* aut *concilium*, phrasis solemnis.

169. *Lactea nomen habet.*] De circulo illo candido in cœlo, quem γαλαξίαν vocarunt Græci, *lacteam* Latini, mira finxerunt Veteres, ope tuborum optiçorum destituti. Vide Macrob. in Somn. Scip. i. 12. 15; Manil. Astron. i. 748.

170. Sequitur topographia cœli. *Magnus Tonans* etiam ii. 466. Alibi *altitonans*. *Dextra lævaque* refer, non ad *regalem domum*, sed ad *lacteam*. Pro, nobiles habitant, notione speciali et accommodate ad mores Rom. dixit *atria celebrantur*, etc; is enim honor Romæ nobilibus haberi solebat.

173. *Plebs.*] Δαίμονες δεῦτεροι, i. e. secundi ordinis: vide Græv. ad Hesiod. *Epy. 141. Ut Romæ nobiles et plebei, sic etiam in cœlo. Non autem debebat verti *der Poebel*. Ad *plebem* a Nostro in lb. 81. referuntur Fauni, Satyri, Nymphæ, Semidei; sed hi mox, ver. 192. s. ab ea distinguuntur; habitant enim in terris. Inter cives Romanos nonnulli erant *potentes*,

Cœlicolæ, clarique suos posuere penates.

Hic locus est, quem, si verbis audacia detur, 175
Haud timeam magni dixisse Palatia cœli.

Ergo ubi marmoreo Superi sedere recessu,

valentes gratia et auctoritate, atque *clari* vel natalibus vel rebus gestis. Vide Cort. ad Sallust. Cat. 38. i. Sed hi Dii *potentes* differuntne a *nobilibus*, eorumque *penates* ab illorum atriis? Ea opinio fuit Rodii, qui Jovem et Junonem hic intelligi monuit. Sed non ita est. Antea *dextram lævamque* tantum commemoraverat poeta; jam loca accuratius definit: *Plebs habitant diversa locis*, diversis locis (ver. 40.) sed *nobiles seu potentes a fronte*, scilicet regalis domus. Adeo insueverat, *penates* de domo dicere, ut poeta nunc etiam ad Deorum ipsorum domos transtulerit: cf. v. 775. *Ponere domos*, condere; Græce *θεῖσθαι οἰκίας*. *Clarique suos posuere penates*. Hic est aliquid quod a nemine animadversum fuisse demiror, nempe, *potentes clarique*; et tamen quis hoc ferat, nisi qui omni sensu carminis careat et cui res a iudicio male habeat? Alii fortasse melius conjecerint et mihi satis esse debet errorem aperuisse. Legebat Tanaq. Faber, Epist. ii. 69: *A frontepotentes Cœlicolæ sibi quisque suos posuere penates*. Si ita sine libris grassari jus fuerit, quid non refingere licebit ad suum arbitrium? Et hoc est calumniari Veterum loquendi consuetudinem, qui sæpe epitheta talia geminabant, quæ etiam, si arguti esse velimus, inter se differre ostendere liceret. *Clari* enim sunt, vel ob nobiles natales, vel ob res gestas; neque tamen ideo sequitur omnes etiam *claros* esse *potentes*, id est *gratia et potentia* florere in aulis, vel civitate: sic ergo recte distingui possunt. *Potentes* ergo Dii sunt Jovis amici, consilarii; *clari*, qui antiquissimis Diis geniti, non vero

adscripti et recepti postea in cœlum, dii facti; ut patres minorum et majorum gentium Romæ erant. BURM.

175. *Si verbis audacia detur.*] Adulatio in Augustum, cujus domus in monte Palatino *Palatium* dicta est. Constructa autem erat ex pluribus ædificiis minoribus in unius maximi speciem. Et sic comparari cum eo poterat cœlestis illa sedes. Non dixit *haud dubitem*, ut MSS. quidam habent, sed reverentius *timeam*. *Audaciam* suam excusatus, non, ut Lenzius putabat, ut deteriorem Jovis domum palatio Augusti declararet (sordida enim fuisset illa adulatio), sed quia summi Dei domum, quem omni h. l. in maxima majestate collocat, cum humana et terrena comparat. Eadem comparatio et III. Trist. i. 35-38. Jam apud Homer. Od. δ. 74. Telemachus cum Jovis Olympici aula componit Menelai regiam.

176. *Haud timeam.*] Quatuor, *haud dubitem*.

177. *Recessu.*] Junian. *theatro*. Monent Heins. et Burm. et alibi talia loca *theatris* comparari, quia Græci in theatris conventus habuerint. *Ergo*. Post digressionem revocat lectorem ad sententiam abruptam, h. l. ad ver. 166. *Recessus* et *secessus* dicuntur intima ædium conclavia, in quibus negotia arcana tractari solebant. Vide Schwarz. ad Plin. Paneg. 83. i. Sic et vii. 670; xiv. 261. ubi Circe *pulchro sedet recessu Sublimis solio*. *Celsior ipse loco*. Sublimior cæteris, ut reges sedere solent, quo facilius conspiciatur audiaturque ab omnibus. *Sceptroque innixus eburno*. Sceptra veterum regum erant hastilia, aureis æreisque bul-

Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburno,
Terrificam capitis concussit terque quaterque
Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera, movit.

Talibus inde modis ora indignantia solvit: 181

“ Non ego pro mundi regno magis anxius illa
Tempestate fui, qua centum quisque parabant
Injicere anguipedum captivo brachia cœlo.

Nam, quanquam ferus hostis erat, tamen illud ab
uno 185

lis ornata, e ligno aut ebone; *σκηπτρον* a *σκήπτω*. *Innitor*, incumbo. Reges olim vel dextra tenebant *sceptrum* erectum, vel ei *innitebantur*.

179. *Terrificam*—*movit*.] *Expresum* est ex nobilissimo loco Homer. II. a. 529 sqq. Ἀμβρόσια δ' ἄρα χαῖται ἐπεφόσαντο ἀνακτος κρατὸς ἀπ' ἀθανάτου μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὀλυμπον. Ibi *Olympum* tantum movet, quia nil nisi annuit capite: sed hic graviter *indignans* ita caput concutit, ut *terra, mare, sidera* tremant: quanquam apud Catull. 63. 203. nutus eandem vim habet: *Tellus atque horrida contremuerunt Æquora, concussitque micantia sidera mundus*. Hæc loca sublimitatis laudem merentur, feriuntque animum, licet Noster vim illam, adjecto *terque quaterque*, fregerit. *Magnificam* autem illam sententiam transtulit et ad alios, viii. 780. ad *Cererem*; II ex *Pont.* ii. 65. ad *Augustum* adeo, quum *vultus remiserit illos, Qui secum terras imperiumque movent*. Hic *movent* est, regunt; sed nostro loco *movit*, tremefecit, ut *Horat.* III. Od. i. 8. *Jupiter cuncta supercilio movens. Concussio signum indignationis*, ut ii. 849. *cum qua, qua concussa*. Nota autem gravem sonum, qua omni h. l. verba incedunt, quo etiam *asyneton* in *terram*, etc. multum confert.

182. *Non ego pro mundi, etc.*] Quæ
VOL. III.

sequitur oratio, et iram spirat, et gravitati Jovis convenit. *Majestati Jovis* conveniunt illa, quæ de regno mundi, de puniendis sceleribus, de novis incolis terræ dandis, de imperio suo in Deos, loquitur. *Indignitatem* rei commode per *comparationem* cum Gigantum conatu (quem lector modo cognovit) ostendit; erat enim et hoc, crimen læsæ majestatis divinæ. Ut autem ille conatus justam ministraret mensuram, gravissimis eum verbis describit. *Anxium* illum animum commemorat etiam *Hor.* III. Od. iv. 49: *turma Gigantum magnum terrorem intulerat, fidens brachiis*. Itaque et hic formula *brachia injicere* cum delectu adhibita.

183. *Qua centum*—*brachia, etc.*] *Centum* manus. Unde et gigantes *centimani* a centum manibus vocantur. Alludere autem poeta videtur ad *Briareum* gigantem et *Cottum* et *Gygen* illius fratres, quos *Hesiod.* in *Theogonia* singulos centum manus habuisse ait. *Anguipedes, δρακοντόποδες*. *Trist.* IV. vii. 17. *serpentipedes*. *Captivo*, quod capere conabantur. *Incipit magis anxius*, sequi debebat, *quam nunc*; sed hoc iratus omisit.

185. *Ferus hostis*.] Ἄγριοι θεοὶ vocantur gigantes: *feri gigantes*, *Sen. Œdip.* 90. *Ab uno corpore*. Erat una cohors, quæ conjunctis viribus *Superis* bellum inferebat.

E

Corpore, et ex una pendebat origine bellum.
 Nunc mihi, qua totum Nereus circumtonat orbem,
 Perdendum mortale genus : per flumina juro
 Infera, sub terras Stygio labentia luco,
 Cuncta prius tentata : sed immedicabile vulnus
 Ense recidendum, ne pars sincera trahatur. 191
 Sunt mihi Semidei; sunt rustica numina, Nymphæ,
 Faunique, Satyrique, et monticolæ Silvani :
 Quos quoniam cœli nondum dignamur honore,
 Quas dedimus, certe terras habitare sinamus. 195
 An satis, o Superi, tutos fore creditis illos,
 Quum mihi, qui fulmen, qui vos habeoque regoque,
 Struxerit insidias, notus feritate Lycaon?"
 Confremuere omnes, studiisque ardentibus ausum

187. *Qua—orbem.*] Quam late Oceanus terram ambit, quam late terra patet : cf. Heroid. ix. 14; Fast. v. 85. *Nereus*, Deus marinus, unus ex antiquissimis: Hesiod. Theog. 233. *Circumtonare* bene de strepitu undarum; mare enim est *πολύφλοισβον*. Ut h. l. *Nereus circumtonans*, sic Hesiod. Theogon. 441. *ἐρίκτυπος* Neptunus: et ap. Homer. h. Mer. 187. Neptunus *ἐρισφάραγος*.

188. Unum Styga circumloquitur. *Labentia* dixit, quia *labi* solemne de fluviis, quanquam pr. celerem eorum decursum exprimit, qui non convenit Stygi, pigræ paludi. *Immedicabile*, etc. Talis sententia vim argumenti habet. *Vulnus*, membrum vulnere morbidum: xv. 93. *vulnera mandere*, carnes bestiarum vulneratarum. *Ensis*, ferrum medicorum. Grave hoc voc. ira suppeditavit. Etiam Rutil. Itin. i. 311. dixit, notante Burm. *ense recidere malum*. *Sincera*, integra, ut xii. 99; contra Virg. Georg. iv. 284. *crur insincerus*, corruptus putredine. Integra autem pars sunt Fauni et reli-

qua numina in terris; humanum enim genus omne perdendum erat. *Traha-tur*, a vitata parte inficiatur: ii. 826.

192. *Semidei, ἡμίθεοι*, dicuntur etiam *heroes*, et erant infima dignitate, inferiores etiam numinibus rusticis: vide Cuper. Observ. iii. 16. De *Nymphis* per terram habitantibus, vide Hesiod. Theog. 129. 364. *Satyri* inventum Græcorum. *Fauni* in Italia originem habent, postquam *Faunus*, Pici filius, quartus Italiæ rex, ob merita in rem rusticam inter Deos relatus erat. Illis tribuebantur pedes caprini, his non. Sæpe vero hæc numinum genera confunduntur. Vide omnino Heyn, in libro *Antiquarische Aufsætzte*. t. ii. p. 53 sqq. et in Excurs. v. ad Æn. viii. p. 125. *Silvanus* alibi non nisi unus, etiam xiv. 637. in simili catalogo. *Habitare*, nempe tuto.

197. Se describit Deum summum. *Fulmen*, insigne summi imperii. *Habere*, ut Græc. *ἔχειν*, in potestate sua habere. Referri igitur et ad fulmen et ad Deos potest.

199. *Confremuere omnes*, etc.] Hic

Talia deposcunt: sic, quum manus impia sævit 200
 Sanguine Cæsareo Romanum exstinguere nomen,
 Attonitum tantæ subito terrore ruinæ
 Humanum genus est; totusque perhorruit orbis.
 Nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum,
 Quam fuit illa Jovi. Qui postquam voce manumque
 Murmura compressit; tenuere silentia cuncti. 206
 Substitit ut clamor, pressus gravitate regentis,
 Jupiter hoc iterum sermone silentia rumpit:
 “ Ille quidem pœnas, curam hanc dimittite, solvit:

commode abrumpit orationem Jovis, et sensus reliquorum Deorum interponit. Etenim hæc interpellatio et majestati Jovis et indignitati sceleris admissi augendæ inservit. Vix audiunt Dii insidias Jovi structas, quum omnes commoventur. *Confremere* de vocibus promiscuis concitata multitudinis. *Studium*, impetus animi, quo aliquid vel aversamur, vel appetimus. *Deposcunt*, scilicet ad supplicium; quo sensu proprie *deposcere*: Drakenb. ad Sil. iii. 202.

200. *Manus impia.*] Sexaginta illi, qui C. Cassio, M. et D. Brutis principibus conspiraverant contra vitam Cæsaris: Sueton. Cæs. 80. Solemne erat Romanis, Cæsarem cum Jove atque imperium Rom. cum regno Deorum comparare: xv. 858—60; Fast. ii. 130; Horat. I. Od. xii. 49—60; III. Od. v. 1—5. Hinc et hæc comparatio fluxit, in qua verba bene delecta, *impia*: Virgil Georg. i. 468. ob idem facinus *impia secula*. *Sævità* exstinguere, ardet sævità exstinguendi. Hor. I. Od. xv. 27. *furit te reperire*. *Nomen Roman.* imperium Rom. ut sæpe. Auger: autem poeta rem in adulationem Augusti, quasi Cæsare interfecto metuendum fuerit, ne totum imperium Rom. everteretur.

202. *Ruinæ.*] *Ruinam* Lenzius int. nominis Rom. Potest et ad Cæsarem

referri; dicitur enim non minus de hominum magnorum, quam rerum interitu. Horat. II. Od. xvii. 8. de sua et Mæcenatis morte instante, *ille dies utramque ducet ruinam*. *Tuorum*, populi Romani Cæsaris necem vindicantis. Cæterum Rodius monet intelligi conspirationem contra vitam Augusti, quod et alii olim putarunt.

203. *Humanum genus et totum orbem* nominat, quia omnes fere gentes parebant imperio Rom. et sic ad omnes pertinebat Cæsaris interitus.

205. *Qui postquam voce*, etc.] Inest in his verbis aliquid tautologiæ; et varie olim lecta sunt: vide Varr. lect.

207. *Pressus.*] Idem quam compressus. Interdum auctor post compositum repetit verb. simplex: ver. 158. *inealuisse, calidumque*.

209. *Dimittite.*] *Dimittimus* ea, quæ ejicimus ex animo, quorum obliviscimur. *Tempus*, perversitas hominum hujus temporis. Apud Apollod. filiorum Lycaonis impietas movet Jovem, ut in terram delabatur. Sed Noster, qui Deucalionis diluvium cum hoc mytho conjungere voluit, latiore impietatem commemoravit. *Delabi* solemne de descensu Deorum in terras. *Lustrare*, obire circumspectiendi causa: xii. 527. *Sub imagine*, adsumta forma: ii. 805. Mercenarii formam Apollod. memorat. *Minor*

Quod tamen admissum, quæ sit vindicta, docebo.
 Contigerat nostras infamia temporis aures: 211
 Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo,
 Et Deus humana lustris sub imagine terras.
 Longa mora est, quantum noxæ sit ubique repertum,
 Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero. 215
 Mænala transieram, latebris horrenda ferarum,
 Et cum Cyllene gelidi pineta Lycæi.
 Arcados hinc sedes et inhospita tecta tyranni
 Ingredior, traherent quum sera crepuscula noctem.
 Signa dedi venisse Deum; vulgusque precari 220
 Cœperat: irridet primo pia vota Lycaon.
 Mox, ait, experiar, Deus hic, discrimine aperto,
 An sit mortalis; nec erit dubitabile verum.
 Nocte gravem somno nec opina perdere morte
 Me parat: hæc illi placet experientia veri. 225

vero. Majora namque scelera et plura ab Jove deprehensa fuere, quam ferebantur.

210. *Quod tamen admissum.*] Duo Jupiter docere vult, quale admissum et qualis pœna.

216. *Mænala transieram.*] Montium horum nomina commemorare voluit, quia illi in Arcadia celeberrimi. *Mænalus* pinibus abundabat, et plenus erat lyncum, ursorum, aprorum, aliarumque ferarum: Virgil. Ecl. X. xiv. 15; vid. Spanhem. ad Callim. h. Dian. 89. Neque tamen illud *latebris horrenda ferarum*, nunc ad rem pertinebat. *Lycæus*, pinifer et ipse; nam pinus frequens in Arcadia arbor. *Gelidus* frequens montium epitheton, partim ob altitudinem, partim ob arborum umbram. *Lycæi*. Montis Arcadiæ, cujus regem proleptice nuncupat poeta Arcada, quum Arcadia postea dicta sit, ab Arcade filio Callistis, quæ filia erat Lycaonis. *Et cum Cyllene*, mons Arcadiæ Mercurio

dicatus; unde etiam Cyllenius appellatur.

218. *Sedes* vel i. q. *tecta*, vel vicus; viciatim enim habitabant Arcades. *Inhospita*, hospites enim noctu trucidare conatur, quod summum nefas: Horat. II. Od. vii. 7. Contra *hospita tellus*, ubi hospites benigne tractantur, infra iii. 637. Alias *inhospita* loca, ubi nemo habitat, neque adeo cuiquam hospitium præbetur: Virg. Æn. iv. 41; Horat. I. Od. xxvi. 6.

219. *Traherunt quum sera.*] Quum nox jam ingrueret. Ornate poetæ plerumque tempus designant; sed Noster maluit suaviter, eleganter verbo *traherent* posito.

221. *Vota.*] Preces. *Dubitabile*, dubium; vox, ut videtur, ab ipso Ovidio signata, ut aliæ multæ: occurrit et xiii. 21. *Gravem somno*, gravi somno oppressum, *βεβαρημένον εἰς ὑπνον*.

225. Pro *veri* Medic. *rerum*, quod placet Heins. qui non sensit, voluisse

Nec contentus eo, missi de gente Molossa
 Obsidis unius jugulum mucrone resolvit:
 Atque ita semineces partim ferventibus artus
 Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.
 Quos simul imposuit mensis; ego vindice flamma
 In domino dignos everti tecta Penates. 231
 Territus ille fugit; nactusque silentia ruris
 Exululat, frustra loqui conatur: ab ipso
 Colligit os rabiem, solitæque cupidine cædis

Nostrum invidiose repetere ipsa Lycaonis verba. Ille autem dixerat *Experiar*, nec verum erit dub.

226. *Molassi*, in Epiro, apud quos Dodonæi Jovis templum: Plin. H. N. IV. i. Hæc de obside Molosso Ovid. ut videtur, de suo addidit, sed contra fidem. Nam, ut mittam illos a Molosso demum, Neoptolemi filio, nominatos esse, quis credat, quod jam Burm. monuit, illa ætate tam longinqua bella esse gesta? Apollodor. narrat, fuisse *ἕνα τῶν ἐπιχορίων παιδα*, cujus carnes Jovi apposuerit tyrannus; alii rursus Nyctimum nominant, ipsius Lycaonis filium, aut Arcada nepotem: vide Munker. ad Hygin. fab. 176.

228. *Atque ita*.] Quo facto, postea, ut 377; iii. 22. et passim. *Semineces*, palpantes adhuc: *Trementia frusta* dixit Virg. Æn. i. 212. Carnibus aqua *mollitis* s. elixis post heroicum demum tempus homines vesci cœperunt, quum antea *tostis* duntaxat uterentur.

230. *Quos simul imposuit mensis*.] Hoc Hyginus, lib. ii. tit. Arctophylax, refert de Arcade Callistonis filio, cæso a Lycaone; verum idem, in fab. 176. narrat Lycaonis filios Jovem tentaturos, Deus ne esset, carnem humanam cum alia mistam ei in epulo apposuisse: quod itidem trahit Apollodorus, lib. iii. Natal. comes, lib. ix. cap. ix. scribit Lycaonem in lupum versum,

quod in ara Jovis Lycaei, infante necato, humanum sanguinem libaverat. Boccatius refert Lycaonem obsidem a Molossis devictis sibi datum, eorundem legatis repetentibus edendum apposuisse. Aliter Clemens Alex. Admonit. ad gentes. Aliter Pausanias in Atticis.

231. *In domino dignos*, etc.] Ordo verborum est hic: *Everti tecta in penates dignos domino*, everti tecta et conjeci in penates æque improbos ac dominos. Transmoveri ita præpositiones a poetis, docet Gronov. Obs. iii. 19. *Vindex flamma*, fulmen, quo ulcisci Jupiter scelera solet.

233. *Frustra loqui conatur*.] Etiam in aliis transformatis studium tentandi loquelam manet, 637; ii. 483; iii. 201. 229 sqq. *Exululat*. Valde ululat. *Ab ipso colligit*, etc. Quia, inquit, loqui non poterat, in *rabiem* actus est, quam ab hominibus in *pecudes* transtulit. *Rabies ventris*, βουλεμία, propria est luporum: vide Burm. ad Phædr. i. fab. iii. Ea nunc non aliunde arcessenda erat, sed *ab ipso* Lycaone colligitur, et *ori*, faucibus, inditur, unde lupo *improba faux* tribuitur Phædr. d. l. Antea homines interfecerat, nunc rabiem suam *vertit*, transfert, in *pecudes*, oves imprimis, quæ proprie *pecudes*, unde *latro, raptor* et μηλοφόρος dicitur.

234. *Cupidine vertitur*, pro vul-

Vertitur in pecudes: et nunc quoque sanguine
gaudet. 235

In villos abeunt vestes, in crura lacerti;
Fit lupus, et veteris servat vestigia formæ;
Canities eadem est, eadem violentia vultu;
Idem oculi lucent, eadem feritatis imago.
Occidit una domus: sed non domus una perire 240
Digna fuit; qua terra patet, fera regnat Erinnyis.
In facinus jurasse putes: dent ocius omnes,
Quas meruere pati (sic stat sententia) pœnas."

Dicta Jovis pars voce probant, stimulosque fu-
Adjiciunt; alii partes adsensibus implent. [renti
Est tamen humani generis jactura dolori 246
Omnibus: et, quæ sit terræ, mortalibus orbæ,
Forma futura, rogant? quis sit laturus in aras

gari, cupidinem vertit. Hoc plus est, quam, quod alii habent, *utitur*; indicat enim, eum jam ante crudelem fuisse.

237. *Servat.*] Illa *vestigia*, ut nitorem Daphne, ver. 552. speciem candidam Io, ver. 612. *Canities* proprie non nisi hominibus et equis tribuitur: Plin. H. N. xi. 37. Sed h. l. intelligitur color cinereus, quem referunt villi lupini. Hinc *πολιοὶ λύκοι*, ut apud Homer. Π. κ. 334. ubi Schol. *πολιός* interpretatur *τεφρώδης*, i. e. cinereus. *Oculi* lupi etiam in tenebris *lucent*.

241. *Fera regnat Erinnyis.*] Homines furunt impietate. Furix enim homines in furorem et in scelera compellunt. *Erinnyis ἀπὸ τοῦ ἐριννύειν*, ab irascendo, dicta: Pausan. viii. p. 649. *Fera regnat Erinnyis*. Plena sunt omnia scelereum. De Erinnybus Fusc. Natalis, lib. iii. cap. x. Eadem sunt *Furia*, *Eumenides*, *Erinnyes*.

243. *Stat sententia.*] Certo decre-

tum est. Apud Virg. *Æn.* i. 582. eodem tropo, *surgit sententia*.

244. *Pars—alii*, etiam solutæ orationis scriptores amant: vide Cort. ad Sallust. *Catil.* II. i. *Voce*, oratione; alii contra orationem habentibus *assentiuntur*, ut fieri solebat in senatu Romano, ubi triplex assentiendi modus, verbis, nutu et sublata manu, pedibus: vide Cort. ad Sallust. *Catil.* L. 4. *Stimulos adjicere*, magis etiam irritare, metaphora a bubus ducta. *Furere* et *furor* proprie de iratis: vide Burm. Sed nec illa irritatio, nec formula, qua expressa est, satis digna videtur Jovis majestate. *Partes implent*, addunt se partibus ejus adsensu suo. Sed, ut fit, restat scrupulus, quem sibi eximendum Jovi proponunt. *Est tamen humani generis jactura*. Scribit Plato omnia hominum causa procreata; homines propter Deos, ut hi cognoscantur, ab eis implorentur et colantur.

248. *Quis sit laturus*, etc.] Priscis

Tura? ferisne paret populandas tradere terras?
 Talia quærentes (sibi enim fore cetera curæ) 250
 Rex Superum trepidare vetat, sobolemque priori
 Dissimilem populo promittit origine mira.

V. Jamque erat in totas sparsurus fulmina terras;
 Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus æther
 Conciperet flammæ, longusque ardesceret axis. 255
 Esse quoque in fati reminiscitur, adfore tempus,

temporibus *tura* nondum adhibebantur in sacris, quippe ignota, sed eorum loco *fur*: vid. Plin. H. N. XIII. i; Arnob. c. Gentes, lib. vii. p. 231 sqq. Itaque Ovidius h. l. ut sæpe, ex more suæ ætatis locutus est. Phrases solemnes sunt *dare* et *ferre tus*: vid. Brison. de Form. i. pag. 25.

249. *Terras.*] Revocavi *terras*; non enim hic, ut Burm. putabat, de pœna sermo est, qua *paret* i. e. velit humanum genus perdere; sed, quæ forma *terræ* futura sit, quæritur, deletis hominibus. *Trepidare*, sollicitos esse.

253—415. *Jamque erat in totas, etc.*] Placuit ergo genus humanum *diluvio* (*κατακλυσµῶ*) perdere. Hoc describitur. Sed duo, qui cæteris antecellebant pietate, servantur, *Deucalion*, Promethei et Pandoræ filius, et *Pyrrha*, ejus conjux, Epimethei filia. Hi lapidibus jussu Themidis jactis genus humanum restituitur: cf. Apollod. I. vii. 2; Hygin. fab. 153. Etiam Apollod. III. viii. 2. et Schol. Eurip. ad Orest. 1646. hoc diluvium post et propter Lycaonis vel filiorum facinus immissum narrant. Noster igitur has fabulas ita conjunxit, ut pro una haberi possint. Nos tamen sejunximus, ut sunt diversæ loco et tempore. Res autem sic habet. *Deucalion*, a. 1574 ante æram Christ. tempore Cranai, ex Asia venit in Græciam, et subjecit sibi Lycoream ad Parnassum: vide Marmor Arundel. i. init. Hujus ætate fluvii Thessaliæ, copiosis imbribus auc-

ti, ripas egressi sunt, magnamque Thessaliæ et vicinitatis partem vastarunt: Apollod. d. l. et Aristot. Meteor. i. 14. *Deucalion* vero, qui effugerat illam cladem, et fortasse in Parnassum se receperat, mox Athenas venit ad Cranaum, Jovique Phyxio ob salutem præstitam templum excitavit: vide Marmor. Arund. i. 7. Diluvium ergo illud *Deucalioneum* ad partem tantum Græciæ pertinuit; sed quum Græci per colonos Phœnicios aliquid accepissent de diluvio Noachico universali, accommodarunt ei *Deucalioneum*. Itaque et Romani putaverunt, illam inundationem ad Italiam quoque pertinuisse: Plin. H. N. iii. 14. *Deucalion* vero habebatur generis humani restaurator, partim quia dispersos homines collegit (Justin II. vi. 11.) partim quia copiosissimam prolem reliquit: vide omnino Goguet. *über den Ursprung der Gesetze*, etc. tom. ii. p. 23 sqq.

254. *Sacer, etc.*] Quia cælum sedes Deorum. Etiam Græcis dicitur *ἱερός αἰθέρος*: vide Valken. Diatrib. Eurip. p. 49. *Longus*, ut, 123. *longi sulci*, et, 136. *longus limes*.

256. *Esse quoque in fati.*] Deflagrationem mundi futuram, inquit Lactantius, lib. de Ira Dei, cap. xxiii. vaticinata est Sibylla; subjicitque ibidem tres hosce Ovidius versus. Quod et Senec. præscivit, Consolat. ad Marciam, sub ipsa calce libri: “Quum tempus advenerit, quo se mundus re-

Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa labore.

Tela reponuntur, manibus fabricata Cycloperum :

Pœna placet diversa, genus mortale sub undis 260

Perdere, et ex omni nimbos dimittere cœlo.

Protinus Æoliis Aquilonem claudit in antris,

Et quæcumque fugant inductas flamina nubes ;

novaturus extinguat, etc. et omni flagrante materia uno igne, quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit." Idem Natur. Quæstionum, lib. iii. cap. xxviii : " Qua ratione, inquis ? Eadem, qua conflagratio futura est : utrumque sit, quum Deo visum ordiri meliora, vetera finire. Aqua et ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, et ex his interitus est," etc.

257. Dogma Stoicorum, sidera nutritri humoribus, quibus absumtis totum arsurum mundum : Cicer. N. D. ii. 46 ; Senec. Cons. ad Marc. 26 ; N. Q. III. xiii. 28 ; Minuc. Fel. 34 ; Lactant. de Ira, 23. Commodus poeta hoc in suam rem vertit. *Correpta*, scilicet flammis. *Mundi moles* non de solo cœlo ceperim cum Gesnero, sed de toto universo. Antea partes mundi nominaverat, nunc ponit universum. Lucr. v. 96 : *multosque per annos Sustainata ruet moles et machina mundi*. Sed etiam in *operosa* dissentiant Interpretes. Gesnerus explicat, cœlum, quod in perpetuo motu est. Ego vero malim cum Schirachio, mundum magno artificio fabricatum intelligere. Nam sic etiam Seneca intellexit, qui in Epigr. Catal. Pith. p. 31. hunc nostrum locum imitatus est : *moles pulcherrima cœli Ardebit flammis repente suis*. Et infra xv. 666. *templa operosa* sunt artificiose structa.

258. *Laboret.*] Corruat. Lucret. i. 849. *laborare et perire* conjunxit.

259. *Tela.*] Fulmina, Δὸς βέλῃ. Hinc Jupiter fulmina ἀκοντίζει, et

jaculatur. Diversa. Senec. N. Q. iii. 28 extr.

262. *Protinus Æoliis*, etc.] Locus præclarus cujus inventionem poeticam intelliges, si simplicem cogitaveris narrationem : nimbi delapsi sunt, amnes exundarunt, oceanusque obruit terram. Illa vero mirum in modum animantur, quum *Notus* Deus inducitur, *Iris* nubes alit, *Neptunus* Jovem adjuvat, *Deosque* amnium convocat, etc. Cæterum nec hic locus ad phisicas rationes subtiliter exigendus. Ad illas de diluvio disputat Seneca N. Q. iii. 27. *Aquilo*, quia pellit nubes, apud poetas *clarus* et ἀθρογενέτης. In una ex insulis Æoliis fuit Æoli sedes. Is ventos vel in utre, ut placet Homero Od. κ. i. sqq., vel, quod plus dignitatis habet, atque etiam a Virg. Æn. i. 52. prælatum est, in vasto antro inclusos tenet ; cavernæ enim subterraneæ plenæ sunt ventorum. Ipse sedet in cacumine montis, et, prout postulat salus mundi, ventos vel coercet, vel emittit. Quo poætæ nil aliud significare voluerunt, nisi hoc, et utilitatem et vim ventorum esse tantam, ut hi quoque curæ divinæ subjecti esse videntur ; id quod accommodarunt puerilibus ideis antiquissimorum et rudium hominum. H. I. Jupiter ipse imperium exercet in ventos, ut apud Hor. I. Od. xiii. 3. Nereus. *Induci* proprie dicuntur colores a pictoribus : hinc eleganter transferretur ad *nubes*, ut alibi ad *caliginem* et *noctem*. Horat. I. Sat. v. 4. *inducere terris umbras*.

Emittitque Notum : madidis Notus evolat alis,
 Terribilem picea tectus caligine vultum : 265
 Barba gravis nimbis ; canis fluit unda capillis ;
 Fronte sedent nebulae ; rorant pennaeque, sinus-
 Utque manu lata pendentia nubila pressit, [que :
 Fit fragor ; hinc densi funduntur ab aethere nimbi.
 Nuntia Junonis varios induta colores, 270
 Concipit Iris aquas, alimenta que nubibus adfert.
 Sternuntur segetes, et deplorata coloni
 Vota jacent, longique labor perit irritus anni.
 Nec caelo contenta suo Jovis ira : sed illum
 Cæruleus frater juvat auxiliariis undis. 275

264. *Notum.*] *Notus* est Deus, cujus faciem truculentam exhibebant pictores: vid. Spencius Polym. Dial. xiii. atque etiam h. l. satis *terribilis* apparet. Hunc emittit, quia pluviam concitat, unde *humidus* et *pluvius* dr. Itaque et in hac descriptione allegorica, eaque excellentissima, omnes ejus partes *madidæ* et *caliginosæ*. In eadem observa etiam gravem verborum sonum: *gravis*, gravata, referta, ut ver. 443. *Sedent*, apparent: ii. 774. *sedet in ore pallor*. *Rorant* poetis ea, unde aqua, etiam copiosa, defluit: ver. 339. *Sinus*, pectus.

268. *Pressit* aquarum descendentium copiam indicat. *Pressit*. Veluti spongiam ebriam: *lata*, quia Deus; Diis enim magna membra tribuuntur: *pendentia* e rei natura. Virgil. Georg. i. 214; *nubila pendent*.

271. *Iris.*] Ea tempore pluvio cornibus suis aquas haurire credebatur: vid. Cerda ad Virg. Georg. i. 380. *Concipit* exquisitius quam, colligit. Non bene autem hoc Iridis auxilium est insertum: quum enim terra aquis obruenda esset, non debebat Iris inde aquas haurire.

272. *Sternuntur segetes*, etc.] Cf. VOL. III.

Homer. Il. E. 92; Virg. d. l. 325. et Æn. ii. 496. 305. Singula verba delecta sunt ad misericordiam commovendam. *Sata* vocantur *vota coloni*, quæ nunc jacent *deplorata*, quibus succurri nullo remedio potest. Per *longum* annum multos labores exhausserunt coloni; sed, postquam diu exspectarunt largam messem, omnis ille *labor irritus perit*: *labor anni* est etiam Virg. Georg. ii. 514. ubi Heyn. intelligit proventum ex labore annuo. Etiam Plin. Pan. 81. *agrestium labor* eo sensu, aut certe ipsi agri agriculturalum labore culti. Sed h. l. ne idem ter dicatur, rectius de labore per annum exhausto capies. *Alias labores boum* aut *mortalium* in similibus descriptionibus commemorantur. Annus pro consilio poetæ mox dicitur *brevis*, mox *longus*, ut h. l.; aut *magnus*, Æn. iii. 284.

274. *Suo.*] Quod ei contigit in notissima illa mundi divisione. Eo contentus fuit secundum Apollod. I. vii. 2. Pluvii, *ὕετιος*, *ὀμβρίου*, *Jovis* species etiam in nummis occurrit: vide Spanhem. ad Aristoph. Nub. v. 370.

275. *Frater caruleus*, Neptunus. Omnia enim, quæ in mari sunt, poetis

F

Convocat hic amnes; qui postquam tecta tyranni
 Intravere sui, " Non est hortamine longo
 Nunc, ait, utendum: vires effundite vestras.
 Sic opus est; aperite domos, ac, mole remota,
 Fluminibus vestris totas immittite habenas." 280
 Jusserat: hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
 Et defrenato volvuntur in æquora cursu.
 Ipse tridente suo terram percussit: at illa
 Intremuit, motuque sinus patefecit aquarum. 284
 Exspatiata ruunt per apertos flumina campos;
 Cumque satis arbusta simul, pecudesque, virosque,
 Tectaque; cumque suis rapiunt penetralia sacris.
 Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
 Indejecta malo, culmen tamen altior hujus 289

cærulea aut *viridia* dicuntur. In nomine *frater* latet causa promti auxilii: *auxiliaribus undis*, tanquam auxiliariibus copiis. Præclara idea.

276. *Amnes.*] Sunt Dii, qui habitant in fontibus amnium, qui fontes hanc ob causam mox vocantur *domus*. Hos *convocat*, ut imperator prætorium, iisque breviter, more imperatorum, mandata dat. *Amnes* autem, quoniam se in mare exonerant, *tyrannidi*, imperio Neptuni subjecti sunt.

278. *Vires*, aquas, *Moles*, terra et saxa quibus coerctetur foramen, unde fluvius exit. *Totas habenas*. Translatio ab equis sumpta, qui habenis inhibentur. *Immittere habenas* passim usurpatur a poetis, ubi durior ejus usus videri possit: Virg. *Æn.* v. 662. de igne, *furit immissis Vulcanus habenis*; Lucret. v. 785. *arbores immissis habenis* per auras crescunt. Est autem *immittere* id. q. *admittere*, *laxare*: Virg. *Æn.* i. 63. *ventis laxas habenas dare*. Idem tropus mox in *defrenato cursu*.

281. *Ora.*] Foramina fontium. *Relaxant*, ut tanto major vis aquarum

prorumpere possit. *Fontibus ora*. In fluviis dicuntur ostia. *Aditus domorum* et *limina* etiam *ora* dicuntur; uti partes domus membra a Plin. vocantur. Virg. *Æn.* vi. ver. 53: "dehiscent Attonitæ magna ora domus."

283. *Ipse*, ut *αὐτός*, de domino eorum, de quibus sermo, dicitur. *Tridens*. *Τρίαινα*, insigne Neptuni et *θαλασσοκρατίας*, haud dubie propterea, quod mare tertiam regionem obtinet, etsi alii aliter: vide Plutarch. de Isid. p. 581. Reisk. Tridente solet et potest Neptunus *percutere terram*, unde *κνηγῆς γῆς, σεισίχθων, γαιήοχος*, etc. dicitur: vide Spanhem. ad Callim. h. Del. 30, 31. *Sinus aquarum*, cavernas aquis repletas. Virg. *Georg.* iv. 364. *vocat speluncis lacus clausos*.

285. *Locus adumbratus* ex Virgil. *Æn.* ii. 496.

287. *Sacris.*] *Sacra*, simulacra Penatum quorum sacraria erant *penetralia*. Vid. Cerda ad Virg. *Æn.* ii. 293. et Heyn. Exc. ix. *Manere, μενειν*, dicuntur quæ statum suum servant immota: Liv. xxi. 58.

Unda tegit, pressæque labant sub gurgite turres.
 Jamque mare et tellus nullum discrimen habebant.
 Omnia pontus erant ; deerant quoque litora ponto.
 Occupat hic collem : cymba sedet alter adunca,
 Et ducit remos illic, ubi nuper arârat.
 Ille supra segetes, aut mersæ culmina villæ, 295
 Navigat ; hic summa piscem deprendit in ulmo.
 Figitur in viridi, si fors tulit, ancora prato ;
 Aut subjecta terunt curvæ vineta carinæ.

290. *Turres.*] Arces regum beatorumque hominum altiores, aut ædificia in montibus exstructa: tales turres, quales nos habemus, ignoravit prisca ætas.

292—308. *Omnia pontus erant.*] Laudat Burm. Anthol. lib. II. cap. xl. 234. ubi de hoc diluvio, ὄδωρ ὄρε πάντ' ἐγενήθη. *Deerant*, etc. Hæc verba vix ferri possunt; adeo languent post antecedentia! Sed in omni seq. loco accusanda est luxuries ingenii Ovidiani, propter nimiam longitudinem, propter minutias, quas sectatur, et quod nonnulla prope jocosâ admixta sunt, quæ abhorrent a tantæ cladis descriptione. Vere Senec. N. Q. iii. 27. ubi h. l. recenset: *Pro magnitudine rei dixit*; *Omnia pontus, etc. nisi tantum impetum ingenii et materiæ pueriles ineptias reduxisset*: *Nat lupus*, etc. *Non est res satis sobria, lascivire devorato orbe terrarum. Exspatiata, etc. Magnifice hoc, si non curavit quid oves et lupi faciant. Nutari autem in diluvio potest?* etc. Primas autem h. l. lineas Hor. I. Od. ii. 6—12. duxit, qui et ipse jam antiquis Criticis displicuit. Porph. ad illum locum: *Leviter*, inquit, *in re tam atroci et piscium et palumbarum meminit. Iisdem vitiiis infra ii. fab. 1. incendii descriptio laborat. Spero me habere quo Nostrum ab hac sugillatione asse-*

ram; idque principis poetarum exemplo. Neque enim hic, alibi forte, lascivit, sed serio et sobrie curat quid agat lupus inter oves; ut qui salutis suæ satagat non respiciens prædam, sibi prospiciat, rapinæ utique immemor. Virgil. Georg. lib. iii. ver. 537. in hypotyposi diræ et omnia populantis pestis, post tauros, equos, sues, homines, hostias lue abreptas, adjicit et feras rapinæ, præ langore, immemores, promiscue inter assuetas prædas obambulare: *Non lupus insidias explorat ovilia circum, Nec gregibus nocturnus obambulat*; quare? *acrior illum Cura domat: timidi damæ, cervique fugaces, Nunc interque cunes, et circum tecta vagantur.*

295—298. *Ille supra segetes.*] Jam incipit omnes fere rei rusticæ partes putide recensere. *Summa*, etc. ex Horat. d. l. *Piscium et summa genus hæsit ulmo.* Ovid. ineptius etiam hoc expressit. *Si fors tulit*, forte fortuna, Græca locutio, εἰ τὸ ἄχαι: vide Muret. Varr. lectt. xvi. 9. et Mor. ad Longin. xiv. Sic sensus: *Tam alta erat unda, ut ancora ejecta vix figi posset, aut, si fors tulit, si forte figi potuit, figebatur in prato.* Sine causa Schirachium offendeat τὸ viride. Quanquam enim pratum aqua tectum non poterat cerni viride, lector tamen id cogitare potest; et si neges, vim h. l. ei inesse,

Et, modo qua graciles gramen carpsere capellæ,
 Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocæ. 300
 Mirantur sub aqua lucos, urbesque, domosque
 Nereides; silvasque tenent delphines, et altis
 Incursant ramis, agitataque robora pulsant.
 Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones;
 Unda vehit tigres: nec vires fulminis apro, 305
 Crura nec ablato prosunt velocia cervo:
 Quæsitisque diu terris, ubi sidere detur,
 In mare lassatis volucris vaga decedit alis.
 Obruerat tumulos immensa licentia ponti,

putes ornatus causa additum, ut sit ex eodem genere, ex quo *fulvi* leones, *graciles* capellæ et alia. *Terunt vineta*, nil nisi navigant supra vineta.

299. *Graciles gramen.*] Burmann. offendit ingrati soni repetitio, *graciles gramen*. Itaque pro *gramen* præfert *culmen*, quod unus Regius habet. Capras enim in rupibus fere pasci, et sic majorem esse oppositionis vim, ut phocæ, quæ in fundo maris esse soleant, nunc in culmine montis ponant sua corpora.

300. *Corpora.*] Barnegg. *pignora*, quod et ipsum placet Burmann. sic enim dici fœtus, et *ponere* esse verbum proprium de partu. *Phocæ*, vituli aut boves marini. Vocantur *deformes*, et apud Virg. G. iv. 395. *turpes*, ob faciem fœdam, quanquam nec odor eorum gratus est: vide Hom. Od. Δ. 442. *Ponunt sua corpora*, recumbunt, ut x. 128. xiv. 427. alias *latus submittere*.

302. *Nereides.*] *Nereides*, nymphæ marinæ, Nerei et Doridis filiæ, de quibus vide Hesiod. Theog. 240 sqq.

303. *Agitata*, Burm. explicat, concussa vi aquarum. Male. Aqua enim stagnans non *agitat* arbores. Et quid hoc ad rem, delphinos pulsasse arbores jam ab aquis agitata? Immo

sensus, pulsant arbores sic, ut agitentur, magna vi pulsant: vide ad ver. 32. Noster, vi. 248. *laniata pectora plangens*, plangens sic, ut laniarentur; xx. 591. *refert oblata*, retro dat, ut offerantur; Liv. ii. 5. *frumenti acervos sedisse in vadis illitos limo*, ita ut illinerentur limo.

305. *Vires fulminis.*] Vires terribiles, quibus aper omnia vastat. Phædr. I. fab. xxi. 5. *fulminei dentes apri*.

306. *Crura nec ablato*, etc.] Scio esse qui *alato* legant; quod nobis tamen non probatur. Præsertim, quum ut recte in suo codice notaverat Gruterus, ipse auctor libro hujus operis, ita locutus sit. De Europe nempe: *pavet hæc; litusque ablata relictum Respicit*. Ita hic, cervo ablato, marinis, nempe fluctibus. *Ablato* dupliciter capi potest; etenim *aufferri* drr. et qui abripiuntur vi aquarum, et qui celeri se subtrahunt fuga, ut Sil. vi. 257. *ablato instantem eludere equo*, ubi v. Intt.

307. *Sidere, considerare, insidere* pr. de avibus in terram se demittentibus. *Vagu* poetis drr. omnia, quæ crebro moventur. Ita et *vagus nauta*.

309. *Immensa licentia ponti.*] Pontus, qui totum terrarum orbem occupaverat. *Nova*, quæ inusitata sunt in

Pulsabantque novi montana cacumina fluctus. 310
 Maxima pars unda rapitur : quibus unda pepercit,
 Illos longa domant inopi jejunia victu.

Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis,
 Terra ferax, dum terra fuit ; sed tempore in illo
 Pars maris, et latus subitarum campus aquarum.
 Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus, 316
 Nomine Parnasus, superatque cacumine nubes.
 Hic ubi Deucalion, nam cetera texerat æquor,
 Cum consorte tori parva rate vectus adhæsit ;

suo genere : *fluctus novi*, nunquam antea in cacuminibus montium visi.

312. *Jejunia longa*, fames, domant, absument, *inopi victu*, inopia victu destitutos : *domare* interdum idem quam interficere, ver. 447 ; interdum minus est, ix. 74 : h. l. de morte lenta.

313. *Actæa arva*, Attica, olim *Acte* dicta : vide Steph. in 'Ακτῆ. *Aonia*, Bœotia, ab *Aoniis* sic dicta, qui ante Cadmi adventum illam terram tenebant : vid. ad iii. 8. Jam *separat*—*arvis* foret, Phocis interjecta est inter Bœotiam et Atticam ; quod est falsissimum. Inmo Bœotia separat Phocidem ab Attica. Confugiunt ergo rursus ad hypallagen. At quis talem hypallagen ferat ? Quis non rideat poetam, qui Batavos inter Westphalos, et Saxones inferiores collocet ? Sine dubio ab Ovidii manu fluxit *Actæis ab arvis*. Nam Phocis sita est inter Ætam montem et Bœotiam. Etiam lb. 349. pro *Ætao* quidam habent *Actæo*. Posset etiam h. l. legi, *Actæis ab jugis*.

314. *Dum terra fuit*.] Valentia ad commiserationem faciendam. Quum jam, ver. 291 sqq. lectoribus inculcasset, omnia pontum fuisse, idem non debebat nunc bis, et ver. 318. semel, repeti.

317. *Parnasus*.] Sic lat. scribendum esse, non *Parnassus*, etsi Græci Παρνασσός, monet Brouckh. ad Propert. II. xxiii. 13. *Parnasus*, mons Phocidis, *duobus verticibus*, unde *δικόρυφος*, *biceps* et *bivertex* dicitur, quorum alter Apollini, alter Baccho sacer erat : Lucan. v. 72. Ob altitudinem, qua *superat nubes*, fere semper nive obsitus est. Schol. Apollon. ad ii. 713. et Etymol. M. in Παρνασσός tradunt, quoniam ἡ λάρναξ, i. e. navis Deucalionis parva, hic adhæserit, inde montem dictum esse Παρνασσός, unde paulatim factum sit Παρν. Nungæ ! Nec audiendi sunt alii, qui Deucalionem deferunt, vel ad Ætnam, ut Hygin. vel cum Servio ad Atho.

318. *Hic ubi Deucalion*.] Deucalion, Promethei filius, vir integer ac pius. Vid. Hygin. fab. 153.

319. *Consors tori*, etc.] Ὅμολεκτροίς, alibi etiam *socia tori* aut *thalami*. *Adhærescere* nunc omnino appellere, quum pr. de navibus dicatur, quæ ad scopulos aut in loca vadosa deferuntur, nec inde avelli possunt. Etiam Senec. N. Q. iii. 27. de diluvio : *Editissimis quibusque adhærebant reliquie generis humani*. *Parva ratis* illa Græcis λάρναξ, rude navigium.

Corycidas Nymphas, et numina montis adorant,
 Fatidicamque Themis, quæ nunc oracla tenebat.
 Non illo melior quisquam, nec amantior æqui 322
 Vir fuit, aut illa metuentior ulla Deorum.
 Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem,
 Et superesse videt de tot modo millibus unum, 325
 Et superesse videt de tot modo millibus unam,
 Innocuos ambos, cultores numinis ambos ;
 Nubila disjecit, nimbisque Aquilone remotis,
 Et cœlo terras ostendit, et æthera terris. 329

320. *Corycidas Nymphas.*] *Corycidas* aut *Coryciæ* Nymphæ, Plisti, Delphorum fluvii, filiæ, Corycium in Parnaso antrum inhabitabant: Apollon. Rh. ii. 713. Pausan. Phoc. p. 811. 877 sqq. Strabo, lib. ix. γνωριμότατον καὶ κάλλιστον τὸ Κωρύκιον Νυμφῶν ἀντρον. Ab hoc diversum Corycium antrum in Cilicia: vide Barnes. ad Eurip. Bacch. ver. 559. Has, et reliqua *numina*, quibus mons sacer, adorant. Notanda etiam h. l. est syntaxis, Deucalion cum conjuge *adhæsit*, et, *adorant*. Solet enim Noster pluralem ponere, ubi de duob. per præpositionem *cum* junctis agit. BURM.

321. *Themis.*] *Ætheris* et *Telluris* filia, justitiæ præses, tum *oracla tenebat*, responsa dabat petentibus, oraculis præerat, unde *fatidica*, *χρηστήριος*, dicitur. Apollod. lib. i. p. 13. χρησμφ δούσης τότε Θέμιδος. Lucan. v. 81: *Quum regna Themis, tripodasque teneret*. Nunc, tempore Deucalionis, loquuntur poetæ de rebus præteritis, ut de præsentibus. BURM. Prima oraculo Delphico præerat Tellus, postea Themis, tandem Apollo: Pausan. Phoc. p. 809; Schol. Euripid. ad Orest. ver. 163.

322. *Non illo melior.*] Recte mores eorum notati; hi enim ipsis causa erant salutis. *Justitia* et *metus* Deo-

rum omnes virtutes complectuntur. Quæ de singulis hic prædicantur, ea de ambobus intelligenda. Cf. ver. 327. A Luciano de Dea Syria, Deucalion laudatur ob εὐβουλίαν et εὐσέβειαν. *Metuens Deorum*. Descriptio hominis religiosi: vide Heins. qui copiose hanc locutionem illustrat. Infra v. 100. *æqui cultor, timidusque Deorum*. Liv. xxii. 3. *non modo Patrum majestatis, sed ne Deorum quidem satis metuens*. *Metus* sæpe de religione: vid. Cerda ad Virg. *Æn.* vii. 60.

324. *Stagnare.*] Stagnum, mare esse. Totus terrarum orbis tectus erat *paludibus*, aquis, et sic stagno aut mari similis erat: *stagnum* pro mari novasse Virgilius Heynio videtur ad *Æneid.* i. 125. ex λίμνη apud Homer.

325. *Et superesse*, etc.] Hoc melius, quam si uno tantum versu dixisset, duos tantum superfuisse. Ita enim clades utrique sexui illata fortius sentitur. Similis repetitio viii. 628 sqq. Horat. I. Sat. vi. 45 sqq. Ap. Apollod. et pauci alii servantur in montibus.

327. *Innocuus*, i. q. antea *amans æqui*, justus.

328. *Aquilone remotis.*] Ab Aquilone depulsis; est enim Aquilo ventus nubila dissipans, ac serenitatem inducens.

Nec maris ira manet; positoque tricuspile telo
 Mulcet aquas rector pelagi: supraque profundum
 Exstantem, atque humeros innato murice tectum,
 Cæruleum Tritona vocat, conchæque sonaci
 Inspirare jubet; fluctusque et flumina signo
 Jam revocare dato: cava buccina sumitur illi 335
 Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo:
 Buccina, quæ medio concepit ut aera ponto,
 Litora voce replet, sub utroque jacentia Phæbo.
 Tum quoque, ut ora Dei madida rorantia barba

330. *Positoque, etc.*] Hinc quoque Dei interventu res geritur et aquæ spectantur ut milites. *Tricuspile telo*, tridente: Valer. Flac. i. 642. *trifida hasta*; Anthol. iv. cap. xi. Epigr. 64. *τριβελὲς δόρυ* ap. Lycophr. ver. 96. terram percutit *τριωνύχῳ δορί*.

331. *Mulcet, coercet aquas*: Virg. *Æneid.* i. 57. *Æolus mollit animos ventorum*; eidem Jupiter dedit *mulcere fluctus*, ib. ver. 66.

332. *Innato murice.*] Ingenitis muricibus vel gerentem humeris ingenitos sibi murices et conchas.

333. *Tritona.*] Receptui canit *Triton*, Neptuni filius et tubicen, qui buccinæ loco *concham* habet, et quidem *tortilem, in latum, etc.*: h. e. quæ ab imo acuta, paulatim fit latior, veluti se in gyrum torquendo: *turbo* enim quidquid, conis instar, ab imo acutum, et in summo latius est. Tales conchæ etiam hodie vocantur *Tritonshoerner*. Iisdem et olim Indi buccinarum loco utebantur: vid. Muller ad Linnei *Systema Nat.* tom. vi. p. 102 et 515. Ipse Triton ita natate solebat, ut inferior corporis pars, quæ piscem referebat, sub aqua lateret, superior autem *supra profundum exstaret*. *Humeri tecti erant innato murice*. Quum *murex* genus conchæ sit, cujus ex sanguine purpura

conficeretur, nonnulli ex h. l. purpureum nobis Tritona fixerunt. *Infra iv. 724.* belluæ marinæ *terga cavis super obsita conchis*, qualia sæpe cernuntur balænarum terga. Pausan. *Bœot.* p. 454, narrat, veri Tritonis, quem ipse viderit, corpus horrescere tenui squama, *φολίδι λεπτῇ*. Sed loc. classic. unde alii hauserunt, est ap. Apollon. iv. 1610 sqq. *Conchæque sonaci*. Ex opinione et religione Veterum interpretandum censet Turneb. lib. II. cap. xxi. credentium Tritonem Neptuni buccinatorem canoro immanique clamore aquas increpare et tanquam auritas vocare, quæ ejus imperio consueverint parere.

335. *Cava—tortilis.*] Duo epitheta uni nomini addita, quod non magno opere probatur.

336. *Tortilis.*] *Retorta* in latitudinem. *Quæ turbine crescit*. Quæ ab ore angusto incipit et in amplum desinit ad turbinis similitudinem.

337. *Concepit ut aera.*] Inflata est, quemadmodum vela *concipiunt* ventos, pennæ avium auras; *ut, quando*.

338. *Voce, sonitu. Vox, ut φωνή,* omnis sonus: vide *Burm.* De buccina etiam Virg. *Æneid.* vii. 519. *Sub utroque, etc.* litora orientalia et occidentalia.

339. *Madida, etc.*] Graphice addi-

Contigit, et cecinit jussos inflata receptus, 340
 Omnibus audita est telluris et æquoris undis;
 Et quibus est undis audita, coercuit omnes.
 Jam mare litus habet; plenos capit alveus amnes;
 Flumina subsidunt; colles exire videntur;
 Surgit humus; crescunt loca decrescentibus undis:
 Postque diem longam nudata cacumina silvæ 346
 Ostendunt, limumque tenent in fronde relictum.

Redditus orbis erat: quem postquam vidit ina-
 Et desolatas agere alta silentia terras, [nem,
 Deucalion, lacrymis ita Pyrrham adfatur obortis:
 " O soror, o conjux, o femina sola superstes, 351
 Quam commune mihi genus, et patruelis origo,

tum, quorum barba rorabat. Utrumque dicitur, *canere receptui*, et *receptum*, aut *receptas*. *Coercuit*, in suum locum redire coegit.

343. *Jam mare*, etc.] Hic locus laudem meretur a brevitate, quæ rei celeritatem bene exprimit. Ei etiam accommodata orationis forma, quæ brevibus membris constat. *Plenos capit*, etc. Aquæ ita decreverant, ut alvei jam *plenos*, integros, fluvios ripis suis continere possent.

344. *Flumina*, omnino aquæ. *Videntur*, cernuntur. *Surgere* eleganter drr. quæ, subsidentibus iis, quibus adhuc tecta fuerant, conspici incipiunt. Vide nos ad Plin. VI. Epist. xvi. 14. *Crescunt*. Bene etiam: plura et ampliora in conspectum, prodeunt. Silius, xv. 215. de eo, qui propius accedit ad urbem, *admoto crescebant culmina gressu*. Contra apud Claud. xxxiii. 189: *Totaque decrescit refugo Trinacria visu*.

347. *Limumque in fronde*.] Oblimatæ et luculentæ relinquebantur frondes arborum, propter aquam per alluviones necessario turbatam fedatamque.

Fronde. *Frondem* Rod. non debebat de foliis capere, erant enim *nudata* cacumina, sed de ramis.

348. *Redditus*.] Restitutus erat in pristinam formam. Pomp. Mela, I. ix. 32: *Nilus se sibi reddidit*, rursus alveum suum sequitur.

349. *Et desolatas agere alta silentia terras*.] Hic versus mira et rara apud Ovidium imagine vocum excellit. *Desolatas terras*. Destitutas hominibus et animantibus. Virgil. *Æneid*. lib. xi. 367: *Ingentes et desolavimus agros*.

350. *Obortis*, prorumpentibus; *oboriri* enim dicuntur, quæ prorumpunt, superveniunt.

351. *O soror*.] *Japeti* filii fuere *Prometheus* et *Epimetheus*. *Prometheo* ex *Pandora* (quam *Triclin*. ad *Pindar*. *Olymp*. ix. facit *Epimethei* conjugem) natus est *Deucalion*. *Epimethei* filia fuit *Pyrrha*. Sic intell. quo sensu *sororis* vocab. h. l. capiendum sit. Ipse mox commentatur in hæc nomina, quod tamen, in tanto quidem dolore, justo argutius videtur.

Deinde torus junxit; nunc ipsa pericula jungunt :
 Terrarum, quascunque vident occasus et ortus,
 Nos duo turba sumus : possedit cetera pontus. 355
 Nunc quoque adhuc vitæ non est fiducia nostræ
 Certa satis : terrent etiamnum nubila mentem.
 Quid tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
 Nunc animi, miseranda, foret? quo sola timorem
 Ferre modo posses? quo consolante doleres? 360
 Namque ego, crede mihi, si te modo pontus haberet,
 Te sequerer, conjux : et me quoque pontus haberet.
 O utinam possim populos reparare paternis
 Artibus, atque animas formatæ infundere terræ!
 Nunc genus in nobis restat mortale duobus, 365
 Sic visum Superis, hominumque exempla mane-
 Dixerat, et flebant : placuit cœleste precari [mus.]”

353. *Ipsa pericula.*] Validissimum vinculum, naturæ sorte, cognationis lege, conjugii fœdere firmius : *συνάγει γὰρ καὶ ἐχθίστους ὁ κοινὸς φόβος.* Arist. Polit. v. *Jungunt* non est, ut Ciofan. putabat, cariorem reddunt, sed sociam faciunt.

355. *Nos duo turba sumus.*] Infra viii. 636 : *Tota domus duo sunt.* Propert. I. Eleg. ii. 23 : *Tu mihi sola domus.* Expressit Nostrum Senec. Troad. 506 : *Turba, quæ simus super, Tumulus, puer, captiva.* Possedit, devoravit.

358. *Quid tibi.*] In hoc et seq. vs. tenerrimus atque amantissimus sensus. *Quid animi,* bona locutio, ut docet Heins. : quem animum habitura esses, quid sensura. *Fatis,* diluvio fatali.

360. *Quo consolante doleres?*] Quis te dolentem consolatione erigeret?

361. *Si te pontus haberet.*] Ex Virg. Æn. vi. 362, *nunc me fluctus habet.* Nempè locus habet eum qui ibi mor-
 VOL. III.

tuus jacet aut natat. Claudian. viii. 93 : *Hunc Alpes, hunc pontus habet.* Horat. I. Od. xxviii. 2.

363. *O utinam,* etc.] Votum perquam aptum huic tali tempori, atque Promethei filio proprium. *Paternis.* Prometheus, Deucalionis pater, dicitur hominum imagines e luto finxisse, atque has igne cœlitus surrepto animasse; vel quia rudes homines ad civilem vitam revocârît; an quod primus artem invenerit statuas et simulacra fingendi.

364. *Infundere.*] Virg. Æneid. vi. 276. *infusa per artus Mens.*

366. *Sic visum Superis.*] Gemitus solennis in rebus adversis. *Exempla,* copiæ, ut vulgo dicimus.

367. *Flebant.*] Hoc unum poterat Pyrrha mulier. Miseris unicum per fugium. *Cæleste numen.* Sed hæc de Themidis oraculo consulto propria Nostro sunt. Apud Apollod. a Jove Phyxio, cui sacra fecerant, lapides jacere jubentur. Similiter ap. Hygin.

G

Numen, et auxilium per sacras quærere sortes.
 Nulla mora est; adeunt pariter Cephisidas undas,
 Ut nondum liquidas, sic jam vada nota secantes.
 Inde ubi libatos irroravere liquores 371
 Vestibus et capiti; flectunt vestigia sanctæ
 Ad delubra Deæ: quorum fastigia turpi
 Squalebant musco; stabantque sine ignibus aræ.
 Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque 375

368. *Per sacras sortes*, per oraculum. Oracula enim olim per *sortes*, ψήφους, θριάς, edebantur: Cic. Div. ii. 33. Schol. Callim. ad h. Apoll. 45.

369. *Cephisidas*.] Cephisus Lilæa profluens Phocidem et Bœotiam irrigat. Pausan. Phoc. p. 882. Ab Homero h. Apoll. 240. vocatur καλλιπέθερος, ob aquam limpida.

370. *Nondum liquidas*.] Limpidus, erat, multum adhuc limi secum ferebat; sed tamen jam vada nota secabat, alveum suum rursus sequebatur. *Ut* —sic amat Noster pro, *quidem*—sed: cf. ver. 404. xiv. 509. *Vadum*, omnis locus, per quem aqua vadit, aut in quo aqua continetur, fons, puteus, fluvius, mare, aut, ut h. l. alveus: vide Gronov. Observ. i. 19. *Secantes*, sequentes: *secare viam*, τέμνειν ὁδόν, ἀίρας, θάλασσαν, solennes poetarum locutiones, metaphora ab aratro petita. *Nota*, consueta: *nota* dicuntur, in quibus solet aliquis versari, currere etc. infra iii. 239, *nota juga*. Cæterum ad hoc flumen olim erat Themidis oraculum: Plin. H. N. xxxi. 11. Hinc aqua Cephisi *fatidica*, Lucan. iii. 175.

371. *Inde ubi libatos*.] Non solum sacra facturi (Liv. i. 45,) sed etiam templum ingressuri (Hippocrat. de Morbo sacro, cap. iv. p. 329,) lustrare se, περιρραίνεσθαι, solebant, ne impuri accederent ad Deos. Fieri autem hæc lustratio solebat cum aliis rebus, tum aqua, quæ ros et δρόσος (vide Valken.

ad Eurip. Hipp. p. 180.) dicebatur, in primis aqua viva scil. fluviali (Virg. Æneid. ii. 719. iv. 635.) quia fontibus et fluviis sanctitas quædam inesse credebatur. Neque vero manus tantum lavabant (Fast. iv. 777.) et caput, (infra vii. 189.) sed etiam vestes: Homer. Od. Δ, 759, et Tibul. II. Eleg. i. 13. *pura cum veste venito*. *Libatos*, manu leviter haustos. Virg. Æn. vi. 230. *rore levi spargens socios*.

373. *Ad delubra*.] Templis magnificentiæ causa addebantur *fastigia* et *gradus*. De *fastigiis*, vid. ad ii. 3. Exornari admodum solebant.

374. *Squalebant musco*.] Intellegitur autem muscus *marinus*, fucus, βρόνον θαλάσσιον: vid. Brodæus ad Theophr. Plant. p. 411. Senec. Hip. 1041: tauri e mari prodeuntis pectus musco tenaci viret. *Squalere*, omnino obductum esse: Virg. Georg. iv. 91. *macule squalentes auro*. Sed Gesner. ad Quintil. I. ii. 18. defendit *Pallebant*, quia *pallere* reconditiorem significationem habet, ut situm indicet, quem corpora contrahunt a quiete, humore admissio. Non male; præsertim quum tot Codd. auctoritas accedat.

375. *Tetigere gradus*.] Jam quum templa plerumque in loco edito, κρηπίδωμα dicto, ædificarentur, quo melius conspici possent, *gradus* etiam iis addebantur, qui vel totum templum ambiebant, vel januis solis adhærebant; in iisque sedere plebs solebat. Vide

Pronus humi, gelidoque pavens dedit oscula saxo.
Atque ita, “ Si precibus, dixerunt, numina justis
Victa remollescunt, si flectitur ira Deorum ;

Dic, Themis, qua generis damnum reparabile nostri
Arte sit? et mersis fer opem, mitissima, rebus.”

Mota Dea est; sortemque dedit: “ Discedite
templo; 381

Et velate caput, cinctasque resolvite vestes;
Ossaque post tergum magnæ jactate parentis.”

Obstupere diu, rumpitque silentia voce

Pyrrha prior, jussisque Deæ parere recusat: 385

Detque sibi veniam, pavido rogat ore; pavetque
Lædere jactatis maternas ossibus umbras.

Interea repetunt cæcis obscura latebris

Winkelmanni *Anmerkungen über die Baukunst der Alten*. p. 48. Deucalionis tamen tempore talia ornamenta nondum erant templis; et oraculum illud forte in antro sedem habebat.

376. *Pavens dedit.*] Quasi præsentem numine, horrore quodam perfusi et venerabundi.

377. *Atque ita nunc esse voventis formulam*, contendit Burmann. ad vii. 510. Fallitur. Potest hic quoque, ut ver. 228. accipi, quo facto, tum. Si, etc. Talis conditio plerumque precibus præmittitur, ut 545, et vii. 615. Virg. *Æneid.* ii. 689. In his si est, quoniam. *Mersis rebus*, miseriam nostram, forte cum respectu ad diluivium: Virg. *Æn.* xi. 335. *rebus succurrite fessis*; Tibul. II. iii. 21. *trepidus petere oracla rebus*; Noster, I. Trist. iv. 35. *rebus succurrite lapsis*.

382. *Cinctasque resolvite.*] Veteres quum rem sacram peragerent, *caput totum*, præter os, *velamine* quodam aut amictu operiebant, ne forte res mali ominis eos turbaret: Virg. *Æn.* iii. 405 sqq. ibique Heyn. et Ernesti Clav.

Cic. in velatus. Iidemque *vestes cinctas resolvant*, zona soluta, quia in sacris nihil religatum esse debebat.

383. *Ossaque post tergum.*] Cf. oraculum Tarquiniis et Bruto datum, Liv. i. 56; unde Nostrum hanc sortem sumsisse putat Muret. Varr. *Lect.* x. 11. Male, quia Ovid. hoc oraculum non finxit, sed a Græcis traditum accepit. Sed melius est, quod idem ibidem monet, lapides etiam Tragicis dici γῆς ὄστρα.

384. *Rumpitque silentia voce.*] Redi ad lib. i. Art. Amat. v. 329.

385. *Pyrrha prior.*] Quia muliebrem religionem in primis tale oraculum offendere debebat. Deucalion contra *mox solertia* insignior reperitur. Lædere cineres et ossa majorum summum scelus: Phocylid. ver. 95 sqq. Horat. A. P. 471.

387. *Umbras.*] Animas, quas lædi credebatur antiquitas, illata cadaveribus aut tumultis injuria.

388. *Obscura.*] Ob ambiguitatem, quæ non facile perspicere poterant. Senec. *Œdip.* 92: *Sphinga cæcis verba*

Verba datæ sortis secum, inter seque volutant.
 Inde Promethides placidis Epimethida dictis 390
 Mulcet; et, "Aut fallax, ait, est solertia nobis,
 Aut pia sunt, nullumque nefas oracula suadent.
 Magna parens Terra est: lapides in corpore terræ
 Ossa reor dici: jacere hos post terga jubemur."
 Conjugis augurio quanquam Titania mota est, 395
 Spes tamen in dubio est; adeo cœlestibus ambo
 Diffidunt monitis! Sed quid tentare nocebit?
 Discedunt, velantque caput, tunicasque recingunt;
 Et jussos lapides sua post vestigia mittunt.
 Saxa, (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)

nectentem modis. Volutare, ut agitare, de deliberante et cogitante: Virgil. Ecl. ix. 37.

390. *Promethides.*] Deucalion Promethei filius. *Epimethida.* Pyrrham, Epimethei filiam.

391. *Mulcet.*] *Mulcere*, animum addere, solatio erigere. Quæ valent ad confirmandum animum, ea *placida* poetis dr. *Solertia* cernitur in indagando vero: Lucret. v. 1355: *solertius est multo genus omne virile.* Pontanus *nobis male de utroque capiebat.*

392. *Pia sunt.*] Jac.-a-Cruce verba *pia*—*suadent* signis parentheseos includenda censet; quod et Lenzio placet. Mihi altera interpunctio melior videtur, ex qua Deucalion verbis *aut fallax*—*suadent* Pyrrham attentam reddit, et pavoris nullam esse causam monet; tum sententiam ipsam proponit. Hoc multo convenientius est sermonibus hominum.

393. *Magna parens, etc.*] Respexisse ingeniosissimum poetam opinatur Muretus, lib. x. Var. lect. cap. 2. ad Historiam Rom. Liv. lib. i. quum regiis adolescentibus responsum esset, eum regnaturum Romæ, qui matri osculum primus tulisset: Brutus e navi descendens simulato casu terram

osculatus est, etc. Vetus idem Grammaticus de eo qui ad lapidem offensus, dixit: Γῆς ὀστεοῖσιν ἐγγρομφοεῖς πόδα. Quæ etiam valet analogia in venis terræ de aqua et metallis.

395. *Augurium*, interpretatio oraculi. Sic et apud Cic. ad Div. VI. vi. *Monitis*, oraculis: nam *monere* proprie de divinationibus. Vide Heins. ad xiii. 216. *Titania.* Pyrrha, Iapeti Titanis neptis.

398. *Discedunt.*] De industria poeta hic repetit ipsa Themidis verba ver. 381 sqq.

400. *Vetustas*, gravis testis Veteribus: Fast. iv. 203. Quintil. Inst. XII. iv. 2. monet poetarum figmenta *vetustatis fide tuta* esse. Inde pendet omnis mythologia. Locus sequens loquacitatis vitio rursus laborat: saxa ponunt duritiem, molliuntur, mollita ducunt formam, crescunt, fiunt mitiora, denuo accipiunt formam; sed obscuram tantum, nec adhuc manifestam, nec exactam, etc. Remota illa loquacitate, comparatio cum *marmore capto* probabilis est. *Mora*, diuturnitate: vid. Freinshem. Ind. Flor. h. v. Mox ver. 421. sic est *morando ducere formam ut ducere colorem* et alia.

Ponere duritiem cœpere suumque rigorem, 401
 Mollirique mora, mollitaque ducere formam.
 Mox, ubi creverunt, naturaque mitior illis
 Contigit, ut quædam, sic non manifesta, videri
 Forma potest hominis; sed uti de marmore cœpto
 Non exacta satis, rudibusque simillima signis. 406
 Quæ tamen ex illis aliquo pars humida succo,
 Et terrena fuit, versa est in corporis usum:
 Quod solidum est, flectique nequit, mutatur in ossa:
 Quod modo vena fuit, sub eodem nomine mansit.
 Inque brevi spatio, Superiorum numine, saxa 411
 Missa viri manibus faciem traxere virilem:
 Et de femineo reparata est femina jactu.
 Inde genus durum sumus, experiensque laborum;
 Et documenta damus, qua simus origine nati. 415

VI. Cetera diversis tellus animalia formis

406. *Non exacta satis.*] *Exulta*, perfecta. *Rudia signa* possunt esse nondum elaborata satis. Sed, ne idem ter dicat, non male rudis antiquitatis signa intelliges.

408. *Corporis.*] *Corpus* nunc caro, ut iv. 443. et *in corporis usum*, in corpus.

411. *Numine*, vi et potentia.

412. *Faciem trahere.*] Paulo ante *formam ducere*, et 421. *faciem capere*.

414. *Inde genus durum*, habet a Virgil. Georg. i. 63. Si Græcos audimus, ipsum vocab. *λαός* a nomine *λάας*, lapis, fluxit: vide Munker. ad Hygin. fab. 153. Hic lusus etymologicus originem huic fab. dedisse videtur, quam alii ex opinione illa ortam putant, priscos homines e saxis et arboribus natos. Homer. Od. T. 163. ubi vide Clark. Virg. Æn. viii. 315. *Experiens laborum*, *πολυτλήμων*, qui multos labores suscipere et tolerare potest. Et profecto tale animal homo est.

416—451. *Cetera diversis*, etc.] *Humanum* igitur genus e lapidibus restitutum erat; cetera animantia e limo, solis æstu calefacto, paulatim procreabantur, in quibus *Python*, serpens magna et terribilis, quam *Apollo* sagittis confecit, in ejusque rei memoriam ludos *Pythios* instituit. Cf. Homer. h. Apoll. ver. 300; Callimach. h. Apoll. 100. in Del. 91; Apollod. Biblioth. lib. I. iv. 1; Hygin. fab. 140. *Fabulam* jam Veteres varie interpretati sunt. Macr. Saturn. i. 17. censet Apollinem in prima infantia belluam confecisse. Alii, ut Ephorus apud Strab. lib. ix. putant Pythonem fuisse tyrannum, *χαλεπὸν ἄνδρα, ἐπικληθέντα δὲ Δράκοντα*. Ceterum cum hoc Pythone Rufinum comparat Claudian. Præf. in Rufin. De origine animalium e limo, in quo rursus sequitur sententiam eam, quæ ab Ægyptiis ad Græcos pervenerat, vide Diod. Sic. t. i. p. 11. His enim persuasum erat, in principio rerum omnia animantium

Sponte sua peperit; postquam vetus humor ab
 Percaluit Solis, cœnumque udæque paludes [igne
 Intumuere æstu; fecundaque semina rerum,
 Vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo 420
 Creverunt, faciemque aliquam cepere morando.
 Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
 Nilus, et antiquo sua flumina reddidit alveo,
 Ætherioque recens exarsit sidere limus;
 Plurima cultores versis animalia glebis 425
 Inveniunt; et in his quædam modo cœpta, sub ipsum

genera sic, ut hic describitur, e limo prorepisse; postea vero terram, quum indurisset, non amplius suffecisse gignendis majoribus animalibus. Habuisse autem eam olim hanc vim probabant inde, quod post inundationem Nili, ex limo calefacto gignatur incredibilis murium multitudo, de quibus cf. Macrob. Saturn vii. 16. et Pomp. Mel. I. ix. 25. Etiam Aristot. H. A. V. 19. placet, nasci animalia ex aqua et solis calore, vento adjuvante. Talem procreationem describit Lucret. v. 793—815; quem loc. cum hoc nostro conferas. Neque mirum est, cupide Nostrum hæc arripuisse, iisque immoratum esse, ad Pythonis originem expediendam, quem alii tantum terrigenam vocant. *Diversis animalia formis*, diversa animalium genera, quorum discrimen *forma* maxime fit conspicuum.

417. *Sponte sua*. Sine semine animalium, nec intercedente opera Dei aut hominis alicujus. *Vetus humor*, aqua ab eluvione in locis depressis relicta: ab causam exprimit, per quam fit aliquid, ut mox 431. iv. 282. *satos ab imbro*.

419. *Intumuere*. Veluti mulieres gravidæ. Eadem comparatio, vii. 126. et Lucret. v. 805 sqq. *crecebant uteri terra: radicibus apti*. *Semi-*

na rerum, prima animalium stamina.

420. *Vivax*, h. l. quod vitam dat. Raro ita occurrit. Terra autem humore quodam lacti simili foetus illos alebat ex mente Lucret. d. I. Cf. Lactant. Instit. ii. 11.

421. *Faciem aliquam*, formam expressam animalis cujusdam: *Hominis faciem sumere* est, vii. 126.

422. *Septemfluus Nilus*.] Exemplo declarat, reliqua animalia ex terra sponte fuisse orta; Nilus autem fluvius, singulis quibusque annis Ægyptum inundans, fecundam non solum frumentorum, sed variorum quoque animalium eam reddit. Septemfluus idcirco dicitur quod septem ostiis in mare erumpit. Noster, lib. v. 187. *septemplex*, et Virg. Æneid. vi. 800. *septemgeminus*. *Antiquo*, quem, ante inundationem, sequebatur. Vide supra ad ver. 116. Pomp. Mela, I. ix. 32. *ubi Nilus se sibi reddidit*.

424. *Ætherium sidus*. Sol in æthere suspensus. Furip. Electr. 465. *ἀστρον αἰθέριον χοροί*. *Limus*, quem Nilus ex Æthiopia secum fert. Vid. Seneca Nat. Quæst. iv. 2.

426. *Inveniunt*.] Disputant Intt. unde pendent verba *sub ipsum nascendi spatium*. Referenda sunt ad verb. *inveniunt*; sic nulla difficultas.

Nascendi spatium ; quædam imperfecta, suisque
Trunca vident numeris : et eodem in corpore sæpe
Altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.

Quippe, ubi temperiem sumserit humorque ca-
lorque, 430

Concipiunt ; et ab his oriuntur cuncta duobus :
Quumque sit ignis aquæ pugnax ; vapor humidus
omnes

Res creat, et discors concordia fœtibus apta est.

Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Solibus ætheriis, altoque recanduit æstu ; 435

Edidit innumeras species ; partimque figuras
Retulit antiquas ; partim nova monstra creavit.

428. *Suis trunca numeris*, quibus deest numerus earum partium, quæ perfectum et absolutum animal efficiunt. Hæ ubi adsunt, res est *omnibus numeris absoluta*. Etenim *numeri* sunt partes, quarum numeris requiritur, ut res aliqua perfecta sit : vid. Ernesti Clav. Cic. h. voc. Cf. infra vii. 126. Pomp. Mela d. l. " Per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, sed tum demum accipientia spiritum, et ex parte jam formata, ex parte adhuc terrena visuntur." Lucr. v. 838. " Orba pedum partim manuum viduata vicissim, Multasine ore etiam," etc. Totum autem somnium inde est. Quum ranæ in paludibus ovula deponere soleant, quæ deinde calore et humore excluduntur, error inde natus est, ranas nasci ex limo, xv. 375. idemque error mox traductus ad alia animalia.

430. *Quippe ubi*, etc.] Laudat hos versus et suo modo explicat Lactant. Inst. Div. II. ix. 15 sqq. Cum his duobus Ægyptiorum principiis comparare Valken. Diatrib. in Eurip. p.

54. jubet Anaxagorea de Æthere et Terra ; quippe ex eodem fonte ducta. *Temperiem sumere*, temperari.

431. *Ab his*, horum interventu.

432. *Vapor est calor*, ut iii. 152. et alibi. *Fætibus*, animalibus procreandis.

433. *Discordi concordia* mundum constare, multi philosophi et poetæ censuerunt. Cf. Horat. Epist. I. xii. 19. Manil. i. 141. ubi *discordia concors*. Empedocles, præter quatuor elementa materialia, statuit duo operantia, *φιλίαν* et *νείκος* : *concordiam* et *discordiam*. Diog. Laert. in Empedocle.

435. *Altus*, sole in alto cœlo effectus. *Recanduit*. Vide ad xii. 12. Plin. Pan. 30. Ægyptus alto *pulvere incanduit*, ubi v. Schwarz.

436. *Species* et *figuras*, animalia. Vide ad ver. I.

437. *Retulit*, iterum creavit. *Monstra*, *τέρατα*, dicuntur, ut omnes res inauditæ et miræ, ita etiam feræ terribiles. Lucret. d. l. *Multaque tum Tellus etiam portenta creare Conata est*. Etiam apud Horat. I. Od. ii. 6.

Illa quidem nollet, sed te quoque, maxime Python,
 Tum genuit; populisque novis, incognita serpens,
 Terror eras: tantum spatii de monte tenebas! 440
 Hanc Deus arcitenens, et nunquam talibus armis
 Ante, nisi in damis capreisque fugacibus, usus,
 Mille gravem telis, exhausta pœne pharetra,
 Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.
 Neve operis famam possit delere vetustas, 445
 Instituit sacros celebri certamine ludos,

nova monstra. Monstra dicuntur etiam ἀνυχήματα: tanquam res novæ, et sine more occurrentes.

438. *Nollet.*] Nempæ sine sua voluntate, elementis ita operantibus, hoc portentum pepererat. *Python.* Α πύθω; exhalationis enim putredinem a diluvio gravem Sol radiorum, tanquam sagittarum, ictu attenuavit exsiccavitque. *Pythonem hunc* Homer. h. Apoll. ver. 302. vocat Ζατρεφέα, μεγάλην, τερας ἄγριον: Apoll. Rh. autem ii. 708. δελφώνην πελώριον, quod Spanhem. in δελφίνην mutandum censet ex Tztetz. ad Lycophr. p. 43. Inde Apollo dictus creditur δελφίνος.

439. *Incognita* femininum prætulit Burm. quia Schol. Apollon. ad ii. 708. tradit, hanc dracænam dictam esse δελφώνην genere feminino.

440. *Tantum spatii.*] Apud Callim. ver. 93. Parnasum implicat novem orbibus, et apud Statium, Theb. i. 563. interfectus occupat spatium centum jugerum. *De monte* maluit, quam *montis*, ut concursus duorum Genitivorum vitaretur. *De monte*, Parnasum montem tenebat, ibique vel oracula edebat, vel secundum Apollodor. oraculum custodiebat: nam dracones sæpe custodes locorum erant. Vid. ad iii. 31. Et tripodes in nummis multi circumvoluti draconibus conspiciuntur, quia draco aptum ad auguri

a animal. Vide Spanhem. ad Callimachi h. del. 91.

441. *Arcitenens*, Apollo τοξοφόρος, τοξότης, præses sagittariorum et auctor artis sagittandi: vide Macrob. vi. 5. Inter Latinos Nævius primus hoc nomine usus.

442. *In damis*, in damas. Sed Apollo feras figens apud alios scriptores non occurrit.

443. *Gravem*, gravatam, onustam, plenam. *Mille telis*. Statius, v. 532. dicit *arundineam centeno vulnere silvam vexisse*.

444. *Nigra*, vel quia serpentes ipsi poetis *nigri* dicuntur, vel quia inde nigrum venenum profuebat. Ita Virg. Æn. ix. 700. *atrum vulnus*; et apud Nostrum, *calidum et feroïdum vulnus*.

445, 446. *Neve operis*, etc.] Antiquissimis temporibus rerum memorabilium memoria ludis institutis servari solebat. Hos ludos Diomedes primus instituisse in honorem Apollinis credebatur: vid. Pausan. Corinth. p. 186. Per breve tempus nono quoque anno celebrati, renovati sunt ab Amphictycon. a. 3. Olymp. 48. et quarto quoque anno habiti: Pausan. Phoc. p. 813. Celebrabantur autem non procul ab urbe Crissa, quæ inde Pytho, postea Delphi dicta est. *Sacri*, quoniam in honorem Dei celebrantur. *Celebri certamine*, in quibus totius fere Græciæ

Pythia de domitæ serpentis nomine dictos.

His juvenum quicumque manu, pedibusve, rotave
Vicerat, æsculeæ capiebat frondis honorem.

Nondum laurus erat; longoque decentia crine 450

Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

VII. Primus amor Phœbi Daphne Peneia; quem
non

confluxus. Hi ludi a *domito Pythone* Pythia dicebantur. Apud Clement. Alex. Coh. ad Græc. p. 41. vocantur *πανήγυρις ὄψεως*. Sciendum est apud Græcos nobilitata fuisse quatuor ludorum genera, Olympicos, Pythios, Isthmicos, Nemeæos, de quibus Pausanias, lib. II. cap. iii. Natal. com. lib. V. cap. xii. et xxxiv. Scalig. Poet. lib. I. cap. xxiii.

448. *Manu*, pugilatu, *πυγμαῖ*, et lucta, *πάλη*. *Pedibus*, cursu, *δρόμῳ*. *Rota*, quadrigis et bigis adde *carminibus* et *instrumentis musicis*. Vide Pausan. p. 813 seq. et adde Potteri Archæol. Græc. t. i. p. 985 sec. ed. Ramb. Saltatione quadam Apollinis pugna cum Pythone, et instrumentis musicis hujus sibilus exprimebatur: Strabo, ix. p. 645 seq. *Juvenes*, athletæ. *Pedum certamen* etiam xii. 304.

449. *Honor*, ut *τιμῆ*, præmium. Sed illa præmia perquam erant honorifica. *Æsculea frons*, corona *æsculea*. *Æsculus Jovi sacra*, Plin. H. N. xii. 1. et, ut glandifera, antiquis hominibus memorabilis.

450. *Laurus*, qua postea coronabantur victores Pythici (Pind. Pyth. Od. viii. 28. Ælian. V. H. III. i. p. 200.) *nondum* in rerum natura erat. Sic munit sibi viam ad sequentem fabulam. Ælian. V. H. d. I. narrat quidem, Apollinem, Pythone occiso, sumpsisse coronam lauream; sed vide Perizon. ad d. I. Nempe Apollo, Pythone occiso, fugit in Tempe, ibique novem annos latuit. Tum vero expiatus rediit Delphos et oraculum

occupavit. Interea Daphne mutatur in laurum, qua lustratus deinde est. *Longo crine* insignis erat Apollo, unde *Intonsus*, *ἀκροσεκόμης*, *ἀκείρεκόμης*, atque etiam in monumentis cinem promissum habet. *Decentia*. Horatius I. Od. xxxii. 12. *nigro crine decorus*.

452—567. *Primus amor Phœbi*, etc.] Fabulam inde natam putabant nonnulli, quod Apollo docuerit homines plantare laurum. Vide Euseb. Præparat. Evang. II. i. Potius videtur lusus poeticus esse. Poetæ enim, quum nomina quædam puellis nymphisve cum plantis communia essent, facile eo deduci potuerunt, ut illas in has mutatas fingerent, Daphnen in laurum (*δάφνην*). Myrrham in myrrham arborem, etc. Ridiculus vero est Jac.-a-Cruce, qui per Apollinem Augustum, per Daph. Liviam intelligit, quæ, tanquam laurus, sterilis fuerit. A Diodoro Epaita hanc fab. tractatam esse, narravit Parthenius in Eroticis, cap. xv. Noster, qui rebus amatoriis delectabatur, hic indulsit ingenio, multa petulanter scripsit, plura etiam haud dubie ipse invenit. Traditum acceperat, Apollinem amantem non esse redamatum a Nympha. Id exornavit inventione illa, quam 452—502. invenimus, qua hic mythus triplici vinculo superiori adnectitur. *Amor* duplici sensu; nam et amatam significat, et amorem, quem Cupido dedit, irritavit. *Peneia*, Penei Thessaliæ fluvii (de quo ad ver. 569.) filia. Alii vero, ut Schol. Homer. ad

H

Fors ignara dedit, sed sæva Cupidinis ira.
 Delius hunc nuper, victa serpente superbus,
 Viderat adducto flectentem cornua nervo : 455
 “ Quidque tibi, lascive puer, cum fortibus armis ? ”
 Dixerat : “ ista decent humeros gestamina nostros ;
 Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti ;
 Qui modo, pestifero tot jugera ventre prementem,
 Stravimus innumeris, tumidum Pythona, sagittis.
 Tu face, nescio quos, esto contentus amores 461
 Irritare tua : nec laudes adsere nostras. ”
 Filius huic Veneris : “ Figat tuus omnia, Phœbe,

Il. A. 14. Daphnen faciunt Ladonis filiam, qui est Arcadiæ fluvius : vide ad ver. 701. Noster melius ; Apollo enim, Pythone interfecto, in Tempe latuit, per quæ *Peneus* labitur.

453. *Fors ignara*, cæca, ignota. Et *fors dedit* formula solennis de iis, quæ casu, forte fortuna, eveniunt : vide Heins. *Sæva*, *πικρή*, refertur ad ulciscendi studium.

454. *Superbus* proprie de victoribus : vide Heyn. ad. Virg. *Æneid.* i. 21. Hunc ipsum Apollinem, victoria hac superbientem, Apollinis Vaticanæ statua referre creditur : Winkelmanni Hist. Art. p. 392.

455. *Adducto—nervo.*] Arcum tendentem. Sed hæc et talia solent poetæ, tenuitatis vitandæ causa, ornate efferre. *Adduci* vero dicitur arcus, quum tenditur. Quæ sequitur oratio, attemperata est superbiæ victoris ; magnifice de se loquitur, contemptim de æmulo.

456. *Fortia arma.*] Gravia, quæ non nisi a fortibus viris tractantur, ut arcus. Sed et Cupido est *τοζευτής*, ut vocatur a Colutho ver. 29. Respexit autem hunc totum loc. Senec. Hippol. 275 sqq. *Iste lascivus puer—tela quam certo moderatur arcu*, etc.

457. *Gestamen*, arcus, quatenus gestatur. Amat Noster substantiva in

amen desinentia. *Humeros nostros* plenius quam, *me*, quia arcus ex humeris suspenduntur : *nostros* dixit dignitatis causa ; *ἴθμοι ὤμοι*, fortes humeri, tribuuntur Apollini apud Homer. h. Apol. 7.

458. *Qui dare certa feræ.*] *Dat certa vulnera* is, cujus sagitta nunquam aberrat a scopo. Sed et Cupido *certa tenera tela demittit manu*, Senec. Herc. *Æt.* ver. 540 ; et ex pusillis ejus humeris pendet *πανδαμάτεια φάρτη* ; quod Apollo ipse mox et sentiet et fatebitur, ver. 519.

460. *Tumidum*, scilicet veneno, confer x. 313 ; v. Trist. ii. 14.

461. *Tu face, nescio quos.*] Hæc ita respondent superioribus, ut in singulis fere verbis sit oppositio. *Faci-bus sæpe armatus* Cupido. Moschus Id. i. 23 : *Βαῖά λαμπὰς εἴοσα τὸν ἄλιον ἀπὸν ἀναίθει*, *parvula fax Solem ipsum perurit*. Nescio quos, contemptim, ac si diceret, leves, molles, atque viris negligendos.

462. *Irritare*, excitare. Et alibi occurrit, *irritare flammas, amores*, etc : vide Burm. *Nec laudes adsere nostras* refertur ad *contentus esto*. *Laudes* vel insignia honorifica, vel ipsa gloria. Ad hæc fidenter satis et breviter puer majorem sibi gloriam adserit. *Adsere*. Arroga, vindica tibi.

Te meus arcus, ait : quantoque animalia cedunt
Cuncta tibi, tanto minor est tua gloria nostra.”

Dixit ; et eliso percussis aere pennis 466

Impiger umbrosa Parnasi constitit arce :

Eque sagittifera prompsit duo tela pharetra

Diversorum operum ; fugat hoc, facit illud amorem :

Quod facit, auratum est, et cusptide fulget acuta ;

Quod fugat, obtusum est, et habet sub arundine
plumbum. 471

Hoc Deus in Nympha Peneide fixit ; at illo

Læsit Apollineas trajectory per ossa medullas.

Protinus alter amat ; fugit altera nomen amantis,

Silvarum latebris, captivarumque ferarum 475

Exuviis gaudens, innuptæque æmula Phœbes ;

Vitta coercebat positos sine lege capillos.

466. *Eliso percussis.*] Volatus celer describitur. *Elidere aera* i. q. alibi *findere, secare aera*. Proprie *percutitur* aer pennis, ut x. 159 ; sed h. l. *alæ percutiuntur*, i. e. moventur.

467. *Parnasi.*] Gemina *Parnasi* art. Græci, ἄκρον Παρνάσσου et sæpe τὰ ἄκρα τῶν ὄρων. Cupido autem, et ut se subtrahat Apollini, et ut ex alto eum feriat, petit Parnassum. E vertice montis etiam Apollo jaculatur vi. 217. Sequitur loc. classic. de telis Cupidinis. *Arces* montium apud poetas sunt vertices eorum. Senec. *Ced.* 227.

469. *Diversorum operum*, quorum vis diversa.

473. *Læsit Apollineas.*] Vulnerat Cupido non modo *jecur*, quod sedes putabatur esse et domicilium amoris, sed etiam *medullas*, quia amor est ignis per ossa serpens. Vide ii. 410 ; Virg. *Æn.* viii. 388 seq. Senec. *Hipp.* 281.

475. *Silvarum latebris.*] Venandi

studium inter amoris remedia refertur Rem. Am. 199. Hinc Diana *innupta* ; hinc puellæ connubia aversantes venantui operam dabant, ii. 412 sqq. Sed hoc, Daphne fit venatrix, poetice elocutus est, h. e. signis venantium commemorandis. *Silvarum latebræ*, ferarum latebræ in silvis.

476. *Exuviis ferarum* tegere humeros solebant Nymphæ, Dianam comitantes. Apollon. Rh. iv. 1348. *Gaudens, τροπομένη*, amans, aut ornata exuviis. Virg. *Æneid.* i. 275. Romulus *lupa tegmine letus*.

477. *Vitta coercredi* h. e. constringi solebant cultu simplici virginum comæ, ne diffunderentur : vide Turneb. *Advers.* xxiii. 5. Dicebantur *vitta virginæ* (Virg. *Æn.* ii. 168.) a quibus diversa matronales. *Positos sine lege*, incompósitos, non cincinnatos : *sine lege, ἄτακτα, ἀκόσμως* Anacr. Od. xxix. 7. Claudian. 35. 149. *libertatem comarum* vocat, quam Diana *injecta tantum corona frenet*. Eam libertatem

Multi illam petiere : illa aversata petentes,
 Impatiens expersque viri, nemorum avia lustrat ;
 Nec quid Hymen, quid Amor, quid sint connubia,
 curat. 480

Sæpe pater dixit : “ Generum mihi, filia, debes.”
 Sæpe pater dixit : “ Debes mihi, nata, nepotes.”

Illa, velut crimen, tædas exosa jugales,

Pulchra verecundo suffunditur ora rubore ;

Inque patris blandis hærens cervice lacertis, 485

“ Da mihi perpetua, genitor carissime, dixit,

Virginitate frui : dedit hoc pater ante Dianæ.”

Ille quidem obsequitur : “ Sed te decor iste, quod
 optas,

Esse vetat ; votoque tuo tua forma repugnat.” 489

Phœbus amat ; visæque cupit connubia Daphnes ;

illustrat Spanhem. ad Call. p. 660. *Ponere et componere* proprie de ornatu capillorum.

479. *Impatiens viri.*] Reformidans consuetudinem viri, neque nubens. Fast. vi. 288. quum duæ nupsissent, *De tribus impatiens restitit una viri. Expertes virum puella* etiam apud Horat. III. Od. xiv. 10. ex emendat. Cuningh. Inde autem laurus quoque *casta* dicitur a Tibul. III. iv. 23. *Nemorum avia*, pro *nemora avia*, forma loquendi Græca, quam non solum poetæ Latini, sed etiam prosaici scriptores imitati sunt. Justin. XLI. i. 11 : *Ut non immensa tantum ac profunda camporum, verum etiam prærupta collium, montiumque ardua occupaverint*, ubi vide Gronov. et Bueneman. ad Lactant. Instit. div. VII. iii. 25. E poetis exempla concessit Heins. ad h. 1. *Avia* autem sunt remota et deserta, qualia amant securitatis causa feræ.

483. *Tædas jugales.*] Nuptias. Novis enim nuptis quinque faces accensæ

præferabantur, ut Plutarchus scribit in *Problematicis*.

484. *Suffundi* dicitur de rubore ora notante.

485. *Hærevit*, ut *pendere*, de amplexibus.

486. *Da mihi perpetua.*] Ipsa hæc sunt verba Dianæ ad Jovem apud Callim. h. Dian. 6. *Δός μοι παρθενίην αιώνιον, ἄππα, φυλάσσειν.* *Da mihi* solenne in precationibus : viii. 351. Horat. I. Ep. xvi. 61 : *Da mihi fallere, da justum sanctumque videri.*

488. *Ille quidem obsequitur.*] Mox aspergit poeta aliquid, unde lector exitum rei divinare possit. Facit hoc Noster sæpe cum aliis, præeunte Homero : v. c. II. B. 36—40. *Decor*, pulchritudo ; sed illud significantius est : exprimit enim simul gratiam quandam, unde fere Veneri et Gratiis *decor* tribuitur. Mox ver. 527. *nympha decens*.

490. *Connubia.*] Concubitus, ut xi. 226. Ita *conjugium*, xiv. 298 ; Virg.

Quæque cupit, sperat: suaque illum oracula fallunt.
 Utque leves stipulæ demptis adolentur aristis;
 Ut facibus sepes ardent, quas forte viator
 Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit:
 Sic Deus in flammâ abiit; sic pectore toto 495
 Uritur, et sterilem sperando nutrit amorem.
 Spectat inornatos collo pendere capillos:
 Et, "Quid, si comantur?" ait: videt igne micantes,
 Sideribus similes, oculos: videt oscula; quæ non
 Est vidisse satis: laudat digitosque, manusque, 500
 Brachiaque, et nudos media plus parte lacertos.
 Si qua latent, meliora putat. Fugit ocior aura

Æn. iii. 475; et γάμος. Vid. Schrader. ad Musæum. p. 123 sqq. Similiter ver. 557. *conjux* de concubina, et *uxor* Horat. III. Od. xxvii. 73.

491. *Sua oracula*, quæ tamen habebantur certissima, Eurip. Electr. ver. 399; Terent. Andr. IV. ii. 15. Unde *certus Apollo*, Horat. I. Od. vii. 28. Sed amor excæcat, ut hominem, ita et Apollinem.

492. *Demptis—aristis.*] Eadem similitudine amoris vehementia illustratur, vi. 456. *Aristæ* olim cum exigua tantum calami parte *demi*, resecari, detonderi solebant a messoribus; *stipulæ* autem adoleri solebant ab agricolis, ut vitia agri excoquerentur: Virg. Georg. i. 85 sqq. Lucret. v. 1246, 7. *Levis* solenne epitheton stipularum. *Adolere* non tantum in sacris locum habet, ut Heins. putat, sed interdum, quanquam paulo rarius, omnino est cremare: vide Heyn. ad Virg. Æn. i. 704.

493. *Forte.*] Veteres iter sæpenu-mero faciebant noctu; ne igitur a via aberrarent, utebantur facibus peculiaribus e ligno querno, γάρβια Græce dictis, quas viatores vel negligentés

(quod indicat h. l. *τὸ forte*), vel petulantes interdum admovebant sepi- bus, aut etiam ardentés sub luce ab- jiciebant, unde sæpe incendia. Cf. Fast. iv. 167; et vide Casaub. ad Sueton. Cæs. 31.

496. *Sterilem—amorem.*] *Sterilis amor* eleganter, cui non respondetur, qui non gignit alium. Qui in amore tam infelix est, Græcis ἀναφρόδιτος, Latinis *invenustus* (Terent. Andr. I. v. 10.) dicitur.

498. *Quid? si comantur*, suaviter! *Videt igne micantes.* Oculi *igne mi- cantes* in præcipua parte pulchritu- dinis. Anacr. Od. xxviii. 18. ubi oculi ἀληθῶς ἀπὸ πυρός. Et tales oculi cum *sideribus* comparari solent, Am. III. iii. 9.

501. *Et nudos lacertos.*] *Nymphæ Dianam* comitantes manus et brachia ad humeros usque *nuda* habebant: Philostrate. Icon. p. 868. Et sic *Dianæ* etiam effigies expressa cernitur in monu- mentis: vide Sponii Miscell. p. 312.

502. *Si qua latent.*] Quintil. Inst. Orat. VIII. iii. 47; ubi monet, etiam sensum bonum interdum perverti ab impuris hominibus, exempli loco hæc

Illa levi; neque ad hæc revocantis verba resistit:
 “Nympha, precor, Penei, mane: non insequor
 hostis.

Nympha, mane. Sic agna lupum, sic cerva leonem, 505

Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ;
 Hostes quæque suos. Amor est mihi causa sequendi.

Me miserum! ne prona cadas, indignave lædi
 Crura secent sentes; et sim tibi causa doloris: 509
 Aspera, qua properas, loca sunt: moderatius, oro,
 Curre, fugamque inhihe; moderatius insequar ipse.
 Cui placeas, inquire tamen: non incola montis,
 Non ego sum pastor: non hic armenta, gregesve

ipsa verba laudat, et pro *si qua* habet *quæque*. Sed illud elegantius. Vide ad Plin. I. Ep. i.

503. *Neque ad hæc.*] Seq. oratione probat poeta, quod, ii. 846. monet, non bene convenire, nec una in sede morari majestatem et amorem. Dum enim insano amore incitati juvenis mores notat, ridendum tradit sapientiæ Deum, qui antea contemptim de Cupidinis telis et amore locutus erat. Itaque nec dubitat eum, ver. 533. cum cane leporem persequente comparare. Sed etiam Homerus multa Diis indigna finxit, ut Il. A. 540 sqq. ver. 586 sqq. Id multo magis in hoc Metamorphoseon opere excusari debet. Ingenium quidem Ovidii in his quoque agnosces. Commode etiam multa ex mythologia, quæ ad Apollinem pertinet, admiscuit. *Ad hæc*, his auditis, iii. 245. Sic et *sub* iv. 522.

504. *Penei.*] Pro *Peneia*, quod plurimi. Vid. de illa forma Heins. ad h. l. et Bentl. ad Horat. I. Od. xxvi. 9.

505. *Sic agna*, etc.] Expressisse vi-

detur Horat. I. Od. xxiii. 9: *Atqui non ego te, tigris ut aspera, Gætulusve leo, frangere persequor.*

506. *Pennæ*, alæ, eleganter dicuntur *trepidare*, quum præ metu celeriter moventur. Cf. v. 605; vii. 382. Florus III. x. 17. *trepidantia adeo carpenta* dixit. Exquisitius Virgil. *Æneid.* v. 505. *timuit pennis ales.*

508. *Prona cadas.*] *Proni* cadunt currentes; *supini*, qui interficiuntur. *Indigna lædi*, quæ non merentur lædi. Plerumque *indignum* absolute ponit Noster, suppresso verbo, ut 631. Vide Cort. ad Sallust. Cat. 51. 27. Hor. I. Od. xvii. 28: *Scindat immeritam vestem.*

509. *Secent.*] Virgil. *Ecl.* x. 49: *Tibi ne teneras glacies secent aspera plantas.* Ita *secare* et *Georg.* iii. 444.

512. *Tamen*, precantis est: tandem, quæso. Jam incipit, more procorum, dignitatem suam et virtutes jactare. Cf. ver. 595. ix. init. Et habemus hic locum class. de artibus Apollinis. Eas vero ornate circumlocutus est.

Horridus observo : nescis, temeraria, nescis 514
 Quem fugias ; ideoque fugis : mihi Delphica tellus,
 Et Claros, et Tenedos, Pataræaque regia servit.
 Jupiter est genitor : per me, quod eritque fuitque,
 Estque, patet : per me concordant carmina nervis.
 Certa quidem nostra est : nostra tamen una sagitta
 Certior, in vacuo quæ vulnera pectore fecit. 520
 Inventum medicina meum est ; Opiferque per or-
 bem

514. *Horridus.*] Pastores introducuntur *horridi* et *squalidi*, ἀβχηροί, ἀβχηέντες, ut Pan ap. Hom. h. Pan. 6 ; neque id alias in vitium vertitur, sed opp. unguento nitidis. *Sordida rura* dixit Virg. Ecl. ii. 28. *Observo*, custodio.

515. *Delphica tellus.*] Unde *Oracula Delphica* dicta sunt. Delphi urbs Phocidis in Achaia ad Parnassum, oraculo Apollinis clara.

516. *Claros*, etc.] Oppidum Ioniae, juxta Colophonem, Apollinis templo et oraculo nobilissimum : vid. Strabo, xiv. p. 442 ; Pausan. vii. p. 405. Inde Apollo *Clarius*, cujus effigies in nummis conspicitur apud Patinum numism. Imp. p. 400. *Tenedos*, insula maris Ægæi, agro Trojano vicina, ubi templum Apollinis Sminthei ditissimum : Strabo, vii. Cf. Virg. Æn. ii. 21. *Patara*, urbs Lyciæ, in qua Apollo hiemem transigebat, et per sex menses hibernos responsa dabat : Herodot. i. 182 ; Serv. ad Virg. Æn. iv. 143. Hinc Apollo *Patareus*, Horat. III. Od. iv. 64. *Servit*, colit sacris faciendis et oraculis consulendis.

517. *Per me quod eritque.*] Artes, quarum ἔφορος erat, ut loquitur Schol. ined. Homer. apud Valken. de Cod. Hom. p. 94. τοξική, ἰατρική, μουσική, μαντική : vide Callim. h. Apol. 42 sqq. Virg. Æn. xii. 393. Et apud Lucian. in ψηφισμ. p. 716. indignantur Dii, quod hic unus tot artes exer-

ceat. *Per me, quod eritque*, etc. Vates sum longe certissimus. Expressit autem Homer. II. Δ. 70. ubi Calchas scire dicitur : τὰ τ' ἰόντα, τὰ τ' ἰεσόμμενα, πρό τ' ἰόντα, quem locum etiam transtulit Virg. Georg. iv. 392. Vaticinandi artem edoctus erat Apollo a Jove, cujus vates etiam dicebatur, præeratque oraculis.

518. *Per me concordant.*] Musica excello et instrumentali, et vocali. Musica ars apud Veteres in summo honore erat, ita ut inventio præstantissimorum instrumentorum ad Deos referretur : Plutarch. de Musica, p. 1136. Apollinis instrumenta erant *cithara*, quam ipse invenit (Bion. Id. iii. 7.) et quam cum cantu pulsat, et *lyra*, quam accepit a Mercurio : Hom. h. in Merc. *Nervi*, νεύραι, fides. Concentum vocis et fidium varie expressit. Cf. v. 340 ; xi. 5.

519. *Certa—sagitta.*] Inevitabilis : unde *metuendus certa Phæbus sagitta*, Horat. I. Od. xii. 22. Sic et *certus arcus*, *certa manus* tribuitur peritis jacularibus. Contra *incerta securis*, Virg. Æn. ii. 224. *Tamen una*, etc. Vide ad vers. 456 et 458. Cf. Anacr. Od. xlv. ubi Mars sentit vim horum telorum.

520. *Vacuo*, sc. ab amore ; Daphne enim primus ejus amor, ver. 452.

521. *Inventum*, etc.] Cf. Callim. d. l. *Opifer*, σωτήρ, ἰατρός, παίων : vide Valken. ad Eurip. Hipp. ver.

Dicor ; et herbarum subjecta potentia nobis.
 Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis !
 Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus, artes !”
 Plura locuturum timido Peneia cursu 525
 Fugit ; cumque ipso verba imperfecta reliquit.
 Tum quoque visa decens : nudabant corpora venti,
 Obviaque adversas vibrabant flamina vestes,
 Et levis impexos retro dabat aura capillos ;
 Auctaque forma fuga est : sed enim non sustinet
 ultra 530
 Perdere blanditias juvenis Deus : utque movebat

1372. Primi autem medici erant chirurgi, omnisque eorum scientia erat, nosse vim herbarum. Celsus præf. Itaque addit, *et herbarum*, etc. *Opifer*. Hinc Apollo *βοηδρόμος* et *δοσσητήρ* apud Græcos.

522. *Herbarum*.] Quas in medicina potentes sol e terra elicit. *Potentia*, vis, efficacia. Virg. *Æn.* xii. 396. *scire potestates herbarum*, et vii. 19. *potentes herbæ*. *Fortes herbæ*, infra xv. 534.

523. *Quod nullis*, etc.] Eadem sententia Heroidd. v. 149 : *Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis*. Effinxit autem Tibul. II. iii. 12. de Apolline amante : *Nec potuit curas sanare salubribus herbis, Quidquid erat medicæ, vicerat, artis, amor*. Propert. II. i. 59 : *Omnes humanos sanat medicina dolores : Solus amor morbi non amat artificem*.

524. *Dominus artis*, qui eam exercet, xiii. 138. Similiter fere *κόρρανος* *τρέχνης*, Anacr. Od. xxviii. 3.

525. *Timido cursu aut pede fugit*, qui præ metu celeriter currit ; metus enim dat celeritatem. Sic *et ipsum* post se relinquit, et *verba imperfecta*, orationem ejus nondum absolutam.

527. *Nudabant corpora*, etc.] Magna laus, si quem omnia decent : viii. 25 ; x. 590. Sequitur aliud exemplum phantasie Ovidianæ. Venantes veste brevi supra genu succinctæ erant : Virg. *Æn.* i. 320. Vid. Spanhem. ad Callim. h. Dian. ii. 212.

528. *Adversas—vestes*.] Has venti vibrabant ; quo verbo exquisito pinguntur varii motus vestis, quum nunc sursum agitaretur, nunc expanderet, nunc retro flueret. Pari venustate, ii. 875 : *tremula sinuantur flamine vestes*. Cf. et xi. 470 ; Fast. iii. 585. Verba *obvia* et *adversas*, plenitudinis causa, non male addita ; sed minus probanda cumlatio verborum *venti, flamina, aura*.

530. *Sed enim*, at vero. *Non sustinere* eleganter dicimur, ad quæ perficienda non satis vel animi vel voluntatis habemus.

531. *Juvenis*.] Apollo enim *ἀσὶ νέος*, et sic etiam in monumentis antiquis repræsentatur. Schol. Stat. i. Theb. 694. *causam reddit hanc, quod ipse sit sol. Sol autem ignis est, qui nunquam senescit*. Cæterum in hoc nomine inest h. l. causa furoris, quo insequitur nympham. *Movebat*, incitabat.

Ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu.
 Ut canis in vacuo leporem quum Gallicus arvo
 Vidit; et hic prædam pedibus petit, ille salutem:
 Alter inhæsuro similis, jam jamque tenere 535
 Sperat, et extento stringit vestigia rostro:
 Alter in ambiguo est, an sit deprensus, et ipsis
 Morsibus eripitur, tangentiaque ora relinquit:
 Sic Deus, et virgo est; hic spe celer, illa timore.
 Qui tamen insequitur, pennis adjutus Amoris 540
 Ocior est, requiemque negat: tergoque fugaci
 Imminet; et crinem sparsum cervicibus adflat.
 Viribus absumptis expalluit illa: citæque
 Victa labore fugæ, spectans Peneidas undas,
 “ Fer, pater, inquit, opem; si flumina numen ha-
 betis. 545
 Qua nimium placui, Tellus, aut hisce, vel istam,
 Quæ facit, ut lædar, mutando perde figuram.”

532. *Admisso, celeri.* Proprie equus dicitur *admitti*, quum frenis laxatis incitatur ad cursum.

533. *Ut canis, etc.*] Sequitur locus a phantasia singularis, et longe præstantissimus, cujus tamen laus non debetur ingenio Ovidiano, nam totus expressus est e Virgil. *Æn.* xii. 749 sqq. quemadmodum Virgil. sua ex Apollon. Rh. ij. 278. petiit: cf. Statius Thebaid. v. 165 sqq.; et Noster infra, vii. 781—86. qui loc. utique cum hoc conferendus. *Gallici canes, vertagi dicti*, a celeritate in primis laudabantur, et leporibus potissimum persequendis adhibebantur: Gratian. Cynege. ver. 203. *In vacuo*, ubi nil moratur ejus celeritatem. *Vacua loca*, non consita arbustis, iv. 713. Supra 285. *aperti campi.* Virgil. *Æneid.* xii. 771. *purus campus, καθαρὸς χώρος.*

535. *Inhæsuro*, scilicet dentibus, de mordente.

VOL. III.

540. *Qui tamen insequitur.*] Quem amor celerem reddit, eum Cupido veluti adjuvat alis suis.

541. *Tergo imminere* etiam apud historicos, sed h. l. cum vi de eo, qui prono corpore ita instat, ut fugientis tergo halitu suo adflet. Similiter v. 616. Expressit Claudian. xxviii. 279: *Flatu propiore sequentum premor.*

545. *Numen.*] Vim et potestatem divinam: neque si nunc dubitantis est, sed sæpe ponitur pro, *quum*: vide Brouckh. ad Propert. III. El. xxiii. 19. Infra xiii. 49. *si Di sunt*, et supra 377.

546, 547. *Qua nimium placui.*] Duo Codd. hos duos versus præponunt superiori. Heinsio aut tollendi ambo videbantur, aut ordine inverso legendi. Burm. suadet, vel *Ah nimium placui!* vel *Cur nimium p.* Denique *ut lædar mutari vult in ut lauder*,

I

Vix prece finita, torpor gravis alligat artus :
 Mollia cinguntur tenui præcordia libro :
 In frondem crines, in ramos brachia crescunt : 550
 Pes, modo tam velox, pigris radicibus hæret :
 Ora cacumen obit : remanet nitor unus in illa.
 Hanc quoque Phæbus amat ; positaque in stipite
 dextra

Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus.
 Complexusque suis ramos, ut membra, lacertis, 555
 Oscula dat ligno : refugit tamen oscula lignum.
 Cui Deus, " At conjux quoniam mea non potes
 esse,

quia et alibi *laudata forma* : et in quatuor MSS. e glossa esse *ut placeam*. Sed ita bis idem dixisset, nec exhausisset vim calamitatis suæ. Seidenstuecker *Qua* explicat in *qua*, *super qua*, atque hæc *qua nimium placui* addita putat, quia Peneia jam devorari a terra cupit. Melius tamen, si fieri commode posset, *qua* referretur ad *figuram*, ut ii. 474: *Adimam tibi nempe figuram, Qua tibi, quaque places nostro, importuna, marito*. Et Perizon. ad Sanct. Min. p. 543 sqq. exemplis idoneis docuit, ita interdum abrumpi constructionem, ut divellantur, pluribus verbis interpositis, quæ cohæreant. Id quod in iis maxime vocibus locum habet, virtus adeo videri possit, quæ, ut hæc in summa mentis perturbatione proferuntur. Sed quoniam plures MSS. hic plura omitunt, quoniam mirum est, nympham post patrem illico et Tellurem invocare, neque adeo apparere, uter eam mutaverit, quoniam denique in Argum. Lactantii unus pater invocatur, propterea malim hos duos versus ita contrahere: *Qua nimium placui, mutando perde figuram*, reliquis deletis. Quoniam miseri sæpe optant, ut terra

hiscat, (Heroid. vi. 144; Fast. iii. 609; Silius, iv. 332. *fugere infixum est, terræque optantur hiatus*), etiam hic hoc votum infarcire aliquis potuit. Similiter 700 sqq. verbis quibusdam deletis, interpretes merito duos versus in unum conflârunt. Alias emendd. vide in Variet. lect. De verbo *lædere*, vid. ad 608.

548. *Gravis* ab effectu, qui *alligat*, rigidus et immobiles reddit artus. *Gravitas* eo sensu de arbore, xi. 244. *Alligare artus* de torpore, tremore, pavore passim : vide Heins.

549. *Librum*.] Hic melius posuit, quam duriolem corticem.

550. *Crescunt*.] Mutationis notio variata verbis *crescere, hære, obire*. Postremum sic et vii. 775 ; ix. 290.

551. *Pigris*, immobilibus, ab homine sumptum.

552. *Remanet nitor*.] *Nitidu laurus* etiam xiv. 720 ; Plin. V. Ep. vi. 4. Atque etiam puellis *nitor* tribuitur, i. e. pulchritudo, xi. 272. Hoc suum decus Daphne servat mutata, ut ad 237 admonitum.

554. *Trepidare*.] *Palpare, micare*, de motu cordis. Cf. viii. 606.

557. *Conjuz*.] Vide ad 490.

Arbor eris certe, dixit, mea. Semper habebunt
 Te coma, te citharæ, te nostræ, Laure, pharetræ.
 Tu ducibus Latiis aderis, quum læta triumphum
 Vox canet, et longas visent Capitolia pompas. 561
 Postibus Augustis eadem fidissima custos
 Ante fores stabis; mediamque tuebere quercum.
 Utque meum intonsis caput est juvenile capillis;
 Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.”
 Finierat Pæan. Factis modo Laurea ramis 566
 Adnuit; utque caput, visa est agitasse cacumen.

558. *Arbor mea* ex more, quo Dii arbores quasdam in tutela sua habebant. Cf. 710. *Habebunt*. Laurum habebant, lauro ornata erant, omnia, quæ Apoll. essent, tripus, templum, vates, victores Pythici. Ipse in monumentis cernitur vel redimitus corona laurea, vel gestans dextra ramum laureum. Unde Apollo *δαφνηφόρος*: vide Spanhem. ad Callim. h. Del. 91. *Te citharæ*. Hinc laureati in scena citharædi.

560. *Tu ducibus*, etc.] Vaticinatur Apollo in honorem Romanorum atque Augusti: h. e. poeta adulatur civibus suis atque Augusto. Laurus apud Romanos insigne erat et victoriæ (unde *laurus* pro ipsa victoria ponitur,) et triumphii; namque post impetratam victoriam imperatorum literæ et fasces, militumque lanceæ et pila lauro ornabantur. Inde porro a tempore Cæsaris imperatores triumphantes coronam lauream capite gerebant, ramumque laureum manu tenebant: vide Plin. H. N. xv. 30; ubi etiam causæ commemorantur hujus tanti honoris lauro habiti. *Latiis*, Latinis: vide Heins. *Aderis*, eorum capita et manus ornabis. Ita *adesse*, x. 142. de cupressu: *aderis lugentibus*.

561. *Curram triumphantis* anteibat captivi et res bello captæ; sequebantur milites, hinc *longæ pompæ*.

Milites magna et læta voce canebant, Io triumphæ! Urbem ingressi, petebant per viam sacram *Capitolium*, ut ibi hostias mactarent, Jovique Capitolino vota persolverent: vide IV. Trist. ii. 51 sqq.

562. *Postibus Augustis*, etc.] *Supra fores Palatii civica e quercu corona* suspensa erat, et ad utrumque latus *laurus* stabat, triumphalis arbor: Fast. iv. 593; III. Trist. i. 35—48. ubi plures ejus honoris causæ. Eandem arborem et Græci ante fores collocabant: Hesych. in *Κώμυθα*. Plin. H. N. 15. 30 sqq. 39.

563. *Tueri exquisitius quam, habere*.

565. *Frondis honores*.] Jam arboris naturam ex mytho ingeniose repetit. Folia dici solent comæ arborum; sed nunc illa exquisitius poeta circumlocutus est, *frondis honores*. Præiverat Virg. Georg. ii. 405: *Frigidus et silvis aquilo decussit honorem*.

566. *Pæan*, Apollo a Græco *παῖω*, i. e. *θεραπεύω*, sano. Schol. Aristoph. ad Plut. 636. Scal. Poet. lib. i. cap. xxiii. “Acclamatio fuit, *ἴε παῖ, ἴε παῖ*, unde nomen Apollini factum aiunt certis syllabis additis, *παῖων, παῖων, παῖων*.” Alii etiam nomen ei inducunt a *παῖων*, morbos sanans. *Factis ramis*, vide ad Met. ii. 487.

567. *Adnuere, κατανεύειν*, signum assensus.

VIII. Est nemus Hæmoniaë, prærupta quod undique claudit

Silva: vocant Tempe, per quæ Peneus, ab imo Effusus Pindo, spumosis volvitur undis; 570
Dejectuque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit, summasque aspergine silvas
Impluit; et sonitu plus quam vicina fatigat.

568—750. Fabulam Jūs Asclepiade, Acusilao, Hesiodo ducibus, narrarunt Apoll. II. i. 3; Hyg. fab. 145; Valer. Flac. Argon. iv. 353 sqq.; Noster, Ep. xiv. 85 sqq. Etiam Æschyl. Prom. 563—892. induxit Io, quanquam nonnulla ex fatis ejus, ut consilio suo responderent, novavit. Idem argumentum in solio Amyclæi expressum erat, Paus. iii. 18. et in clypeo Turni, qui genus ab Inacho ducebat, Virgil. Æneid. vii. 789. Atque etiam hodie in gemmis conspicitur. Vide Lipperti Dactyl. II. i. 18. Quoniam *Io* in Argivorum dialecto, notante Eustath. ad Perieg. 92, lunam significabat, lunæ autem symbolum femina capite cornuto fuit, inde fabulæ initia ducta esse videntur, aucta deinde additamentis quibusdam. Et quum Græci res Ægyptias cum suis permiscerent, Io et Epaphus Isidi et Apidi assimilari cœperunt. Vide Heyne in *Antiquar. Aufsaetzen*, tom. i. p. 41; et ad Apollod. d. l. *Est nemus*, etc. Hic transitus, quo *fluviorum conventus* fingitur, pars est et superioris et sequentis fabulæ. Locum hunc *Hæmonia* (Thessaliæ, ab Hæmone rege, Thessali patre, Strabo, ix. p. 449) ut amœnissimum describit Plin. H. N. iv. 8. et Ælian. V. H. iii. 1. Sed cum Ovidio melius consentit Liv. xlv. 6. Is *saltum* vocat, et xxxvi. 10. *fauces saltus*; Ælian. convallem inter Olympum et Ossam non admodum latam. In ea varia *nemora* æstate suavissima. Hinc Noster

nemus, et Mela ii. 3. *sacro nemore nobilia Tempe*. *Undique*, dextra lævaque. *Silva prærupta*, silva in montibus præruptis; nam quæ montibus conveniunt, ea et silvis in montibus poetæ tribuunt.

569. *Peneus*.] Fluvius Thessaliæ nobilissimus, in quem reliqui illius terræ fluvii influebant: Ælian. d. l.; Callim. h. Del. 110. Is, secundum Ælian. non *spumosis undis* per Tempe volvitur, sed otiose et leniter, in modum olei. Verum et Livius: *Terret et sonitus et altitudo per mediam valem fluentis Penei amnis*. Is. Vossius ad Melam. II. iii. 176, et iv. 38. aut verba *ab imo Pindo* corrupta esse, aut Penea ex alto per meatus latentes cadere, priusquam in conspectum erumpat, putabat. Male.

570. *Spumosis undis*.] Non fertur placido cursu, sed rapido; et ob saxa latentia unda spumis incanescit.

571. *Dejectu gravi*.] Vehementi, præcipiti lapsu. *Dejectus* non fuit ad fontem, sed ubi amnis fauces illas intrabat. *Agitantia*, ex se propellentia, *fumos*, particulas aquæ, quarum tenuitas imitatur fumum.

572, 573. *Conducit*, excitat: Virg. *colligere nubes*—*Summasque*—*impluit*. *Cacumina arborum* astantium, *pluviæ* decidentis instar, aspergunt. Respexit hæc Sidon. ii. Ep. 11: *Arborum comis, quæ margini insistunt, superjectæ asperginis fragor impluit*. De v. *impluere* et cognatis, vid. Heinsius. *Sonitu*—*fatigat*, adeo strepitu,

Hæc domus, hæc sedes, hæc sunt penetralia magni
 Amnis: in hoc, residens facta de cautibus antro, 575
 Undis jura dabat, Nymphisque colentibus undas.
 Conveniunt illuc popularia flumina primum,
 Nescia saxa gratentur, consolenturne parentem,
 Populifer Spercheos, et irrequietus Enipeus, 579
 Apidanusque senex, lenisque Amphrysos, et Æas;
 Moxque amnes alii, qui, qua tulit impetus illos,

ut ad fatigationem aurium non modo per viciniam, sed etiam remotiores regiones audiatur. Ita v. Trist. i. 62. *fatigare saxa voce.*

574. *Penetralia.*] Antrum, ex quo fluvius erumpit, poetis dicitur regia fluvii, et sedes Nympharum. In eo porro antro fingunt thalamos, penetralia, et reliquas regiarum partes. Sed Penei sedes ad *dejectum* illum collocatur. Cur autem poeta hic tot vocabb. cumulaverit, atque adeo anaphora abusus sit, non reperio. Num miratur, talem *dejectum* placere magno Amni? *Magni, μέγα χεῦμα* ei tribuit Callimach. h. Del. 110. et interdem *κατ' ἔξοχῆν* dicitur *fluvius*.

576. *Jura dare*, imperare. *Nymphis*, Penei filibus. Cf. Theocrit. Id. i. 66; Callimach. d. l. ver. 109. Ex his memorabilis Cyrene, Virgil. Georg. iv. 321.

577. *Popularia.*] Quæ sunt ejusdem terræ, nempe Thessalicæ. *Conveniunt.* Is. Vossius, ad Pomp. Mel. ii. 3 extr. accipit pro, ingrediuntur, ideoque reprehendit poetam, quia et Spercheos, et Amphrysos, et Æas alio exonerentur. Sed *convenire* hic non esse influere, ostendit, quod sequitur, *Moxque amnes alii.* Imo conveniunt Dii, præsides fluviorum, in antro Penei vel gratulandi, vel consolandi causa.

579. *Spercheos.*] Ita dictus a *σπέριον*, festinare. Fluvius rapidissimus,

qui subter Etam montem in sinum Maliacum exoneratur, et cujus ripæ populis consita fuisse videntur, sicut Penei lauris. *Enipeus* ex monte Othry Thessaliæ profluit. Virgil. Georg. iv. 368. vocatur *altus Enipeus*.

580. *Apidanus*, accepto ad Pharsalos Enipeo, in Peneum illabitur. Vocatur *senex* (Infra ii. 243, *Peneos senex*), quod Intt. accipiunt pro leniter fluente; eaque interpret. etiam in uno Vatic. Cod. ascripta est. Sic Senec. Med. 314. *senex Bootes*, qui tarde movetur. Sed ubi Apidanus irrequietum Enipeum accepit, satis rapide currit: Lucan. vi. 372. Malim ergo *senem* nunc vetustum, antiquum interpretari, i. e. antiquissimis temporibus notum, et nomine insignitum. Dionys. Geogr. 417. *ὠγήγιος Δάδων*, ubi Eustath. *ὠγήγιον δὲ λέγει, διὰ τὴν περὶ αὐτοῦ ἀρχαιολογίαν.* Callim. h. Jov. 40: *παλαιότατον ἕδωρ*, et h. Del. 71. *γέρον Φεναῖός.* Accedit, quod Veteres fluvius non minus quam Oceanum sub *senis* effigie repræsentabant. Hinc mox 645. *senior Inachus.* *Amphrysos* eam Thessaliæ partem perfluebat, quæ Phthiotis dicebatur. *Æas*, qui Plinio H. N. iii. 23. *Aous* dicitur, fluvius parvus et purissimus, et Epiro profluens, et per Thessaliam in Ionium mare se immittens.

581. *Impetus*, vis, rapiditas, tribuitur fluminibus, mari, ventis, cælo: vide Burm. ad Phædr. iii. prol. 59.

In mare deducunt fessas erroribus undas.
 Inachus unus abest; imoque reconditus antro
 Fletibus auget aquas; natamque miserrimus Io
 Luget, ut amissam: nescit, vitane fruatur, 585
 An sit apud manes; sed quam non invenit usquam,
 Esse putat nusquam, atque animo pejora veretur.
 Viderat a patrio redeuntem Jupiter Io
 Flumine: et, "O virgo Jove digna, tuoque beatum
 Nescio quem factura toro, pete, dixerat, umbras
 Altorum nemorum; et nemorum. monstraverat
 umbras; 591
 Dum calet, et medio Sol est altissimus orbe.

582. *In mare deducunt.*] Qui diversis locis in mare influunt. Sed ornate hoc extulit. *Erroribus*, ambages fluviorum tortuosæ, aut omnino cursus. *Fessas undas*, ut *fessæ* longa via aut tempestate *naves*: Virg. *Æn.* i. 168. *Auras spatio lassas* dixit Plin. v. Ep. vi. 14.

583. *Inachus*, Argivorum fluvius, hodie *Naïo*, decurrens vel ex Artemisio, Arcadiæ monte, Pausan. Arcad. p. 611. vel e Lyrceo, itidem monte Arcadiæ; Strabo viii. p. 370. Is. Vossius ad Mel. d. l. putat, confundi Argivorum Inachum cum Inacho Epiri, qui ex Læmo profluens in Ionium mare se exonerat. Falso; nam poeta eum inter *amnes alios*, a popularibus diversos, refert. Ejus filiam Io faciabant etiam Castor in Chronicis, *Æschyl.* cum aliis Tragicis atque Hygin. Sed Apollodor. alique Iaso, alii denique Pirene natam perhibent: vid. Munker. ad Hygin. d. l. ubi triplex Ius stemma. Mærens Inachus, propter amissam filiam se domi continebat; ut et mæsti et lugentes solent, publicum vitantes. *Io* accusativus est Græcus ab Io, Iûs.

584. *Fletibus auget aquas*, jocose

dictum videri possit. Sed occurrunt alibi similia: in clypeo Turni *annem fundebat*; infra xi. 47. *flumina lacrymis incresecunt suis*, Homer. II. i. 14: *δακρυχέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος*. *Sequentia Nescit—veretur* castigatior scriptor forte reseuisset.

588. *Viderat a patrio.*] Secundum Valer. Flac. Jupiter sæpe descendit ad *ignes Iûs*, eorumque furturni conscia antra habebat. Aliter rursus et copiosius rem narrat *Æschyl.* 652 sqq. initio facto a visis nocturnis. Noster Jovi tribuit orationem insidiosam, cujus tamen fraudem sensit Nympha, et insunt quædam ambigue dicta. *Io*. Hæc lectio videtur recens, nam nostri Codd. habent *illam*.

591. *Altorum nemorum.*] Burmann. recte tuetur *altorum*, quia passim *altæ silvæ* occurrit.

592. *Altissimus.*] Non omnino repugnanda videtur conjectura Burm. *Sol est acerrimus*, vehementissimi caloris, ut Horat. I. Sat. vi. 125. *sol acrior*, et apud Archiloch. sol *ὄξυς*. Ita enim causa redditur, cur nemorum umbra petenda sit. Et ab æstu solis frequenter poetæ designant meridiem. Virgil. G. iv. 401: *Medios quum Sol*

Quod si sola times latebras intrare ferarum,
 Præsida tuta Deo nemorum secreta subibis :
 Nec de plebe Deo, sed qui cœlestia magna 595
 Sceptra manu teneo ; sed qui vaga fulmina mitto.
 Ne fuge me ;” fugiebat enim : jam pascua Lernæ,
 Consitaque arboribus Lyrceia reliquerat arva ;
 Quum Deus inducta latas caligine terras
 Occuluit, tenuitque fugam, rapuitque pudorem.
 Interea medios Juno despexit in agros : 601
 Et noctis faciem nebulas fecisse volucres
 Sub nitido mirata die ; non fluminis illas
 Esse, nec humenti sentit tellure remitti :
 Atque suus conjux, ubi sit, circumspicit ; ut quæ
 Deprensi toties jam nôsset furta mariti. 606
 Quem postquam cœlo non repperit ; “ Aut ego
 fallor,

accenderit æstus, et ver. 426 : medium Sol igneus orbem Hauserat.

593. *Latebras ferarum, silvas, in quibus occultantur feræ.*

595. *Nec de plebe Deo.] De plebe Deorum dictum ad 173. Se commendat, ut supra Apollo. Sed—sed. Hæc anaphora sic etiam v. 17 sqq. 507 sqq. Magna manus, et omnino magna membra heroibus et Diis, Jovi in primis, a poetis tribui solent : vid. Burm. ad Eleg. ad Liv. Aug. ver. 224.*

597. *Lerna maxime memorabilis vel palus, vel fluvijs Argiæ, cui adjacent amplæ pascua. Æschyl. Prometh. ver. 657, πρὸς Λέρνης βαθὺν λειμῶνα (pratium in valle depressiore) ποίμνας βουστάσεις τε πατρός.*

598. *Lyrceia arva ; mons Lyrceus, et inde Lyrceius atque Lyrceus, in Arcadia, vel, ut Stephanus vult, Argolide.*

599. *Latas.] Terra magna et maxima, πελώρη, passim. Sed Nostro in*

primis placuere latæ terræ, γαῖα ἐὶπὺ στερνοῦ.

600. *Tenere, retinere, hinc impedire.*

602. *Noctis faciem, noctem.*

603. *Sub nitido die.] Vide Heyn. ad Virgil. Æneid. i. 431. Etiam VIII. i. nitidus dies, opp. tenebris. Curtius, III. iii. 5. dies illustris.*

604. *Remitti, exhalari. Plin. Hist. Nat. xvii. 4: Terra optima, quæ tenues exhalat nebulas. Cf. Lucret. v. 464. Respexit Ovid. forte Virg. Georg. ii. 217: Quæ tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres, Et bibit humorem, et, quum vult, ex se ipsa remittit. Hodie vero, Physici demonstrant nebulas aut ex fluviis, aut ex vaporibus terræ surgere.*

606. *Furtum, ut κλέμμα, omne clandestinum ; sed in primis amores clandestini et illiciti maritorum dicitur furta : hinc furtivus vir, adulter : III. Pont. iii. 56.*

Aut ego lædor," ait; delapsaque ab æthere summo,
Constitit in terris; nebulasque recedere jussit.

Conjugis adventum præsenſerat, inque nitentem
Inachidos vultus mutaverat ille juvencam. 611

Bos quoque formosa est: speciem Saturnia vaccæ,
Quanquam invita, probat: nec non et cujus, et unde,
Quove sit armento, veri quasi nescia, quærit.

Jupiter e terra genitam mentitur, ut auctor 615
Desinat inquiri: petit hanc Saturnia munus.

Quid faciat? crudele, suos addicere amores;

Non dare, suspectum: pudor est, qui suadeat illinc;

608. *Lædor.*] *Lædere* varie in re amatoria dicitur. Omnino est fallere aut violare alterum quocunque modo in amore. Vide Heynii Observ. ad Tibul. I. ii. 89. *Delapsaque ab æthere summo.* Celeritatem notat venientis: tanquam quæ alis delata; Virgil. *Æneid.* i. 394: *Ætheriu quos lapsa plaga Jovis ales aperto Turbabat cælo.* Ib. lib. iv. 223: *Vade, age, gnate, voca Zephyros, et labere pennis.*

609. *Nebulas recedere jussit.*] Etiam Juno nubibus imperat, quin adeo fulmen interdum mittit. Cæterum hinc Valer. Flac. d. I. fabulam suavissime, sed brevius Ovidio narrat.

610. *Nitentem.*] *Nitere* proprie et eleganter dicuntur pecora pingua, et bene habita: Opp. *horrida et strigosa*; sed simul candoris notio inest. Hinc 652 *nivea*, et 743 *formæ candor*. Etiam apud Apollodor. mutatur in albam vaccam. Ipse Jupiter ii. 852. *nivei* tauri formam sumit, eidemque candidæ victimæ probabantur. Apud *Æschyl.* Io, ut in theatrum induci posset, retinuit formam humanam, sed faciem habet deformatam, caputque cornibus dedecoratum. Est *βούκερωσ πᾶρθένος*.

611. *Inachidos vultus, Inachis.* *Ina-*

chidis cornua, simili periphrasi apud Propertium, i. El. iii. 20.

612—614. *Speciem—quærit.*] *Multum ἦθος inest.* Apud Valer. Flacc. lib. iv. 358: *Pluuſu foret hanc (vaccam) et pectora mulcet.*

615. *E terra genitam.*] Multi olim homines feræque, *γγγνεῖς*.—Ignoto et obscuro genere ortum, cujusque ignorabantur parentes, eum Veteres appellabant, Terræ filium. Contra quorum virtutem mirabantur, de cælo descendisse dicebant; quod Cicero, lib. i. ad Quint. frat. Ep. i. quasi cælo delapsus.

616. *Petit munus.*] Valer. Flac. dicto loco, *da—Indomitamque bovem, da caræ munera nuptæ.*

617. *Addicere.*] Nil aliud est nisi donare, tradere, ut recte explicat Gloss. MSS. Flor. Vellei. II. xxv. 4: *Addixit Dianæ agros Sulla.* Horat. Epod. xvii. ver. i. *addictum feris.* Nempe *addici* pr. de debitoribus dicebatur, qui, quum non solvendo essent, creditoribus tradebantur. Hinc omnino est vel in servitutem, vel potestati alicujus tradi: v. Grævius ad Cic. Quinct. 18. et Salmas. de Usur. p. 360.

Hinc dissuadet amor: victus pudor esset amore;
 Sed, leve si munus sociæ generisque torique 620
 Vacca negaretur, poterat non vacca videri.
 Pellice donata, non protinus exiit omnem
 Diva metum; timuitque Jovem, et fuit anxia furti;
 Donec Arestoridæ servandam tradidit Argo.
 Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:
 Inde suis vicibus capiebant bina quietem: 626
 Cetera servabant, atque in statione manebant.
 Constiterat quocumque modo, spectabat ad Io:
 Ante oculos Io, quamvis aversus, habebat.
 Luce sinit pasci: quum Sol tellure sub alta est, 630

623. *Anxia furti.*] Ne Jupiter ad consuetudinem ejus rediret.

624. *Argo.*] De *Argo*, ejusque genealogia vide Eustath. ad Homer. II. B. p. 138; Schol. Eurip. ad Phœn. ver. 1123. ibique Valkenar. Jupiter ex Niobe genuit Argum, cujus pronepos Arestor, pater Argi nostri. Acusilao et Æschyl. 570. erat γηγενής, i. e. cujus origo ignota. Alii non hunc centoculum, sed alium Argum, qui navem Argo fabricavit, Arestoris filium faciunt: vid. Gronov. Diatrib. Stat. 55. et Burm. ad h. l. Hujus nostri Argi effigies expressa erat in clypeo Hippomedontis, Eurip. d. l. et in pharetra Herculis, Quint. Smyrn. x. 191. Argus universæ mundi machinæ typus est, cujus caput cœli præ se fert imaginem, oculi stellarum, quæ inferiora despiciunt. Io ergo, si terram capias, non minus ab Argo nocturno, vicibus alternis respicitur, quam a Cyclope diurno, id est Sole. Si vacca sit, Lunam crescentem referunt cornua; nuptaque est Osiridi cujus cornua pleno orbe coeuntia Solem referunt. Utrumque numinum loco Ægyptios, Persas, aliosque coluisse notum est.

VOL. III.

625—626. *Centum.*] Omnino multa. Æschyl. Prometh. 674. πικροῖς ὄσσοις δεδορκώς, et 571. ὁ μυριωπὸς βούτας, quod Schutzius tropice putat posse omnia observantem significare. Ab Eurip. Phœn. 1120. et aliis vr. πανόπτῃς, cujus nominis causam Schol. Hom. II. B. 103. reddit hanc, quia κατὰ παντὸς τοῦ σώματος εἶχεν ὀφθαλμοῦς. Plauto Aul. III. vi. 19. *oculeus*: et Nemesian. Cyneg. 31. *stellatus oculis custos virginis*. Vetustissimi scriptores ei dabant tantum tres aut quatuor oculos: vid. Sch. Eurip. d. l. Alii omnes Argi oculos, alii nonnullos tantum fecerunt vigiles. Quint. Smyrn. x. 191: ὀφθαλμοῖσιν ἀμειβάδον ὑπνώεσκε.

627. *In statione manebant*, tanquam milites. Etiam suis vicibus e re castrensi petitum, ubi milites vicibus stationes et alia munia obeunt. Virgil. Æneid. ix. 164. *variant vices*, et 222. *servant vices*. *In statione manebant*. Hoc est, vigilabant. Translatio est a militibus sumpta, qui in statione tunc manere dicuntur, quum diligenter excubias agunt.

630. *Alta est.*] Erat Argus sævus custos, ἀκρατος ὄργην Æsch. 632.

K

Claudit, et indigno circumdat vincula collo.
 Frondibus arboreis, et amara pascitur herba :
 Proque toro, terræ, non semper gramen habenti,
 Incubat infelix ; limosaque flumina potat.
 Illa etiam supplex Argo quum brachia vellet 635
 Tendere ; non habuit, quæ brachia tenderet Argo ;
 Conatoque queri mugitus edidit ore ;
 Pertimuitque sonos ; propriaque exterrita voce est.
 Venit et ad ripas, ubi ludere sæpe solebat,
 Inachidas ripas ; novaque ut conspexit in unda 640
 Cornua, pertimuit, seque externata refugit.
 Naides ignorant, ignorat et Inachus ipse,
 Quæ sit : at illa patrem sequitur, sequiturque so-
 Et patitur tangi, seque admirantibus offert. [rores,
 Decerptas senior porregerat Inachus herbas ; 645
 Illa manus lambit, patriisque dat oscula palmis ;
 Nec retinet lacrymas : et, si modo verba sequantur,

Cf. Val. Flac. De duritie ejus nihil Nost. ; sed tristem Iûs sortem apte ad commiserationem faciendam per partes describit. *Alta*, profunda, ut millies. Contra *cælum profundum* Virg. Georg. iv. 222. est altum. Vir doctus in Biblioth. Tigur. p. 85. putat, tellurem *altam* dici respectu Solis, qui post occasum sub tellure currat, eamque in *alto* habeat. Non assentior.

631. *Indigno*, quod talem sortem non meruerat, ut ver. 508.

632. *Frondibus*.] Veteres pascere solebant boves. vid. Casaub. ad Athen. i. 19. Notant, Nostrum expressisse Calvum, qui in Io dixerat : *Ah virgo infelix ! herbis pasceris amaris. Foliis vœci amaris dixit* Horat. II. Sat. iii. 114. Pro *arbuteis* recepi *arboreis*, quod agnoscent omnes præter unum, unde Heins. illud invenit. Non enim nunc quæritur, quale pabuli genus fuerit, sed ornatus tantum causa ad-

jectum est epitheton. Valer. Flac. lib. iv. 378 : *Heu, quoties saxo posuit latus ! quos ore lucus, quæ pabula carpsit !*

634. *Flumina*, e fluminibus ; aut *flumina* sunt aquæ.

640. *Conspexit in unda*.] Heroid. xiv. 93. Io *se miratur in umbra* ; Amor. I. iii. 21.

641. *Se refugit*.] *Exterrita* cornibus, Io fugit a forma, quam conspexerat. Cf. iii. 198 sqq. Phantasia poetæ sibi ipsa in talibus placuit ; itaque iis immoratur et in sqq.

642. *Naides*, sorores, reliquæ Inachi filiæ.

644. *Admirantibus*.] *Admiramur* omnia, quæ animum nostrum percipiunt.

645. *Senior Inachus* : vide ad v. 580.

647. *Sequi* eleganter dicitur quæ facile cedunt voluntati alterius. De verbis legitur etiam, Met. xi. 327 :

Oret opem ; nomenque suum, casusque loquatur.
 Litera pro verbis, quam pes in pulvere duxit,
 Corporis indicium mutati triste peregit. 650

“ Me miserum ! ” exclamat pater Inachus ; inque
 gementis

Cornibus, et niveæ pendens cervice juvencæ,
 “ Me miserum ! ingeminat : tune es quæsita per
 omnes,

Nata, mihi terras ? tu non inventa reperta 654

Luctus eras levior : retices, nec mutua nostris

Dicta refers ; alto tantum suspiria ducis

Pectore ; quodque unum potes, ad mea verba re-
 mugis.

At tibi ego ignarus thalamos tædasque parabam ;

Spesque fuit generi mihi prima, secunda nepotum.

De grege nunc tibi vir, nunc de grege natus ha-
 bendus. 660

Nec finire licet tantos mihi morte dolores :

Lingua tacet ; nec vox tentataque verba sequuntur. Virgil. Æneid xii. 912 : *Non corpore notæ Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.* Statius, Theb. xi. 602 : *Nec verba diu tentata sequuntur.*

649. *Litera, etc.]* Regius putabat, figuram intelligi, quam boum ungula exprimat. Quomodo inde pater filiam agnovisset ? Immo mens, quæ in vacca remanserat, docebat eam literas I et O pede ducere.

654. *Tu non inventa.]* Tu quum noudum inventa esses, leviozem mihi luctum creabas, quam nunc, postquam reperta es. Sic recte Heins. locum et constituit, et exposuit. Ante eum nugabantur Intt. in definiendo discrimine verb. *reperire et invenire.* Eleganti- or mihi olim suboluit sensus, ex illis

Cereris verbis, ubi innotuisset illi de filia a Plutone rapta, Metam. lib. v. 518 : *Et quæsita diu, tandem mihi nata reperta est ; Si reperire vocas, amittere certius : aut si Scire ubi sit, reperire vocas, quod rapta, feremus.* Quasi dicat Inachus : *Tu inventa, non es inventa tamen ; quam puellam me inventurum sperabam desiderabamque, ecce vaccam invenio.* Itaque tui desideratæ luctus erat levior, quam ita forma mutata inventæ. Quam conjecturam meam postea ab aliis confirmatam reperi.

658. *Ignarus, talem te sortem manere : vide ad iii. 3.*

659. *Generi, etc.]* Vide vers. 481, 482. *vir etiam de tauro, ut Virg. Ecl. vii. 7. de capro maritus, apud Hor. I. Od. xvii. 7 ; abusus est ingenio.*

Sed nocet esse Deum ; præclusaque janua leti
Æternum nostros luctus extendit in ævum !”

Talia mœrenti stellatus submovet Argus,
Ereptamque patri diversa in pascua natam 665
Abstrahit : ipse procul montis sublime cacumen
Occupat, unde sedens partes speculetur in omnes.

Nec Superum rector mala tanta Phoronidos ultra
Ferre potest ; natumque vocat, quem lucida partu
Pleias enixa est ; letoque det, imperat, Argum. 670
Parva mora est, alas pedibus, virgamque potenti

662. *Janua leti*, causa et via mor-
tis. Prævit Lucret. i. 1105. *hæc re-
bus erit pars janua leti*. Noster III.
Trist. ii. 30. *interitus fores*. Virg.
Æneid. ii. 661. *patet isti janua leto*, i.
e. ad talem mortem ab hoste accipien-
dam facilis est via : vid. Cerda ad h. l.
Sed Inacho *præclusa erat janua leti*.
Cæterum mors, tanquam unicum in
malis remedium, Tragicis Græcis di-
cebatur *ἰατρὸς, καὶάν*. Vide Valken.
ad Eurip. Hipp. 1372. Cf. Senec.
Agam. 579 sqq.

664. *Mœrenti*.] Repone audacter
Mœrentem, scilicet patrem, ex nostro
Cod. R. B. *Submovet patrem mœren-
tem*, et *abstrahit natam ereptam*. *Stel-
latus*, distinctus oculis, tanquam cœ-
lum stellis : v. 461. *variis stellatus*
corpora guttis. Virgil. Æn. iv. 261 :
stellatus iaspide ensis. *Submovet* Valer.
in scapulos et monstis horrida lustra
abigit.

666. *Ipse procul*.] Prope ; nam in
propinquum montem ascenderat, unde
sedens in *omnes partes* spectaret. Sic
Virg. Eclog. vi. 16 : *Serta procul tan-
tum capiti delapsa*.

667. *Speculetur pro speculatur* in
uno Medic. a prima manu reperit
Heins. Ita consilium indicatur, cur
montem occupaverit. Nostri Cod. *spe-
culatur*. *Partes, regiones, speculetur*,

proprie locutus est ; nam mons, unde
quis prospectat, *specula* dicitur.

668—723. *Nec Superum*, etc.] Ju-
piter mittit Mercurium ad Argum
trucidandum ; quo facto Mercurius in
Ægyptum profugisse, ibique leges et
litteras docuisse traditur, Cic. N. D.
iii. 22. Ab eo facinore Græcis dictus
est Ἀργειφόντης. *Phoronidos*. A *Pho-
roneo* originem ducebat et Inachus ii.
et Iasus ii. vide Munker. ad Hygin.
fab. 145.

669. *Natum vocat*, non modo, quia
minister est, ut omnium Deorum, ita
Jovis in primis, unde *διάκροπος* dictus
(Hemsterh. ad Lucian. tom. i. p. 489.)
sed etiam quia calliditate, qua pol-
lebat Mercurius (Horat. I. Od. x.
7—16.) nunc opus erat. Idem Jovis
amoribus inservit etiam ii. 836 sqq.
Cf. cum loco sq. Homer. Od. E. 43
sqq. ; Virgil. Æneid. iv. 238 sqq. ;
Statius, Theb. i. 303.

670. *Pleias*, Maia, Atlantis filia,
una ex Pleiadibus, quæ sunt septem
stellæ in dorso tauri ; *lucida*, quippe
sidus. *Letoque*. Unde nomen illi
Ἀργειφόντης.

671. *Parva mora est* : Homerus,
οὐδ' ἀπίθησε : *parva*, i. e. brevis. Lu-
can. iv. 476. *parva nox*. *Alas*. Inde
dicitur *ales*, Horat. I. Od. ii. 43. et
alipes infra iv. 576. *Alæ* Mercurii di-

Somniferam sumsisse manu, tegimenque capillis.
 Hæc ubi disposuit, patria Jove natus ab arce
 Desilit in terras : illic tegimenque removit,
 Et posuit pennas : tantummodo virga retenta est.
 Hac agit, ut pastor, per devia rura capellas, 676
 Dum venit abductas ; et structis cantat avenis.
 Voce nova captus custos Junonius ; “ At tu,
 Quisquis es, hoc poteras mecum considerare saxo,”
 Argus ait : “ neque enim pecori fecundior ullo 680
 Herba loco est ; aptamque vides pastoribus um-
 bram.”

cuntur *talaria*, *πιδίλα*, et erant aureæ, Virgil. d. l. 239. Sed et capite alas gerit, et nunc pedibus, nunc fronte volat, Sidon. Carm. vii. *Virga*, caduceus Mercurii, duobus serpentibus circumplicatus, quem ei pro lyra dederat Apollo : Homer. h. Merc. 526. Erat aurea, unde Mercurius *χρυσόρραπις* : Hom. Od. K. 277. Erat proprie pacis insigne (*εἰρήνης ὄπλον*, Orph. h. xxvii. 7.) sed eadem quum multa alia efficere, tum *somnum* excitare poterat : Hom. Il. A. 334 ; Virgil. Æneid. iv. 240. ubi locus classic. de Mercurio ejusque virga. Hinc vocatur *somnifera* (*ὄπνοδοῦτις* ap. Orph. hymn. lvi. 8.) et Mercur. ipse *ἡγήτωρ ὀνειρώων* et *ἕπνου προστάτης*, Athen. lib. i. cap. xiv. Hanc virgam sumit *potenti manu* : vide ad vers. 595. et Mercurius semper apparet *κρατῶς*. *Tegimen* pileus alatus, qui *petasus* et *galerus* dicitur. Sententiam, paravit se ad iter, ita elocutus est, ut omnem Mercurii habitum describeret. *Disposuit*, quodque suo loco applicuit. *Patria ab arce* : vid. ad. 163.

676. *Agit* ante se, virga pro baculo pastorali utens, *capellas*, quas et vicinis agris *abduxerat*. *Dum venit*, accedit ad Argum.

677. *Structæ avena*, fistula pastortia, quæ etiam *arundo*, *calamus*, *stipula* dici solet, de cujus *structura* vide ad ver. 711. Apud Æschyl. 577. Argus quoque fistulam habet. Sed Ovid. rem ita finxit, ut aliam fab. commode intexere posset. *Structis cantat avenis*. *Fistula*, ex septem disparibus avenis in alæ formam crescentibus compacta : sic Noster, lib. ii. ver. 191. de alis Dædaleis : *Sic rustica quondam Fistula disparibus paulatim surgit avenis*.

678. *Voce nova*, sono *novæ*, recens inventæ fistulæ.

679. *Quisquis es.*] De formula solenni, *quisquis es*, qua peregrinos et ignotos alloquuntur Latini, vide Burm. *Poteris*, ut apud Virg. Ecl. i. 80 : *Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem*, ubi quidam, ut h. l. Vulgo, *poteris*. Sed illud elegantius, atque ita et vii. 47. 63 ; viii. 47. Solent autem in bucolicis pastores cantaturi se invitare ad *considerandum*, in quo sequuntur loca herbosa et umbram.

680. *Fecundior.*] Proprie *fecundus* locus herbis ; sed, h. l. ipsa herba *fecunda*, frequens et bona.

Sedit Atlantiades, et euntem multa loquendo
 Detinuit sermone diem; junctisque canendo
 Vincere arundinibus servantia lumina tentat.

Ille tamen pugnat molles evincere somnos: 685
 Et, quamvis sopor est oculorum parte receptus,
 Parte tamen vigilat: quærit quoque, namque re-
 Fistula nuper erat, qua sit ratione reperta. [perta

Tum Deus, "Arcadiæ gelidis sub montibus,"
 inquit,

"Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas 690

682, 683. *Et euntem—diem.*] Locutus hic valde torsit ingenia Intt. Quoniam amœnis confabulationibus tempus fallitur, et brevius quasi redditur dum nobis vix sentientibus præterlabitur; propterea negat Burman. sanum esse h. l. Ipse ergo ductu unius Cod. in quo *demuit* exaratum exstat, legit, *diminuit pro detinuit. Diminuere* autem tempus dixisse etiam Cicer. Orat. iii. 49. et hoc idem esse quod *frangere diem*, et *partem solido demere de die*, apud Horat. Si quis tamen tueri malit verb. *detinuit*, versu seq. *diem* posse in *ducem*, i. e. Argum, qui ducebat Io, mutari, tunc *euntem* esse, ire volentem. Neutra emendatio nobis satisfacit. Non probo *euntem ducem*: nam is ipse rogaverat Mercurium, ut vellet sibi tempus fallere confabulando. Cur igitur nunc abire properat, ubi ille vix initium fecit confabulandi? Et *dux* de custode bovis insolens mihi videtur; visum est etiam Heynio, Observ. ad Tibul. I. x. 10. Nec placet verb. *diminuit* propter *euntem*, i. e. vergentem ad occasum. Apud Cic. quidem *diminuere tempus* paulo aliter dicitur; multoque minus trahi huc possunt phrases illæ Horatianæ. Gebhard. Crep. I. ix. explicat, consumsit confabulando et transegit diem jam ad occasum vergentem. Et

videtur *detinere* ita dici posse, IV ex Pont. x. 67: *Detinui tempus curasque feffelli*, ubi vid. Heins. Molesta tamen redundantia est in *multa loquendo sermone*. Seidenstuecker. denique hunc sensum subjicit: diem, qui alias multa loquendo festinare solet, *sermone*, inter loquendum, vi sua divina suspendit, tardiorum aut longiorum fecit.

684. *Vincere.*] Silius vii. 204: *Donec composuit luctantia lumina somnus. Vincere servantia lumina.* Sopire fistulæ cantu oculos Argi servantis atque custodientis vaccam.

685. *Pugnat evincere.*] Pugnat, ut evincat: v. 549. *pugnat resurgere*; 354. *remoliri luctatur—Molles, dulces, suaves.* Etiam Græcis *μαλακός ὕπνος*.

689. *Tum Deus.*] Commode intexit fabulam de *Syringe* nympha, quæ quum fugeret amorem Panis, in calamos mutata est, unde Pan sibi struxit fistulam—*Sub montibus* versari dicuntur, qui in montibus, aut circa eos commorantur. Etiam *sub vallibus, sub amne, sub oris* in usu: vide Burmann.

690. *Hamadryadas, Nymphæ*, quæ ἄμα ταῖς ἐρῶσι, cum quercubus aliisque arboribus (nam ἐρῶς olim omnis arbor, Schol. Hom. ad Il. A. 86) et nasci et interire credebantur: Schol. Apollon. Rh. ad ver. 478; Plut. de

Naias una fuit. Nymphæ Syringa vocabant.
 Non semel et Satyros eluserat illa sequentes,
 Et quoscumque Deos umbrosave silva, feraxve
 Rus habet. Ortygiam studiis, ipsaque colebat
 Virginitate Deam : ritu quoque cincta Dianæ 695
 Falleret, et credi posset Latonia, si non
 Corneus huic arcus, si non foret aureus illi :
 Sic quoque fallebat : redeuntem colle Lyceo
 Pan videt hanc, pinuque caput præcinctus acuta,
 Talia verba refert." Restabat verba referre ; 700

Orac. def. p. 415. *Nonacrinas*, quæ in Nonacrino monte versantur. *Nona-eris*, oppidum et mons Arcadiæ, non procul a Ladone fluvio: Plin. H. N. ii. 103.

691. *Syringa*.] Et *Syrinx* et *Syringa* in usu: vide Munker. ad Lactant. Argum. h. fab.

692. *Eluserat*.] *Eludere* eleganter dicuntur, qui cursu celeri et per anfractus elabuntur: viii. 687. Phædr. I. fab. xii. 9: *cursu levi Canes elusit*.

694. *Ortygiam*.] Dianam, quæ, secundum Homer. h. Apoll. xvi. in insula Ortygia nata credebatur, quemadmodum Apollo in Delo. Alii vero volunt, Delum, in qua Latona et Dianam et Apollinem enixa sit, alio nomine Ortygiam esse dictam: vide Spanhem. ad Callim. h. Apoll. 59. et Del. 255. *Studiis*, venatione; *studia* enim vitæ genus, quod quis sibi delegit, quo trahitur: cf. v. 267. *Colebat*, imitabatur, in quo genus cultus. *Ipsaque*, atque adeo: supra ver. 476: *Innuptæ amula Phæbes*.

695. *Ritu—Dianæ*.] Supra genu cincta erat: vide Spanh. ad Callim. h. Dian. xi. 212.

696. *Fallebat*.] In eo multum laudis: v. ad iii. 182. *Latonia*. Diana, Latonæ filia.

697. *Aureus*.] Dianæ erant *παι-*

χρῦσα τῶξα: Homer. h. 11. in Dian. 5; Virgil. *Æneid*. xi. 652. Magna autem in his Nymphæ commendatio. Claudian. 35. 39. de Proserpina: *Potuit videri Pallas, si clypeum, si ferret spicula*.

699. *Pan*, Arcadius Deus, *Lyceum* in primis et Mænalum, Arcadiæ montes, incolere credebatur: Theocrit. Id. i. 123; Virgil. *Georg*. i. 16; Horat. IV. *Od*. xii. Ibi habebat antra, in quibus a venatione fessus recubare solebat: Callim. h. Dian. 87 sqq. Sacra ei erat *pinus*, *πίτυς*, similem ob causam, ob quam laurus Apollini. Pitys enim et ipsa olim puella fuerat, quam amaverat Pan: vid. Brouckh. ad Propert. I. xviii. 20. Itaque caput præcingere solebat *pinu*, h. e. frondibus pineis, corona pinea, quod et Fauni facere solebant: Heroid. v. 137. Vocatur *acuta*, etiam A. A. ii. 424. a forma. Ita et infra *cupressus acuta*. Est autem *pinus* (qua ipse Lyceus abundabat, ver. 217) h. l. silvestris. *Præcinctus*, xiv. 638: *Panes cornua præcincti pinu*.

700. *Refert*.] Post *refert* inepte olim hæc verba inserta legebantur, *Tibi nubere Nympha volentis Votis cede Dei*. *Restabat verba*. Quum Mercurius dixisset, *Talia verba refert*, jam succubuerant somno oculi

Et precibus spretis fugisse per avia Nympham,
 Donec arenosi placidum Ladonis ad amnem
 Venerit; hic illi cursum impredientibus undis,
 Ut se mutarent, liquidas orasse sorores; 704
 Panaque, quum prensam sibi jam Syringa putaret,
 Corpore pro Nymphæ calamos tenuisse palustres:
 Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos
 Effecisse sonum tenuem, similemque querenti:
 Arte nova, vocisque Deum dulcedine captum,
 “Hoc mihi concilium tecum,” dixisse, “manebit:”

Argi: itaque finem narrandi facere potuisset poeta; sed ne ignoraret lector reliquam fabulam, eam poeta ex sua persona aspergit. Ingeniose tali commento usus est, quia incredibile videri poterat, una cum finita fab. oculos succubuisse.

702. *Placidum.*] *Patrium* forte scripsit Noster, ut Ladonis filium Syringa faciat. HEINS. *Ladon* fluvius Arcadiæ, in Alpheum influens. Abundabat aquis, nec ulli cedebat pulchritudine, Callim. h. Jov. 18; Pausan. Arc. p. 651; Dionys. Perieg. 417. Vocatur h. l. *placidus*, sed V. Fast. 89. *rapax*; et II. Fast. 274. ei tribuuntur *citæ aquæ*. Itaque Intt. varie hunc dissensum componere conati sunt. Verum epitheta, quibus poetæ singulos fluvios et montes exornant, non urgenda sunt, nec natura eorum inde demonstranda, nisi accedat geographorum auctoritas. Itaque fieri potest, ut sui obliti, eidem fluvio diversis locis diversas virtutes tribuant: vide Burm. ad Valer. Flac. v. 180. Ansam fabulæ dedit natura *Ladonis* quem Dionysius vocat, *Ἐνκάλαμον ποταμὸν καὶ ἑστέφανον Λαδῶνα*. *Σύριγξ* Græce significat fistulam pastoritiam a *σύριζω*, sibilo. Lucretius, lib. v: *Et Zephyri cava per calamo- rum sibila primum Agrestes docuere.*

Illa inventa retulit Pana in numerum Deorum, sed de plebe. Natal. Comes, lib. v. cap. vi. legatur, et Francisci Baconi de Sapia Veterum, cap. vi: *Pan*, sive *Natura*.

704. *Liquidæ sorores.*] *Nymphæ* in Ladone habitantes. Similiter Inachus vocatur *liquidus parens*, Heroid. XIV. 89. Propert. II. xxv. 34: *Acheloi liquor luget*.

706. *Calamos.*] Burmann. ex uno Medic. *cannas tenuisse*, quia Apulei. V. Metam. *Deam Cannam* vocat, et quia ver. 711. Sed Plin. Hist. Nat. xvi. 36 s. 66: “*Calamus* alius totus concavus, quem syringiam vocant, utilissimus fistulis, quoniam nihil ei est cartilaginis atque carnis.” Lactant. in Argum. *in arundines conversa est*.

707. *Dumque ibi suspirat.*] *Ibi* in calamo suspirat Syrinx, vel potius Pan, ob amissam Nympham.

708. *Sonum tenuem*, qualem habet fistula, unde ipsa *λεπτάλια*, et *tenuis* dicitur.

710. *Concilium.*] Olim edeb. *consilium* aut *colloquium*. Jac.-a-Cruce suadebat *condilium*, quia in fistula multi calami, tanquam annulis, compositi fuerint. Ciofan. ex duobus MSS. proferebat *concilium*, i. e. societas, consuetudo, quod, quum etiam in Lovan. exstaret, merito receptum est ab

Atque ita disparibus calamis compagine ceræ 711
 Inter se junctis nomen tenuisse puellæ.
 Talia dicturus, vidit Cyllenius omnes
 Succubuisse oculos, adopertaque lumina somno.
 Supprimat extemplo vocem; firmatque soporem,
 Languida permulcens medicata lumina virga. 716
 Nec mora: falcato nutantem vulnerat ense,
 Qua collo confine caput; saxoque cruentum

Heins. Cod. R. B. *solatium*. Non male nostro iudicio. *Hoc mihi—manebit*. Hic cantus me semper tibi conciliabit; hujus soni causa semper utar tua consuetudine; ex te faciam fistulam, qua crebro utar otii fallendi causa. Et solebat Pan semper hoc instrumento musico delectari. *Concilium* ita dici, probat ad h. l. Heins. Ipsa fœdera et amicitia vocantur *concilia*. Cæterum fistula fuit triplex: *μονοκάλυμνος*, quam invenit Mercurius (Homer. Hymn. 1. Merc. 509;) *πολυκάλυμνος*, cujus auctor Silenus. Illam denique, quæ cera glutinatur, cujus inventio h. l. et Virg. Ecl. ii. 32. Pani adscribitur, Marsyas invenisse traditur apud Athenæum, iv. p. 184. Pani contra alii tribuunt *πλαγιάυλον*, i. e. tibiam obliquam: vid. omnino Spanhem. ad Callim. h. Dian. 245. Veram fistulæ originem refert haud dubie Lucret. v. 1283: *Zephyri cava per calamorum sybala primum Agrestes docuere cava inflare cicutas*. Jam quum musica ob insignem præstantiam divinum opus haberetur, factum est, ut inventio celeberrimorum instrumentorum Diis auctoribus tribueretur; et fistula quidem pastoralis Pani, Deo tutelari pastorum. Fistula autem quum sit simplicissima, neque usus ejus multum exercitationis requirat, fuit haud dubie in antiquissimis instrumentis: Plutarch. de Mus. p. 1136.

711. *Disparibus*, scilicet longitudine. Calami eo ordine collocabantur,

ut brevior semper sequeretur longior. Res clara est ex viii. 190 sqq. Cf. Virg. Ecl. ii. 36. ubi fistula ex septem cicutis disparibus hoc modo composita. *Compagine* vituperat Servius ad Virgilium, Æneid. i. 293. quasi parum Latine. Sed Burm. docet h. l. etiam Manil. dixisse *compugine* pro *compagne*, aut *compagibus*. *Nomen tenuisse puellæ*. Nam *σφριγξ* Græcis fistula. Vide notas in vers. 702 et 706.

713. *Cyllenius*, Mercurius, quem Maia in Cyllenes, montis Arcadiæ, vertice peperit: Virg. Æn. viii. 139: *Permulcens medic. virga, ῥάβδος θεῶν ὑπροδῶτιδι*, Orph. hymn. 56. 8: *medicata*, succis soporificis tinctorum. Virgil. Æn. vi. 420. Talis somnus, succis soporificis effectus, *medicatus* dicitur Heroid. xii. 107; nam *medicare* omnino est succis inficere.

717. *Falcato—ense*.] *Falcatus e.* harpe, *ἀρπή*. Val. Flac. iv. 390: *Celerem mediis in cantibus erigit harpen*. Ejus usus frequens in mythologia, Apollod. I. i. 1.; 6. 3. Tali ense et Perseus usus, iv. 726. Sed unde nunc Mercurio harpe? Adveniens virgam tantummodo retinuit, 675. nec itineri se accingens harpen sumpserat. Apud Apollod. lapide misso Argum interficit. Nihil defuit Æschyl. apud quem 685. subita mors eum vita privat. *Nutantem*; tunc cervix maxime patebat vulnere.

718. *Qua collo confine*.] *Qua caput jungitur cum collo*.

L

Dejicit; et maculat præruptam sanguine caudem.
 Arge, jaces: quodque in tot lumina lumen habebas 720

Exstinctum est; centumque oculos nox occupat
 Excipit hos, volucrisque suæ Saturnia pennis [una.
 Collocat; et gemmis caudam stellantibus implet.

Protinus exarsit, nec tempora distulit iræ, 724
 Horriferaque oculis animoque objecit Erinnyas

719. *Et maculat—caudem.*] Hæc verba poterant omitti, quia res sponte intelligitur. Verum Jac. a-Cruce sarcasum illum poetæ, *Arge, jaces*, etc. esse epitaphium putabat, quo, subito concepto, Mercurius *maculaverit* (inscripserit) sanguineis literis caudem. Antiquis *lumen cernere, φάος δερκεσθαί*, erat vivere. Inde pendet prius sarcasmi acumen, *quodque*, etc. lumen non amplius cernis, quo per tot oculos fruebaris. Ut alibi Epiphonema in defunctos additur, v. c. Virgil. *Æneid.* ix. 446; sic h. l. sarcasmus. Jam poeta convertit orationem ad Argum. *Jacere, κείθαι*, dicuntur mortui.

720. *Arge, jaces.*] Virg. *Æn.* x. 557: *Istic nunc, metuende, jace.* Homer. *Iliad.* x. ver. 386: *Κεῖται πᾶρ νήεσσι νέκυς ἄκλαστος ἀθαιπτος Πάτροκλος*; et alibi. De iis qui ferro pereunt, qui non sua morte defunguntur; cui contrarium stare, incolumem esse; Virg. *Æneid.* ii. 88: *Dum stabat regno incolomis.*

723. *Gemmis stellantibus.*] *Maculæ* in cauda pavonis ob varietatem colorum et splendorem, eleganter vocantur *gemmæ stellantes*. Infra, xv. 385: *Quæ cauda sidera portat.* Plin. H. N. x. 20. pavonibus tribuit *gemmales colores*, et guttas in cauda vocat *oculos*. Phædr. III. Fab. xviii. 8: *Pictis plumis gemmea cauda.* In Argum. Lactant. Juno Argum in volucrem pavonem transformavit, et pennas insignibus,

quibus amissa lumina indicaret, ornavit. Cf. Martial. xiv. Epigr. 85.

724—750. *Protinus exarsit*, etc.] Duo postremi fabulæ actus, quorum alter de erroribus, quos copiose alii recensent, verbo attingitur.

725. *Erinnyas* Juno immittit etiam apud Valer. Fl. *Cum facibus spirisque et tartareo ululatu Tisiphonen videt.* Tum *stimulos* et *Æschyl.* 603. memorat, *κέντροις φοιταλέουσιν*, *stimulis ad cursum exercitantibus*. Ab eodem tamen ver. 568. *astro* agitata dicitur, et ver. 687. ut et a Sophocle, *οἰστροπληξ* vocatur. Sic et Apollod. Virg. *Georg.* iii. 152. et alii. *Æstrus, οἰστρος*, pro quo tamen Latini maluerunt *asylum* dicere, (Virg. d. l. 147 sqq. Lactant. ad Stat. Theb. i. 32.) genus insectorum dipterorum est, vespis simillimorum, quæ oriuntur ex bestiis aquatilibus, nostris *Bremsen*. Jam pecudes, quum ab iis punguntur et vexantur, gravissimos sentiunt dolores, adeo ut *furere* incipiant. Virg. d. l. 149 sqq. Hinc *æstrum* tropice dicitur mox de quocunque stimulo, mox de furore, aut adeo de Furiis, quæ furorem injiciunt hominibus: vid. Munke. ad Hygin. fab. 145. Qui Io in vaccam mutatam tradiderunt, eorum plurimi *æstrum* haud dubie proprie acceperunt. Ap. *Æschyl.* vero Schutzius monet, omnino terculamentum intelligendum esse, forte umbram Argi, quæ non oculis, sed menti Ius per in-

Pellicis Argolicæ, stimulosque in pectore cæcos
 Condidit, et profugam per totum terruit orbem.
 Ultimus immenso restabas, Nile, labori :
 Quem simul ac tetigit, positisque in margine ripæ
 Procubuit genibus, resupinoque ardua collo, 730
 Quos potuit, solos tollens ad sidera vultus,
 Et gemitu, et lacrimis, et luctisono mugitu
 Cum Jove visa queri est, finemque orare malorum.
 Conjugis ille suæ complexus colla lacertis, 734
 Finit ut pœnas tandem, rogat ; “ Inque futurum
 Pone metus, inquit, nunquam tibi causa doloris
 Hæc erit :” et Stygias jubet hoc audire paludes.
 Ut lenita Dea est, vultus capit illa priores ;
 Fitque, quod ante fuit : fugiunt e corpore setæ :
 Cornua decrescunt : fit luminis arctior orbis : 740
 Contrahitur rictus : redeunt humerique manusque ;

tervalla objecta sit. Et Schol. ad ver. 563. tradit, illam umbram sub specie canis terruisse juvencam. Hygin. *formidinem* memorat, quam Furis injiciunt.

726. *Pellicis Argolica.*] *Pellex Argolica*, Io, quæ Argis oriunda pellicis vices præstiterat Jovi : vide Valken. ad Eurip. Hipp. ver. 1303. *Cæcos*, occultos. *Terreri et φοβείσθαι*, proprie dicuntur, qui a Furiis corripuntur, aut furore rabieque excitantur : vid. Heyn. ad Virgilium, Georg. iii. 434.

728. *Labori*, laboribus. De iis vide Apollod. et multo magis Æschyl. inde a ver. 713. quibus adde Schutzii *Excurs.* iv. Ibi quoque *Nilus* finis errorum ; ubi enim ex Æthiopia Canobum venit, pristina forma ei redditur. A Phœnicibus raptam ex Argis Io scribit Herodotus, in Clio, per initium libri, et ab iis in Ægyptum deportatam. Ibi aiunt, quum Ægyptios multa nova

inventâ docuisset, Api regi nupsisse.

730. *Ponere genu* phrasis propria et elegans : vid. Heinsium ad Claud. vi. Cons. Honor. 71. Cf. Heroid. xiv. 107. *Ardua*, in sublime spectans. Virg. *Æneid.* v. 278 : *Colla arduus attollens*. Supplices brachia solent tendere ; sed brachia non habebat Io, solos igitur, quos potuit, vultus ad sidera sustulit. Similiter, *Metam.* ii. 487 : *Qualescunque manus ad cælum tollit*. Virg. *Æn.* ii. 405 : *Ad cælum tendens ardentia lumina frustra ; Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas. Luctisonus*, imitans vocem lugubrem, forte ab Ovidio signatum.

738. *Vultus*, forma. *Setæ*. Virgil. *Æn.* vii. 790 : *Io jam setis obsita. Luminis orbis*, oculi, qui etiam simpliciter *orbis* et *ὀφθαλμοί* dicuntur. *Lactant.* de Opific. Dei, viii. 16. *Sophocl.* *Œdip.* 1294. Vid. Savaro ad Sidon. *Ap.* i. 2.

Ungulaque in quinos dilapsa absumitur unguēs.
 De bove nil superest, formæ nisi candor, in illa ;
 Officioque pedum Nymphe contenta duorum
 Erigitur ; metuitque loqui, ne more juvencæ 745
 Mugiat ; et timide verba intermissa retentat.
 Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.
 Huic Epaphus magni genitus de semine tandem
 Creditur esse Jovis ; perque urbes juncta parenti
 Templa tenet : fuit huic animis æqualis et annis

742. *Ungulæ* bisulcæ, *χηλαί*, quales habent boves, nunc rursus scinduntur in quinos digitos. *Dilapsa absumitur* suaviter, pro dilabitur, fere ut Virg. Georg. iv. 410: Proteus in *aquas tenues dilapsus abibit*; et Noster, v. 435: *Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos*. Non dixit in *digitos*, sed in *ungues*, quorum natura similior unguibus. *Officio pedum* exquisite, pro *pedibus*; et *contenta* habet aliquid jocosum. *Candor*, ut *nitor*, ver. 552; et pulchritudinem et candidum colorem notat. Ingeniose *metuit—retentat*.

746. *Intermissa*.] Lovan. *verba intercepta*, non invenuste, iudice Burm.

747. *Colitur*, in Ægypto, qua nunc ducimur a poeta, et unde mox per Æthiopiā in regiam Solis proficissemur. Ritus istius cultus habet Lactant. Inst. Div. i. 21. Colitur sub nomine Isidis. *Dea celeberrima*, sola enim Isis cum Osiride per totam Ægyptum templa habebat. Herod. ii. 42. Scripsit Plutarch. de his celeberrimis Ægypt. Diis peculiarem libellum. *Linigera a turba*, ab Isiacis, sacerdotibus Isidis, quos Juvenal. vi. 33. *linigerum gregem* dixit, quia non nisi lineis vestimentis induti erant. Herodot. ii. 37. Causa ejus rei plures affert Plutarch. d. l. tom. vii. p. 390. edit. Reisk.; sed veram videtur omisisse: Isis enim haud dubie regina fuit, quæ Ægyptiis *lini* usum ostendit:

vide Goguet. *vom Ursprunge der Gesetze*, etc. t. i. 129. Itaque et ipsa lineis vestimentis induta erat, et *dea linigera* dicebatur: Noster I. Pont. i. 51: *Linigeræ Isidis numen*.

748. *Epaphus*.] Ab Æschylo Prometheus. ver. 319, vocatur, *διος πόρτις* (vitulus, i. e. filius) *βοός*. Eusebius tamen in Chronico ad a. 481. auctor est, ex Telegono, cui juxta Apollod. postea nupsit Isis, genitum esse hunc Epaphum: vide Burmann. ad h. l. Apud Æschyl. Jupiter non concumbit cum Io, sed ad Nilum placide manu palpas gravidam eam reddit, *ἐπαφῶν ἀτάρβει χειρὶ καὶ θίγων μόνον*. Inde *Epaphus*. Is Græcis, idem quam Ægyptiis *Apis*. Herodot. ii. 153. iii. 27.

750. *Fuit huic*, etc. *Phaethon*.] Eodem fere modo quo Noster Hesiodus fabulam Phaethontis in libro perditto (unde eam Hygin. fab. 154 excerptis) narraverat; neque, ut ex Eustath. ad Hom. Od. p. 1689 apparet, in parentibus a Nostro dissensisse videtur, quanquam eum Hygin. nescio quo errore deceptus, tradit, Clymenum, Solis filium, patrem fuisse Phaethontis, Meropenque nympham matrem. Mox a tragicis eadem certatim est tractata, ut Schol. Hom. ad Od. P. 208 observat; sed non nisi ex Eurip. Phaeth. pauca fragm. restant, quæ in Ed. Lips. t. ii. p. 462 leguntur. Ex

Sole satus Phaethon, quem quondam magna lo-
quentem, 751

Nec sibi cedentem, Phœboque parente superbum,
Non tulit Inachides, “ Matrique, ait, omnia demens
Credis ; et es tumidus genitoris imagine falsi.”

Erubuit Phaethon, iramque pudore repressit: 755
Et tulit ad Clymenen Epaphi convicia matrem.

“ Quoque magis doleas, genitrix, ait, ille ego liber,
Ille ferox tacui : pudet hæc opprobria nobis

auctoribus, qui exstant, eam repetierunt Aristot. de Mirabilibus, c. 82 ; Apoll. Rh. Arg. iv. 597 sqq. Lucret. v. 397—405 ; Manil. i. 733 sqq. Hygin. fab. 152 a cæteris dissentiens ; Lucian. Astrol. t. v. p. 223. et copiosius in Dial. Deor. 25. ubi Jupiter Apollinem increpat, quod insipienti adolescentulo equos solares commiserit : in quibus multa Ovidianis similia. Priore loco Lucian. contendit, Phaethontem Astronomum fuisse, qui cursum solis designarit, sed ante, quam opus perficeret, mortuus sit. Etiam Proclus, ad Tim. Plat. p. 33 seq. fabulam e physicis interpretatus est. Cf. et Philostr. Icon. i. 2. Noster, quæ tradita acceperat, et copiosissime et eruditissime persequutus est ; sed hic non minus, quam in diluvio Deucalioneo, luxurianti ingenio indulsit. Tum discerpit fabulam ita, ut majorem ejus partem in libr. sequentem transferret. Quod olim quum moleste nonnulli ferrent, factum arbitror, ut hic secundum librum ordirentur, quæ divisio in quatuor Codd. reperitur. Seneca, de Provid. 5. loca nonnulla inde laudavit ad illustrandam fortitudinem in appetenda virtute. Et potest hæc fab. æque ac Æsopica, usum moralem habere. Ea enim monemur, ne appetamus quæ supra vires nostras sunt, et ut sapientiorum hominum consiliis regi nos sinamus. Hor. IV.

Od. ii. 25. Cf. et Eurip. fragm. iii. *Æqualis*. vii. 658. *pares annis animisque. Animis, spiritu et superbia.*

751. *Magna loqui.*] Μεγαλαυχεῖν, μεγαληγορεῖν, gloriari, superbire : vide ad ix. 31. Juvenes, quum suis nondum inclaruere virtutibus, de generis nobilitate rixantur.

752. *Nec sibi cedentem.*] Quia Phœbo patre Deo natus esset, æque ac Epaphus, verum non æque magno Deb, ut ille ; nam quid Jove majus habetur ? Cedere ergo Phaethon Epapho débuisset in hac parte. Sed Phaethontis animos augebat, quod avum haberet Jovem, et Epaphus de avo gloriari non poterat : nam Saturni nullum jam nomen erat.

754. *Tumidus.*] *Tumere* de fastu et superbia. *Falsus*, qui putatur is esse, qui revera non est : vide Brouckh. ad Propert. II. El. vii. 43. *Imago*, falsa rei repræsentatio, ii. 37.

756. *Tulit ad matrem.*] More puerorum, qui offensi ab æqualibus, rem ad parentes deferunt, et ab iis vindictam petunt.

757. *Liber*, qui, neminem timens, dicit et facit, quæ ipsi recta videntur. Plin. vi. Ep. viii. 8 : *Non feret magnum et liberum ingenium cum contumelia damnium. Ferox* opp. leni et placido ingenio. Cic. Sen. n. 33 : *infirmis puerorum est, ferocia juvenum.*

Et dici potuisse, et non potuisse repelli.

At tu, si modo sum cœlesti stirpe creatus, 760

Ede notam tanti generis; meque assere cœlo."

Dixit; et implicuit materno brachia collo;

Perque suum, Meropisque caput, tædasque soro-

Traderet, oravit, veri sibi signa parentis. [rum,

Ambiguum, Clymene precibus Phaethontis, an ira

Mota magis dicti sibi criminis; utraque cœlo 766

Brachia porrexit; spectansque ad lumina Solis,

"Per jubar hoc, inquit, radiis insigne coruscis,

Nate, tibi juro, quod nos auditque videtque;

Hoc te, quem spectas, hoc te, qui temperat orbem,

Sole satum: si ficta loquor, neget ipse videndum

Se mihi; sitque oculis lux ista novissima nostris.

Nec longus labor est patrios tibi nosse penates:

759. Phaethon non tam recriminari, quam *repellere*, ferociter a se amoliri illud crimen volebat.

761. *Me cœlo assere.*] Vindica mihi divinam originem.

763. *Merops*, maritus Clymenes, pater putativus Phaethontis (Fast. iii. 30.) et rex Æthiopiæ: vide ad ver. 774. *Sororum* nomina vide ii. 346. Per harum *tædas* jugales, i. e. nuptias, maluit, ut aptius, quam *caput*, matrem orare.

766. *Crimen*, criminatio. Gloss. explicant per *ἐγκλημα, διαβολήν*. H. l. insimulatio adulterii; quemadmodum stuprum ipsum sæpe apud Nostrium *crimen* dicitur. Vid. Drakenb. ad Sil. vi. 534.

767. *Lumina Solis* periphrasis Solis; atque etiam *jubar* nunc est Sol ipse. *Per jubar*. Per Solem jurare, eumque testem facere aut innocentia suæ, aut injuriæ alterius solebant Veteres. Infra iv. 238; Virg. Æneid. xii. 176: vide Burmann. in Jove Fulg. xv. Et nunc quidem Clymene

non poterat graviorem veri testem dare, quam Solem, patrem ipsum, de quo dubitabatur. Commotus autem animus ex asseveratione seq. satis elucet. *Quod nos audit*, etc. Sol Deus *πανδέρκης, πανόπτης*, omnia intuens, omnia etiam exaudiens. Plin. H. N. ii. 6; ex Homero Il. Γ. 277. *Ἥλιος θ', ὅς πάντ' ἐφοράς, καὶ πάντ' ἐπακούεις*. Cf. Cerda ad. Virgil. Æneid. iv. 607.

770. *Qui temperat orbem.*] Sol temperat orbem, dum lucem et calorem largitur, forte et motum tribuit planetis, vicissitudinesque temporum efficit. Horat. I. Od. ii. 15: Jupiter temperat mundum, regit.

773. *Patrios penates*, patriam domum, regiam Solis: vid. ad ver. 174. Hæc unde oritur Sol, a parte orientali, *contermina est terræ nostræ*. Apud Euripid. Phaeth. fragm. p. 462. t. ii. edit. Lips. Merops vocatur rex ejus terræ, quam primam Sol exoriens illustrat, et quam nigri vicini *lucidam Auroram* (ἔω φαεινάν) et *Solis stabula*

Unde oritur, domus est terræ contermina nostræ.
 Si modo fert animus; gradere; et scitabere ab
 Emicat extemplo lætus post talia matris [ipso." 775
 Dicta suæ Phaethon, et concipit æthera mente;
 Æthiopusque suos, positosque sub ignibus Indos
 Sidereis transit, patriosque adit impiger ortus.

(ἡλίου ἰπποστάσεις) appellant. Ea vero est Æthiopia, cui, quippe sub calidiore cœlo sitæ, vicinior est Sol; nam mox Æthiopus suos memorat, quibus vicinos facit Indos. Veteres autem sub Indorum et Æthiopum nomine omnes Orientis populos complexi sunt, in australibus potissimum plagis: vide Cuper. Observat. iv. 7.

775. Si modo fert animus, si cupis: vide ad ver. 1.

776. Emicat celeritatem indicat. Emicat. Exilit; nam emicare cum subsiliente corpore lætitiâ indicat. Virgil. Æneid. vi. 5: *Juvenum manus emicat ardens Litus in Hesperium*; et alibi.

777. Concipit viator mente locum, quo tendit: proponit sibi locum, quo tendat. Positos sub ignibus Indos. Horat. I. Od. xii. 55: *subjectos orientis ora Indos*.

N. B. Argumentum hujus libri secundi Metamorphoseon, relatum invenies in serie CANTERI, supra pag. 52.

P OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER SECUNDUS.

FAB. I.

REGIA Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammisque imitante pyropo;
Cujus ebur nitidum fastigia summa tenebat;

1—18. *Regia Solis.*] In qua describenda Ovidius nec veteris cujusdam poetæ loca respexit (quanquam et apud Homer. Od. Δ. 72. H. 87. regiæ occurrunt auro, argento, ebore splendentes,) nec obiter Apollinis templum ab Augusto in Palatio dedicatum (de quo III. Trist. i. 58 sqq. Propert. II. xxiii.) laudare voluit; sed e partibus templorum præcipuis, *columnis, fastigiis foribusque cæclatis*, eam composuit, addito insigni ornatu, qui, quum in Romanor. ædibus aurum, ebur, marmor reniret, divinam regiam in primis decere videbatur. Quod posterius minime approbavit Senec. Ep. cxv. qui, allata hac ipsa regiæ et mox cursus solaris descriptione, monet, talibus augeri sacram auri famem inter homines. *Columnæ*, porticus, in quibus apud Veteres maxima pars magnificentiæ templorum. In primis operam dabant, ut essent *sublimes*, altæ: vide Ernesti Archæol. viii. 10. *Alta columnis*, propter columnas, ut Virgil. Æneid. vii. 170.

2. *Clara.*] Splendens. *Micante*
VOL. III.

auro. Micare, per intervalla lucere, et se movere. *Auro*. Lege Senec. hos versus citantem, Epist. 115. *Pyropo*. Gemma radiante instar carbunculi. Neque enim placet de ære coronario: quod Plin. lib. xxxiv. 8. scribit *aurei certis scrupulis mixtum prætenui pyropi bractea ignescere*.

3. *Fastigia.*] Ἄεροι, δερῶματα, propria erant templorum regiarumque divinarum, neque in aliis ædificiis ferebantur. Erant autem pinnacula, quibus, dignitatis causa, tecta templorum elatiora (privatarum enim ædium tecta plana erant) in cacumine exornabantur. *Fastigia summa*, i. e. in summo tecto: vide Ernesti Clav. Cic. h. v. Fastigia plerumque onusta erant signis: vide Pausan. passim, in primis lib. v. p. 399 s. Sic in templi Apollinis, ab Augusto dedicati, fastigio erat aureus Solis currus. Propert. II. xxiii. 11. Itaque et h. l. *ebur* accipio de signis eburneis in fastigio collocatis: *nitidum*, candidum. *Tenere* locum dicuntur, quæ in eo collocata sunt: vide Heins. ad III. Fast. 219.

M

Argenti bifores radiabant lumine valvæ.

Materiem superabat opus : nam Mulciber illic 5
Æquora cælârat, medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, cælumque, quod imminet
orbi.

Cæruleos habet unda Deos ; Tritona canorum,
Proteaque ambiguum, balænarumque prementem

Cæterum de dignitate, quam templis addunt *columnæ* et *justigia*, cf. Cic. Orat. iii. 46.

4. *Argenti bifores.*] Etiam foribus magnus addebatur ornatus; itaque semper earum fit mentio in descriptionibus regiarum : cf. Hom. Od. Z. 19; P. 267. in primisque H. 82 sqq. ubi regia Alcinoi describitur. Curabatur, ut essent *εὐεργεῖς* et *φαιναί*. *Valvæ* in primis erant templorum, et complicabantur ita, ut in se ipsas intus revolverentur : vide Barth. Advers. xl. 10. Hinc *bifores valvæ*, *θύραι δικλίδες*, *διάπρισται*. *Valvæ* templi Capitolini laminis aureis obductæ erant, sed hæ nostræ argento. Ut hic *lumen argenti*, sic Val. Flac. iii. 100. *ferri lumen*, sc. in splendorem dati. *Radiare* verbum antiquæ elegantiæ, iudice Broukh. ad Propert. I. xv. 7. ubi plures et Nost. Pont. III. iv. 103. *radiari* accipientes refert. Sed alibi fere vim activam habet, splendorem dare.

5. *Materiem* (sic, non *materiam* : vid. Salmas. ad Solin. p. 328) *superabat opus*, ut fieri solet in operibus artificiose fabricatis. *Opus* autem quum de rebus arte factis dicitur, et opponitur *materia*, elaborationem significat. Claud. x. 87. de regia Veneris : *Lemnius hæc etiam gemmis extruxit et auro, Admiscens artem pretio*. Artifices in foribus, clypeis, balteis aliisque operibus, res memorabiles exprimere solebant ; atque in istis argumentis describendis placent sibi poetæ, Hom. exemplo. In his foribus mundus universus spec-

tabatur, quem Sol luce sua collustrat. De *valvis* templorum per talia emblemata magnifice exornatis vide Cic. Verr. iv. 56 ; Plin. H. N. ix. 13 ; Virgil. Georg. iii. 26. *Mulciber*. Talia opera elaborare solebat *Mulciber* seu *Vulcanus*, fabriiium artium præses et rex, qui omnia Deorum opera metallica facere solebat. *Cælatas fores* habebat etiam Capitolium : Claud. xxviii. 46. Et erant *cælata* opera maximi pretii. De verbis *cælare* et *τορσθεῖν* vide Heyn. in *Antiq. Aufsaetzen*. P. ii. p. 130 sqq. ubi docet, illa fere semper dici de opere plastico. Quanquam signa interdum et illigari solebant.

7. *Quod imminet orbi.*] Nomine orbis, hic cape aerem, terram, aquam, quorum velut tectum quoddam est cælum.

8. *Tritona canorum*, est enim tubicen Neptuni : vide ad i. 333.

9. *Proteaque ambiguum.*] De *Proteo* locus classic. est Virg. Georg. iv. 387—450. Erat autem *Proteus* vates senex et Deus marinus, cui Neptunus curam armentorum suorum, h. e. monstrorum marinorum, tradiderat. *Ambiguum*, mutantem vultus, ut eum vocat Horat. I. Ep. i. 90. Varias enim formas inducere solebat *Proteus*, ita ut modo aper esset, modo arbor, mox in aquam se extenuaret, mox ignis speciem sumeret, cf. viii. 732 sqq. ubi ejus fictionis causam attulimus. *Transformis* vocatur Fast. i. 373.

Ægæona suis immania terga lacertis, 10
 Doridaque, et natas : quarum pars nare videntur,
 Pars in mole sedens virides siccare capillos ;
 Pisce vehi quædam : facies non omnibus una,
 Nec diversa tamen ; qualem decet esse sororum.
 Terra viros, urbesque gerit, silvasque, ferasque, 15
 Fluminaque, et Nymphas, et cætera numina ruris.
 Hæc super imposita est cæli fulgentis imago ;
 Signaque sex foribus dextris, totidemque sinistris.
 Quo simul acclivo Clymeneia limite proles
 Venit, et intravit dubitati tecta parentis ; 20
 Protinus ad patrios sua fert vestigia vultus ;
 Consistitque procul : neque enim propiora fere-
 bat

10. *Ægæona.*] Etiam *Ægæon*, quem Dii *Briareum* vocabant, Deus marinus, Neptuni vel filius, vel secundum Hesiod. Theog. 817 sqq. gener, sed patre fortior ; unde ei centum brachia, in quibus sedes fortitudinis, tribuuntur : vide Hom. II. A. 402 sqq. Sed Virgil. *Æneid.* x. 565. eum videtur inter Gigantas retulisse. *Premere* omnino quidem est insidere ; sed nunc, ubi *lacertis* additur, malim ad habitum animalibus insidentium referre, quum demissis brachiis terga eorum tangunt, ut infra 874 Europa dorsum tauri.

11. *Doris*, filia Oceani, conjux Nerei, mater quinquaginta Nympharum, quæ a patre Nereides dicuntur : Hesiod. Theog. 240 ; Orph. Hymn. 23. *Nare videntur*, nantes cernuntur.

12. *Moles*, scopulus. *Siccare capillos* solenne negotium Deorum marinarum, quemadmodum alii otio abundantes comam ornant. Singulis nunc actio quædam tribuitur. *Virides Nereidum comæ* etiam Hor. III. Od. xxviii. 10. Neptunus *κωνοχαίτης*

apud Græcos : vid. ad i. 275. ubi vocatur *Cæruleus*.

13. *Pisce*, belluis marinis, delphinis in primis, vehi solebant Nereides : vid. ad xi. 237. *Facies*, etc. Ingeniose et in laudem artificis. Claudian. x. 72. de Amoribus : *mille fratres, ore pares, similes habitu*.

15. *Viros.*] Homines : *gerit*, habet.

17. *Cæli imago*, cælum : *fulgentis*, stellati, *αίγληντος, ἀστερόεντος*.

18. *Signa simpliciter* dicuntur sidera Zodiaci, quæ certorum animantium, aliarumque rerum speciem referre putantur ; unde Zodiacus ipse *signifer orbis*. Cic. Div. ii. 45. Jam hæc duodecim signa secat Æquator ita, ut sex sint in parte septentrionali, totidemque in australi. Hoc igitur expresserat Vulcan. quum dimidiam signorum partem dextris foribus addidisset, dimidiam sinistris.

19—30. *Quo simul acclivo.*] Interna regiæ facies. *Acclivo*, quia templa in editis fere locis poni solebant. *Purpurea* veste velati, aut, epitheto veluti proprio, *purpurei* ubique reges

Lumina. Purpurea velatus veste sedebat
 In solio Phœbus, claris lucente zmaragdis.
 A dextra lævaque, Dies, et Mensis, et Annus, 25
 Seculaque, et positæ spatiis æqualibus Horæ :
 Verque novum stabat, cinctum florente corona :
 Stabat nuda Æstas, et spicea sarta gerebat :
 Stabat et Autumnus, calcatis sordidus uvis ;
 Et glacialis Hiems, canos hirsuta capillos. 30
 Inde loco medius, rerum novitate paventem
 Sol oculis juvenem, quibus aspicit omnia, vidit.
 “ Quæque viæ tibi causa? quid hæc, ait, arce petisti,
 Progenies, Phaethon, haud inficianda parenti ?”
 Ille refert : “ O lux immensi publica mundi, 35
 Phœbe pater, si das hujus mihi nominis usum,

inducuntur. Præterea *purpureum* omnino lucidum et splendidum colorem significat : unde *purpureum* Solis *lumen* Virg. *Æn.* vi. 641. et alibi.

23. *Lumina.*] *Lumina* propiora non ferebat. Cf. 40 sqq. *Zmaragdis.* Scribendum esse *zmaragdus*, non *smaragdus*, docet Brouckh. ad Propert. II. xiii. 43. Et h. l. sic omnes MSS. *Zmaragdo* tertium inter gemmas locum tribuit Plin. *Hist. Natur.* xxxvii. 5. quippe cujus insignis viriditas nunquam satiet oculos, eos potius gratisime recreet.

25. *A dextra*, etc.] Ingeniosum figmentum, quo vicissitudines temporis, quæ efficiuntur decursu Solis, sumpta specie personarum circumstant, ex parte cum attributis suis, ejus solium.

26. *Horæ.*] Solis ministræ, cœli janitrices, *πυλωροὶ τοῦ οὐρανοῦ*. *Homer.* II. E. *πύλαι μύκρον οὐρανοῦ, ἃς ἔχον ὄραι*, etc.

27. *Ver—novum*, dicitur, quia est initium anni novi. *Florente*, e floribus, proventu verno, nexa. *Nudus* et

γυμνός, dicitur etiam is, qui non nisi tunica indutus est. Sic *nudi* arabant Itali, serebans *nudi*, Virg. *Georg.* i. 299. *Calcatis sord. uvis* etiam *Fast.* iv. 892. *Calcabantur enim uvæ pedibus.* Propert. III. xv. 18 : *Nova præsententes inquinet uva pedes.* *Tibul.* I. vii. 35 : *sapores Expressa incultis uva pedibus.* Scio quidem, *sordidum* non contemptim dici (vide ad i. 512;) in regia tamen tam splendida magis mihi placeret cum Horat. *Epod.* ii. 17. *po-mis decorum caput* efferens Autumnus. *Hirsuta*, incompta : *cani capilli* tribuuntur hiemi tanquam seni, et propter nives. De his anni vicissitudinibus cf. loc. longe elegantissimus xv. 201—213.

31—52. *Inde loco medius*, etc.] Primus patris et filii congressus. *Rerum novitate paventem*, ut Aristeus humida matris regna ingressus apud Virgil. *Georg.* iv. 363 sqq. Verba quibus aspicit omnia si abessent, non desiderarentur. Sol *πανδέρκης* jam i. 769 memoratus.

Nec falsa Clymene culpam sub imagine celat ;
Pignora da, genitor, per quæ tua vera propago
Credar ; et hunc animis errorem detrahe nostris.”

Dixerat. At genitor circum caput omne micantes
Deposuit radios, propiusque accedere jussit : 41
Amplexuque dato, “ Nec tu meus esse negari
Dignus es ; et Clymene veros,” ait, “ edidit ortus.
Quoque minus dubites, quodvis pete munus, ut
illud,

Me tribuente, feras : promissis testis adesto 45
Dis juranda palus, oculis incognita nostris.”

Vix bene desierat : currus rogat ille paternos,
Inque diem alipedum jus et moderamen equorum.
Pœnituit jurasse patrem, qui terque quaterque

37. *Falsa sub imagine.*] Falso sub prætextu, quia Deus auctor culpæ honestior. Liv. I. xiv. Virgil. *Æn.* iv. 172 : *hoc prætexit nomine culpam.*

39. *Errorem.*] Dubium, incertitudinem. Liv. i. 24 : *nominum error manet. Detrahe, exime.* Cic. *Tusc.* iv. 11 : *hæc detrahenda opinio est. Pluralis animi de uno : vide Burm. ad Phædr. II. ii. 5.*

40. *At genitor.*] Statim paternus animus se prodit. *Caput illud radiatum* in multis monumentis conspicitur. Constat autem ea corona spiculis quibusdam, plerumque duodecim pro numero mensium. Virg. *Æneid.* xii. 162 : *Turno tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt, Solis avi specimen.* Istis radiis Phæbus diffundit lumen ; eosdem igitur, ver. 124. filio imponit.

41. *Veros edidit ortus,* veram tibi indicavit originem. *Edere* passim indicare, profiteri, ut iii. 580. et sæpe apud Livium v ; Stroth. ad i. 46.

46. *Dis juranda.*] Per quam Dii jurare solent. Etiam *jurare paludem,*

omisso τῶν per, Latinum est, ut mox ver. 101 : vid. Drakenb. ad Sil. viii. 105. Tam temere etiam Jupiter, iii. 290. jurat. *Oculis incognita nostris.* Plutonis nempe regnum tenebricosum.

47. *Vix bene.*] Hanc locutionem amat Noster. Cf. iii. 14 ; Heroid. vi. 24 ; VI. Fast. 513. *Bene* auget notionem τῶν vix. Hic quoque notatur fervidum Phaethontis ingenium. *Alipedes, veloces, πτερόποδες, ὠκύποδες :* apud Euripid. Phaethont. fragm. p. 463. tom. ii. edit. Lips. currus adeo Solis *περὶφορα δχηματα :* vid. Morus ad Longin. xv. *Jus,* potestas in rem aliquam. Votum autem illud non abhorret a levitate juvenili. *Equos solares expressos vides artificis manu* in Lipperti Dactyl. i. 191. 738 sqq. Cæterum currum solarem in unum diem sibi expetit etiam Medea apud Senec. Med. 32 sqq.

49. *Pœnituit jurasse.*] Apud Lucian. Dial. Deor. Phaethon hoc moderamen suis et Clymenes precibus impetrat.

Concutiens illustre caput, "Temeraria," dixit, 50
 "Vox mea facta tua est: utinam promissa liceret
 Non dare! confiteor, solum hoc tibi, nate, nega-
 Dissuadere licet: non est tua tuta voluntas. [rem.
 Magna petis, Phaethon, et quæ nec viribus istis
 Munera convenient, nec tam puerilibus annis. 55
 Sors tua mortalis: non est mortale quod optas.
 Plus etiam, quam quod Superis contingere fas sit,
 Nescius affectas: placeat sibi quisque licebit,
 Non tamen ignifero quisquam consistere in axe
 Me valet excepto: vasti quoque rector Olympi, 60
 Qui fera terribili jaculatur fulmina dextra,
 Non agat hos currus: et quid Jove majus habe-
 mus?

Ardua prima via est; et qua vix mane recentes

50. *Temeraria*, etc.] *Temere* ego juravi, quoniam tu temere rogas.

51. *Utinam promissa liceret*.] Atqui non licet, sicut ipse infra confiteatur: *Ne dubita, dabitur, stygias juravimus undas*. Deus enim perjurus per integrum annum spiritus expers jacet, deinde per novem alios annos societate et consuetudine Deorum ei interdicitur. Hesiod. Theog. 794.

53—102. *Dissuadere licet*.] Dissuasoria egregia. Argumenta dissuadendi sumpta sunt ab imbecillitate peccantis, 54—62; a difficultatibus viæ, 63—75; ab insidiis in via, 76—83; a ferocia equorum 84—87. quibus, ut in peroratione, monita, preces, nova promissa addita. Ea vero omnia probabiliter tractata sunt; *tuta*, sine periculo: *istis cum vi, tam puerilibus Sors*, quidquid nobis natura tribuit, ut sexus, h. l. natura: *mortale*, mortali conveniens.

57. *Plus etiam*, etc.] Imbecillitatem pueri bene amplificat, comparatione cum Diis, ipso adeo Jove, insti-

tuta. *Fas sit*, possibile sit: vid. Lambin. ad Horat. I. Od. xxiv. 20; et IV. Od. iv. 22. Hinc formula, *si licet et fas est*, pro qua Noster Heroid. xvi. 235. *qua licet et possum*. Burm. *Placeat sibi*, etc. Quisque cæterorum Deorum se excellere putet, quantum velit.

59. *Axe*, curru, in quo consistebat Apollo, ut Phaethon ver. 151. Sic etiam in nummis representatur: vid. Spanhem. ad Callim. h. Del. ver. 169. Curru tamen *insidens* perhibetur alibi, ut Senec. Med. 29.

61. *Qui fera terribili*, etc.] *De feritate fulminum*, quibus *terret* gentes, cf. iii. 303 sqq. et Virg. Georg. i. 328 sqq.

62. *Non agat*.] *Et quid* etc. xi. 224: *ne quidquam mundus Jove majus haberet*. Consilium dicentis postulabat, ut hic majestas Jovis in luce collocaretur.

63. *Prima via*.] Prima pars viæ: *primum mundum* sic dixit Senec. Œd. 116. *Recentes*, nocturna quiete re-

Enitantur equi : medio est altissima cœlo ;
 Unde mare et terras ipsi mihi sæpe videre 65
 Fit timor, et pavida trepidat formidine pectus :
 Ultima prona via est, et eget moderamine certo.
 Tunc etiam, quæ me subjectis excipit undis,
 Ne ferar in præceps, Tethys solet ipsa vereri.
 Adde, quod assidua rapitur vertigine cœlum ; 70
 Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.
 Nitor in adversum : nec me, qui cetera, vincit
 Impetus : et rapido contrarius evehor orbi.

creati. Passim *integri* et *recentes* conjunguntur, atque *defatigatis* et *fessis* opp. : vid. Ciofan.

66. *Pavida.*] *Pavida* otiosum quidem h. l. est ; sed solent poetæ interdum uti epithetis affinis, et idem fere notantibus quod substantiva, quibus adduntur. Hinc *pavidus metus*, *muta silentia*, etc. Vide Burmannum.

67. *Ultima prona via.*] Ascensus propter acclivitatem durus ; medium iter, propter altitudinem, terribile ; descensus, propter casum, difficilis ; hæc tria plena metus sunt.

69. *Tethys solet.*] *Infra*, iv. 632 : *Pontus Solis anhelis Æquora subdit equis*. Sed pro mari *Tethys* in mythis poni solet. Hæc igitur bene et excipere Solem, et ver. 156. mane emitte dicitur. Et nunc cum dilectu commemoratur, quia *timor* ille in primis convenit *Tethyi*, amitæ *Phœbi* quacum alia confunditur *Thetis*.

70. *Vertigine.*] *Vertigo*, circumvolutio. *Cœlum* autem *rapitur assidua vertigine* ex ratione aspectabili, et opinione Veterum, quæ si vera esset, tanta foret istius conversionis celeritas, quantam cogitare non possemus. Cic. Tusc. i. 28. Bene igitur *rapitur*, quo verbo celeritas et vehementia declaratur. *Cœlum sidera*, quæ ei velut affixa videntur, *trahit*, secum circummagit. Senec. N. Q. vii. 10.

laudat hunc ipsum versum, ut *vertiginis* vim inde comprobet, doceatque, *motum motu contrario vinci*.

72. *Nitor in adversum.*] Et mox, *rapido contrarius evehor orbi* eodem redeunt : *contrarius orbi*, contra orbem, i. e. cœlum. Planetæ proprio quodam motu feruntur, atque paulatim ab occasu versus ortum moventur, ut docent Astronomi. Idem Veteres putabant de Sole : vide Macrob. Somn. Scip. i. 18 ; Hygin. Poet. Astron. iv. 13 ; Plin. Hist. Nat. ii. 8. cujus verba ascribere placet : "Omnium autem errantium siderum meatus, interque ea Solis et Lunæ, contrarium mundo agere cursum, id est, lævum (Auguribus Romanis plaga orientalis læva erat,) illo semper in dextram præcipiti. Et quamvis assidua conversione immensæ celeritatis attollantur ab eo, rapianturque in occasum, adverso tamen ire motu per suos quæque passus. Ita fieri, ne convolutus aer eandem in partem æterna mundi vertigine ignavo globo torpeat, sed findatur, adverso siderum verbere discretus et digestus." *Impetus* igitur, celerrima cœli circumvolutio, *quæ cetera sidera vincit*, secum rapit, Solem quoque rapere vult ; ille vero maximo cum labore contra nititur. *Impetus* sæpe de cœlo : vide Ernesti Clav. Cic. h. v.

Finge datos currus: quid agas? poterisne rotatis
 Obvius ire polis, ne te citus auferat axis? 75
 Forsitan et lucos illic, urbesque, domosque
 Concipias animo, delubraque ditia donis
 Esse: per insidias iter est, formasque ferarum:
 Utque viam teneas, nulloque errore traharis;
 Per tamen adversi gradieris cornua Tauri, 80
 Hæmoniosque arcus, violentique ora Leonis,
 Sævaque circuitu curvantem brachia longo
 Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum.

74. *Poterisne rotatis*, etc.] Cælum movetur circa *polos*: hi ergo sunt veluti *rotæ cæli*. Jam *obvium ire rotatis polis* est i. q. paulo ante, *rapido orbi contra evehi*; nam per *polos* nunc omnino cælum intelligemus. *Molem rotatam* habet Plin. Hist. Nat. ii. 3; Claudian. v. 527. *dum rotet astra polus*, ubi Gesner. notat, pulchram esse phantasiam, quasi motus principium sit in axe illo, circa quem cælum vertitur. Itaque et Ovidius addit, *ne te citus*, etc.

77. *Concipias animo*.] Φανράζη. *Donis*, in quibus vasa in primis sacra. cf. Virgil. Æneid. i. 446. *Formæ ferarum* sunt feræ ipsæ: vide ad i. 73. *Insidia et feræ*, ἐν δὴ ὄνοϊν, feræ insidiantes. Intelligunt autem sidera Zodiaci, quæ certarum animantium figuras referunt. *Ut teneas*, finge te tenere. *Errore trahi* exquisitius quam *errare*.

80. *Per tamen adversi*.] Loquitur ita, ut sol omnia ista signa uno die percurrere videatur, quæ non nisi integri anni spatio percurrit; in quo utitur licentia poetis concessa, ut tanto fortius deterreat animum audacem Phaethontis a proposito: vid. Alex. Tassonius in Pens. div. ix. 36; quem laudavit Burmann. Recenset autem sævissimas tantum formas, et ea in primis nominat, a quibus illæ metuen-

dæ sunt. *Tauri* signum sol ingrediebatur iv Kal. Maii; Manil. i. 516: *Quique sub aversi numerantur sidere Tauri*. Hyg. Astron. iii. 20: *Hic Taurus aversus oritur et occidit*. Hinc Scaliger, ad Manil. p. 9. contendit, et hic *aversi* legendum esse. At nunc non quæritur, quomodo in cælum veniat et inde decedat, sed quo spectet. *Spectat autem ad exortum solem*: Hygin. Astron. ii. 21. Igitur *aversi* retinendum. Eo ipso terribilis erat, quod *aversus*; contra *aversi* adversatur consilio Phœbi.

81. *Hæmonios arcus*.] Sagittarium, qui fingitur *arcu* tenso, quasi mittere incipiens. *Hæmonios* seu Thessalicos (vid. ad i. 568.) quia complures trahebant, hunc Sagittarium antea fuisse Centaurum: Hygin. P. A. ii. 27. Centauri autem erant Thessali.

82. *Brachia*.] Chelæ Scorpii, quæ etiam *cornua* et *furcæ* dicuntur. *Curvat brachia longo circuitu*, quia integri signi spatium occupabant, ver. 195 sqq. Stellæ enim inter Virginem et Scorpion, quas hodie Libram vocamus, olim non erant peculiare sidus, sed tribuebantur chelis Scorpii. Hinc intelligendus Virgil. G. i. 33. *Aliter*, in aliam regionem.

83. Hic scilicet versus occasum, ille orientem spectat.

Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis, 84
 Quos in pectore habent, quos ore et naribus efflant,
 In promptu regere est: vix me patiuntur, ut acres
 Incaluere animi; cervixque repugnat habenis.

At tu, funesti ne sim tibi muneris auctor,
 Nate, cave; dum resque sinit, tua corrige vota.
 Scilicet, ut nostro genitum te sanguine credas, 90
 Pignora certa petis: do pignora certa timendo;
 Et patrio pater esse metu probor: aspice vultus
 Ecce meos; utinamque oculos in pectora posses
 Inserere, et patrias intus deprendere curas!
 Denique, quidquid habet dives, circumspice,
 mundus; 95

Eque tot ac tantis cœli, terræque, marisque
 Posce bonis aliquid: nullam patiēre repulsam.
 Deprecor hoc unum; quod vero nomine pœna,
 Non honor est: pœnam, Phaethon, pro munere,
 poscis.

Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis? 100
 Ne dubita, dabitur, Stygias juravimus undas,
 Quodcunque optaris: sed tu sapientius opta.”
 Finierat monitus: dictis tamen ille repugnat;

84. *Ignibus, Quos, etc.*] Ita describuntur interdum ardentēs tantum anhelitus, unde nobilitas equorum cognoscitur: Virgil. Georg. iii. 85; Lucret. v. 29. Verum equi Solis proprie dicuntur *πῦρ πνέειν*: vide Cerda ad Virg. Æneid. xii. 115. Hinc *afflant* apud poetas terras eas, quibus lucem apportant: Virg. Æn. v. 739. Mox ver. 154. *hinnitus flammiferi. Me patiuntur*, a me regi se patiuntur; *patri de imperio: cervixque repugnat habenis*; sunt ergo equi *σκληροτάχην*

λοι, ἄστρομοι. Lucian. Dial. Deor. d. l. Jupiter Apollini, *ἡγνόεις τῶν ἵππων τὸν θυμὸν, ὡς δεῖ συνέχειν ἀνάγκη τὸν χαλῶνόν, etc.*

91. *Do pignora, etc.*] Præclara et vere paterna sententia. *Probor*, ut vi. 208. *dubitor*.

92. *Aspice.*] Duo, *inspice*: quod, monente Burm. majorem diligentiam et curam notat. Nunc vero solus *aspectus* sufficiebat.

99. *Honor*, munus honorificum. *Styg. und. Deest per*: vid. ad. ver. 46.

Propositumque tenet; flagratque cupidine currus.
 Ergo, qua licuit, genitor cunctatus, ad altos 105
 Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.
 Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
 Curvatura rotæ: radiorum argenteus ordo.
 Per juga chrysolithi, positæque ex ordine gemmæ,
 Clara repercusso reddebant lumina Phæbo. 110
 Dumque ea magnanimus Phaethon miratur, opus-
 que

104. *Tenet propositum*, consilium, institutum, is, qui in eo permanet, neque ab eo deterreri potest. *Tenax propositi*, Horat. III. Od. iii. 1. Noster, Art. Amat. lib. i: Lecturam spera, *propositumque tene*. Metamorph. x: *Propositique tenax, quodcumque sit, orat ut ipsi Indicet*. Cornelius Nepos, vita Eumenis: *Itaque hoc propositum tenuit*. "Vide, inquit Seneca, de Provid. quam alte descendere debeat virtus: scies illi non per secura vadendum esse." *Ardua prima via est, et qua vir*, etc. Hæc quum audisset ille generosus adolescens: "Placet, inquit, via; ascendo. Est tanti per ista ire casuro." Non desinit tamen pater acrem animum metu territare. *Utque viam teneas, nulloque errore traharis; Per tamen adversi*, etc. Post hæc ait: *Finge datos currus*. "His, inquit juvenis, quibus me deterreri putas, incitor: libet illic stare, ubi ipse Sol trepidat: humilis et inertis est tuta sectari: per alta virtus it."

107. *Aureus axis erat*.] Cf. Hom. II. E. 721—731. ubi currus Junonis describitur: reprehensus autem Noster est a multis propter crebram voc. *aureus* repetitionem; sed bene defenditur a Burmanno optimorum poetarum auctoritatibus, Callim. h. Apol. 33; Dian. 110; Del. 260; Virgil. Æneid. i. 448; iv. 138; quibus præ-

iverat Homer: vide etiam Victor. Varr. Lect. xxxiii. 12: quanquam vix opus erat, exemplis aliorum munire ea, quæ elegantissimo cuique per se probantur. Ita enim magnificentia currus fortius sentitur a lectore.

108. *Curvatura summæ rotæ, ἵρις, ἀψίς*, circulus rotæ, in quo finguntur radii. *Radiorum ordo*, exquisite pro radii, qui ordine disponuntur. Ita Tibul. II. v. 31. *arundinis ordo*. *Jugum*, lignum transversum in extremo temone, quod collis equorum imponebatur. Id etiam in regis curribus et pretiosa materia fieri et gemmis exornari solebant. In Darii curru *distinguebant internitentes gemmæ jugum*: Curt. III. iii. 16. Et jugum equorum solarium Winkelm. in Monum. Ined. n. 43. expressum exhibet.

109. *Chrysolithi* aureum colorem referunt, aurumque adeo coloris saturitate superant. Plin. Hist. Nat. xxxvii. 9: *Chrysolithi et aliæ gemmæ*. Simile est, *Ζεδῆ καὶ θεοί*: vid. Bergler. ad Aristoph. Plut. init.

110. *Repercusso Phæbo*, dum radii Phæbi repercutiebantur; e copia poetica additum. Cf. iv. 348. ubi sic referiri.

111. *Magnanimus*, id est, qui magna appetit; sic Phaethont. vocat etiam Lucret. v. 401; *Generosum*, Senec. de Provid. v.

Perspicit; ecce vigil rutilo patefecit ab ortu
 Purpureas Aurora fores, et plena rosarum
 Atria: diffugiunt stellæ; quarum agmina cogit
 Lucifer, et cœli statione novissimus exit. 115
 At pater ut terras, mundumque rubescere vidit,
 Cornuaque extremæ velut evanescere Lunæ,
 Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.
 Jussa Deæ celeres peragunt; ignemque vomentes,
 Ambrosiæ succo saturos, præsepibus altis 120
 Quadrupedes ducunt; adduntque sonantia frena.

113. *Aurora* et ipsa quadrigis aut bigis cœli convexum ante Solem decurrere ab aliis poetis fingitur. Hom. Od. Ψ. 246; Virg. Æneid. vi. 535. Sed. h. l. nil nisi *atria* aperit, e quibus purpureum lumen in cœlum effunditur. Etiam ver. 144. tantum *effulget*. *Plena rosarum*, *rosea*. Omnia, quæ Auroræ sunt, poetis dicuntur *rosea*, *crocea* aut *punicea*. Nota est ex Homero, *Aurora* ῥοδοδάκτυλος, ῥοδόπηκος, κροκόπεπλος.

114. *Diffugiunt stellæ*.] Quia non amplius cernuntur præ splendore solis. *Aurora* εὐώκουσ' ἄστρα Euripid. Ion. ver. 1158; et inde *Aurora sidera fugans*, apud Senec. Octav. ii. *Diffugiunt stellæ*. Ex sententia vulgi. Neque enim stellæ diffugere possunt, quum sint fixæ; sed adveniente Aurora fulgere desinunt. *Quarum agmina cogit*, quarum ultima est stella Veneris, quæ, quum antegreditur solem, φωσφόρος, *Lucifer*, dicitur: Cic. N. D. ii. 20. Cf. infra xi. 97; Senec. Hercul. Fur. ver. 128. Idemque quum, occidente sole, incipit lucere, *Hesperus* vocatur. *Agmen cogere* e re militari ductum. Eleganter autem stellæ tam ob multitudinem, quam ob ordinem, quo dispositæ sunt, cum exercitu comparantur. Hinc apud

poetas passim dicuntur *excubare*, *stationes obire*, etc. Itaque Noster addit, *cœli statione novissimus exit*, ultimus excubias in cœlo deserit. Nec minus venuste de Argi oculis, lib. i. 626: *Inde suis vicibus capiebant bina quietem: Cætera servabant, atque in statione manebant*.

117. *Extremæ Lunæ*.] Et hoc suaviter dictum de Luna quæ mox eripietur oculis. Sic xii. 53. *extrema tonitrua*, quorum sonus jam fractus ad nos venit, moxque desinet. Similiter *extremus ignis*, qui in eo est, ut extingatur, Virg. Æn. ix. 352.

118. *Horæ*.] Filiæ Themidis, janitrices cœli et ministræ Phœbi, quarum nomina Eunomia, Dice, Irene: Hesiod. 901; Orph. Hymn. 42. Alii aliter. Homer. Il. Θ. 433 sqq. currum et equos Junonis curant. *Ambrosia* non modo cibus Deorum, sed et pabulum equorum divinorum; iv. 215: *Ambrosiam pro gramine habent*. Cf. Homer. Il. E. 369. Et *Ambrosia* omnino sunt cœlestia. *Altis*, magnificentiæ et dignitatis causa, ut ver. I. *regia alta*; ver. 105. *alti currus*. *Sonantia*, quippe aurea, ut χρυσάμπυκες equi Junonis apud Homer. Pluto contra habet *obscura tinctas ferrugine habenas*, v. 404.

Tum pater ora sui sacro medicamine nati
 Contigit; et rapidæ fecit patientia flammæ;
 Imposuitque comæ radios, præsaque luctus
 Pectore sollicito repetens suspiria, dixit: 125
 “ Si potes hic saltem monitis parere paternis;
 Parce, puer, stimulis; et fortius utere loris.
 Sponte sua properant: labor est inhibere volentes:
 Nec tibi directos placeat via quinque per arcus.
 Sectus in obliquum est lato curvamine limes, 130
 Zonarumque trium contentus fine; polumque
 Effugito australem, junctamque aquilonibus Arc-
 ton.

122. *Medicamine.*] Succo, ut iv. 388; vi. 140. *Sacro*, divino, cœlesti. Putant h. l. respexisse Claudian. Rapt. Pros. iii. 403: *Arcano perfudit robora succo, Quo Phaethon irrorat equos.*

123. *Contingere*, pro oblinire etiam xiv. 607; Lucret. i. 937. *Rapida*, vehemens. Sic *sol rapidus, æstus rapidus*, Virgil. Eclog. ii. 10. ubi Heynius monet, ductum vocab. ab iis, qui *rapido*, i. e. incitato *cursu* feruntur; quod tamen paulo altius repetitum mihi videtur. *Rapere*, ut modo monuimus, omnino et celeritatem et violentiam indicat. Igitur *rapida flamma*, quæ celeriter et cum vi corpora invadit atque absumit. Cf. ver. 237; iii. 375. De *radiis* illis, v. ad ver. 40. Hinc Claud. xxviii. 191. de Phaethonte: *Mortalique diem sperat diffundere vultu.*

126. *Si potes*, etc.] Præcepta, quibus præmonetur filius, qualia Phœbus etiam apud Euripid. dederat, ut ex fragm. apparet. Summam eorum habet Lucian. Dial. Deor. Ὑπεθέμην, ὅπως μὲν χρὴ βεβηκέναι αὐτὸν, ἐφ' ὑπόσπον δὲ ἐς τὸ ἄνω ἀφέντα ὑπερευχῆσθαι, εἶτα ἐς τὸ κάτωτερος ἐπιτεύ-

ειν, καὶ ὡς ἐγκρατῆ εἶναι τῶν ἡνιωῶν, καὶ μὴ ἐφιέναι τῷ θυμῷ τῶν ἵππων.

127. *Puer*, ut παῖς, pro filio. *Stimulis, κέντροις*, Veteres utebantur loco scuticæ aut flagelli. *Fortius utere loris*, arctis loris contine equos, ut loquitur Senec. Hipp.

128. *Volentes*, scil. properare. Sæpe ita ponitur in ellipsi; vid. Heins. ad h. l. et Schegk. ad Vell. II. lxii. 3.

129. *Directi quinque arcus* sunt quinque illi circuli paralleli, quibus sphaera dividitur.

130. *Sectus—limes.*] Descriptio Zodiaci, Græcis a forma Λοξός, obliquus, dicti. Virg. Georg. i. 238. *Via secta per ambas* (zonas temperatas,) *Obliquus qua se signorum verteret ordo.* Totus locus optime e sphaera intelligitur.

131. *Zonarumque trium*, etc.] Namque Zodiacus curvatur per zonam torridam, et attingit *fines* utriusque temperatæ. Loquitur autem rursus ita, quasi totus Zodiacus uno die percurendus esset.

132. *Australem.*] Eurip. frag. vii: Ἐλα δὲ μηδὲ Λιβυκὸν αἶθερ' ἐμβαλῶν. *Arctos*. *Ursa*, duplex sidus in polo septentrionali: *Arctos major*, constans stellis xxv; et *Arctos minor*, quæ ha-

Hac fit iter; manifesta rotæ vestigia cernes.
 Utque ferant æquos et cælum et terra calores, 134
 Nec preme, nec summum molire per æthera cur-
 Altius egressus, cœlestia tecta cremabis; [rum.
 Inferius, terras: medio tutissimus ibis.
 Neu te dexterior tortum declinet in anguem,
 Neve sinisterior pressam rota ducat ad aram;
 Inter utrumque tene: fortunæ cetera mando; 140
 Quæ juvet, et melius, quam tu tibi, consulat, opto.
 Dum loquor; Hesperio positas in litore metas
 Humida nox tetigit: non est mora libera nobis:
 Poscimus: effulget tenebris Aurora fugatis.

bet stellas vii. Hæc vocatur etiam *Cynosura*, illa *Helice*. Itaque *juncta Aquilonibus Arctos* est polus arcticus s. septentrionalis.

133. *Rotæ vestigia.*] Hinc ver. 167. *tritum spatium*. Ludit ingenium Ov. ut Heroid. xviii. 133: *Jam patet attritus solitarum lines aquarum, Non aliter, multa quam via pressa rota.*

135. *Molire—currum.*] *Moliri currum*, regere, agere currum. Virgil. *Æneid.* xii. 227. *moliri habenas*; Noster, v. 367. *moliri*, i. e. mittere, *sagittas*: nam *moliri* de omni labore et opera usurpatur. *Premere*, justo inferius agere.

138. *Anguis*, sive draco, sidus magnum inter duas Arctos. Cf. iii. 45. Vocatur *tortus*, quoniam ita locatus est, ut Arcton majorem cauda flexa, medii corporis sinu Arcton minorem includat, capiteque reducto circum Arcticum attingat; quæ forma accommodata est naturæ anguivum, qui se torquendo labuntur: vid. Hygin. A. P. iii. 2; Arat. Phœnom. 45 sqq.; et ex eo Virg. Georg. i. 244. ubi *flexu sinuoso elabitur*. *Neu te dexterior—declinet, Neve sinisterior—rota ducat*:

noli currum vel dextrorsum ad Septentrionem, vel sinistrorsum ad australem polum agere.

139. *Ara*, sidus australe, attingens Scorpii caudam extremam. Vocatur etiam *θυμιατήριον*, *thuribulum*. *Pressam*, quoniam pars mundi australis paulatim vergit infra *ὀρίζοντα*.

140. *Tene*, nempe currum. *Fortunæ*, etc. Votum solenne, quum in rebus dubiis aliquid audendum.

142. *Dum loquor.*] Jam nox cedere cœpit, moxque terram relinquet. *Humida*, ob rorem; v. 443: *pruinosa tenebræ*. *Hesperium litus*, litus maris Atlantici, in quo, ut soli, ita et nocti *metæ*, *πέπαρα*, veluti positæ sunt, ad quas ubi pervenit, in mare mergitur. *Metæ*, termini, ad quos contendimus cursu, h. l. de horizonte occidentali: vid. Spanhem. et Ernesti ad Callimach. h. Del. ver. 169: *Media metæ*, Virg. *Æn.* v. 835. est vertex cœli. *Metæ* proprie *ponuntur* aut *constituuntur*.

143. *Non est mora libera.*] Non est integrum nobis morari. Sic Virgil. *Æneid.* xii. 74: *Neque enim Turno mora libera mortis.*

Corripe lora manu : vel, si mutabile pectus 145
 Est tibi, consiliis, non curribus, utere nostris,
 Dum potes, et solidis etiamnum sedibus astas ;
 Dumque male optatos nondum premis inscius axes.
 Quæ tutus spectes, sine me dare lumina terris.”

Occupat ille levem juvenili corpore currum ; 150
 Statque super ; manibusque datas contingere habe-
 Gaudet ; et invito grates agit inde parenti. [nas

Interea volucres Pyroëis, Eous, et Æthon,
 Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
 Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.
 Quæ postquam Tethys, fatorum ignara nepotis, 156
 Repulit, et facta est immensi copia mundi,

145. *Corripe.*] Euripid. Phaeth. Παις ἔμαρψεν ἠνίας.

147. *Solidæ sedes,* regia, non per aërem volans, sed firmis innitens fundamentis. Eur. Phaeth. fragm. 6 : Μὴ θίγγης ἠνίων, παιδίον, ἀπειρος ὢν, μηδ' ἀναβῆς τὸν δίφρον, ἐλαβεῖν μὴ μαθῶν.

150. *Occupat ille levem,* etc.] Hac tenus pleraque fere omnia bene tractata, omnisque locus descriptionibus, orationibus, narrationibus apte distinctus atque dispositus. Jam hinc *cursor* ipse incipit, qui phantasiæ poetæ latum campum præstravit. Sed hic duo rursus vituperanda sunt : primum nimia longitudo, ad quam eum forte eruditionis ostentandæ studium seduxit ; tum neglectus rerum dilectus : minutias enim nonnullas intexuit, quæ tantæ calamitatis descriptionem dedecent. Etiam jocosius quædam aut argutius pro re dicta sunt. *Occupat,* etc. Junge *levem juvenili corpore,* propter juvenile corpus. *Occupat ille levem,* etc. Hic versus rara apud Nostrum et omnes

affs poetæ, sed frequenti apud Maron. imagine verborum emicat.

153. *Intereu volucres,* etc.] Alii alia equis solaribus nomina imponunt : vid. Hygin. fab. 183. ibique Munker. et Spanhem. ad Callim. h. Del. 169.

155. *Flammiferis.*] Unus Vatican. Thuan. et Leidens. pro varia lect. *fumificis,* quod Burm. non temere abjiciendum putat, quoniam *flammifer* de cælo similibusque dici solet. *Repagula,* ligna transversa, quibus ostia firmantur. Sagittarius de Januis Vett. p. 78. intelligit h. l. ligna, quibus equi in stabulis distinentur, ne libere excurrant : male. Equi enim jam juncti erant curru, et mox Tethys illa repagula repellit. Rectius sentiunt, qui putant, poetam respexisse ad carceres in Circo.

156. *Quæ postquam Tethys.*] Vid. ad ver. 69. *Nepotis.* Nempe Clymene filia Tethyos et Oceani.

157. *Mundi.*] *Mundus,* cælum, ut sæpe. In sqq. numeri bene accommodati sunt *cursor* celeritati.

Corripuere viam, pedibusque per aera motis
 Obstantes findunt nebulas, pennisque levati
 Prætereunt ortos iisdem de partibus Euros. 160
 Sed leve pondus erat; nec quod cognoscere possent
 Solis equi; solitaque jugum gravitate carebat.
 Utque labant curvæ justo sine pondere naves,
 Perque mare instabiles nimia levitate feruntur;
 Sic onere insueto vacuos dat in aera saltus, 165
 Succutiturque alte, similisque est currus inani.
 Quod simul ac sensere, ruunt, tritumque relinquunt
 Quadrijugi spatium, nec, quo prius, ordine currunt.

158. *Viam, iter, corripere*, celeriter facere. *Euri* fere excitantur sole oriente; solis enim advenientis calore aer movetur.

160. *Prætereunt Euros*, proprie accipi potest, non proverbialiter, de celerimo volatu, ut putabat Burm. quamquam id in aliis locis valet, ubi equi hominum describuntur, ut Virgil. *Æn.* xii. 334. 345; Manil. v. 79; et sæpe apud Homerum, qui tamen equos nunquam celeriores ventis, sed æque celeres ac ventos facit, quoniam, observante Schol. ad *Iliad.* K. 437: 'Ανέμου θᾶσσον οὐδέν. Vide Valken. Diatrib. Eurip. p. 107. Verum hodie quidem equi Anglici venti celeritatem adeo superant: vide Buesching. in *Vorbereitung zur Geographie*, p. 58. n. 2: multoque celerior ex ratione aspectabili, et opinione Veterum cursus solis. Itaque et Homer. h. solem, p. 106. Ern. hos equos celeriores facit ventis, ex emendatione quidem Valk. quem vide d. l. *Pars*, regio cæli, ut sæpe.

161. *Sed leve pondus*, etc.] Levitas corporis princeps confusionis causa; hinc commode eam mox similitudine non male delecta illustrat. Lucian. d. l.: Οἱ ἵπποι ὡς ἦσθοντο οὐκ ὄντα ἐμὲ τὸν ἐπιβεβηκότα, καταφρονήσαν-

τες τοῦ μετακίον ἐξεράποντο τῆς ὁδοῦ. Cf. cum omni h. l. Senec. Hipp. 1065 sqq. *Cognoscere*, vel sentire, vel agnoscere. Senec. d. l.: *Currus non suum agnoscens onus. Jugum*, ut ver. 109. *solita gravitate carebat*. Nempe Diis, quibus magna membra passim tribuuntur, etiam ponderosum corpus esse debebat. Hinc *gravis currus* Jovis Horat. I. Od. xii. 58. Cæterum eandem sententiam ter dixit loquaciter.

163. *Labant.*] *Labare*, nutare in utramque partem. *Pondus*, id quod navi imponitur. *Instabiles*, quæ non certum et firmum cursum tenent, huc illucve jactantur a ventis. Etiam Virg. Georg. iv. 195: *Cymbæ instabiles fluctu jactante saburram Tollunt.* *Ferri et φερεσθαί*, proprie de nave.

165. *Vacuus dat*, etc.] Facilius fuisset, *currus* onere assueto vacuus dat saltum; sed magis poeticum, *saltus onere vacuos*. Cf. Homer. h. Apoll. ver. 234.

167. *Ruunt.*] Euripid. αἰ δ' ἐπταντ' ἐπ' αἰθέρος πτόχας. Ibidem pater aliquandiu sequitur currum, inclamatque filio: ἐκείσ' ἔλα' τῆ' ῥα, etc.

168. *Currunt.*] Verba *nec—currunt* otiose addita. Apud Manil. i. 742. Phaethon, ut major parente vi-

Ipsæ pavet; nec qua commissas flectat habenas,
 Nec scit qua sit iter; nec, si sciat, imperet illis. 170
 Tum primum radiis gelidi caluere Triones,
 Et vetito frustra tentârunt æquore tingui.
 Quæque polo posita est glaciali proxima serpens,
 Frigore pigra prius, nec formidabilis ulli,
 Incaluit; sumpsitque novas fervoribus iras. 175
 Te quoque turbatum memorant fugisse, Boote,
 Quamvis tardus eras, et te tua plaustra tenebant.

deatur, sponte relinquit monstratas
 vias.

171. *Tum primum*, etc.] Hic versus ita legitur in nostro Cod. R. A.: *Solis tum radiis gelidi caluere Triones. Triones*, septem stellæ clarissimæ in Ursa majore, quas Græci ἀμαξάν, plaustrum, Latini *septem triones* dixerunt, quia olim sub plaustri, aut septem boûm, jugo junctorum, specie comprehendebantur. *Triones*, vocab. rusticum et antiquum, quo olim boves significabantur: Hygin. P. A. ii. 2; Gellius, N. A. ii. 21. H. l. ut sæpe, intelligitur Ursa major et minor. Virgil. Æn. i. 744. *gemi Triones*. Hi, quoniam polus septentrionalis supra finitorem nostrum elevatus est, nunquam occidunt, aut, sermone poetico, nunquam æquore tinguntur. Hinc suaviter Virgil. G. i. 246: *Arctos Oceani metuentes æquore tingui*. Sed Noster fabulam hic respicit, quam mox narrabit ver. 528 sqq.

172. *Vetito æquore*.] *Vetitum æquor* (quod imitati sunt Claud. Rapt. Pr. ii. 89; et Sen. Med. ver. 758) Ovid. memorat. Cæterum anachronismi se rem fecit poeta, quod ea hic jam sidera commemorat, quorum originem infra demum narrabit. Cuperi et Burm. rationes non sufficiunt purgando poetæ. Melius est dicere, poetam hic, ut passim alibi, miscuisse rerum naturam et mythologiam.

173. *Serpens*.] De serpente vid. ad ver. 138. *Pigra*, quia tarde movetur.

174. *Frigore pigra*.] Serpentes enim quum frigore rigent, venena torpent; sed, ubi incaluerunt, vim suam recipiunt. Vide Senec. Epist. xlii. *Ipsum frigus* dicitur *pigrum*, quia pigros, tardos reddit. Verum tales lusus alieni sunt tanti mali enarratione.

176. *Bootes*.] Sidus stellarum xiv. juxta Ursam majorem, quam sequitur et veluti servat, unde idem *Arctophylax*. Sed quum Ursa etiam ἀμαξάν, plaustrum, vocaretur, placuit Græcis huic quoque sideri vicino, nomen illi accomodatam imponere, unde *Bootes*, i. e. boûm impulsor, bubulcus: vide Hygin. A. P. ii. 4. Is vero, quum et ipse tarde moveatur, a Juvenal Sat. v. 23. et a Nostro III. Fast. 405. *piger* vocatur; h. l. *tardus*, quod epitheton bene convenit bubulcis, qui propter boum tarditatem et ipsi tardi sunt. Virgil. Ecl. x. 19. *tardi venere bubulci*. Cf. Propert. III. Eleg. iii. 57. *Turbatum* æstu et aspectu solis vicini.

177. *Tenebant*, retinebant, morabantur, quo sensu *tenere* apud Cic. et alios passim. Miror igitur, Heinsio placere potuisse, *trahebant*; nam *trahere* potius est cunctantem cum vi secum abducere, quod ab h. l. est alienissimum.

Ut vero summo despexit ab æthere terras
 Infelix Phaethon, penitus penitusque jacentes ;
 Palluit, et subito genua intremuere timore ; 180
 Suntque oculis tenebræ per tantum lumen obortæ.
 Et jam mallet equos nunquam tetigisse paternos ;
 Jamque agnôsse genus piget, et valuisse rogando :
 Jam Meropis dici cupiens, ita fertur, ut acta
 Præcipiti pinus Borea, cui victa remisit 185
 Frena suos rector, quam Dîs, votisque reliquit.
 Quid faciat ? multum cœli post terga relictum ;
 Ante oculos plus est ; animo metitur utrumque.
 Et modo, quos illi fato contingere non est,

178. *Ut vero summo, etc.*] Novæ accedunt perturbationis causæ : Lucian. d. 1. ἐπικύψας ἐς βάθος ἀχανείς ἐξεπλάγη.

179. *Penitus, profunde.* Mela, ii. 1 : *Aurum terra penitus egestum.* Etiam *jacere* notionem profunditatis adjuvat, ut viii. 750. *Penitus penitusque.* Hoc est valde depressas ac longe a se remotas ; nam geminatum illud adverbium immensum intervallum significat inter cœlum et terras, et facit idem quod repetitio in loco citato : *Silva sub hac, silva quanto jacet herba sub omni.*

181. *Suntque oculis, etc.*] Fallitur Farnab. quum in his verbis δξύμωρον quærit. Satis enim constat, et experti scimus omnes, nimium lumen hebetare oculorum aciem.

184. *Meropis, scilicet filius, ellipsi Græca.* Flor. II. vi. 19 : *Bomilcaris Adherbal.* Merops fuit maritus Clymenes ; quanquam *Meropes* dicantur homines apud Homerum, quod divisas habeant voces ; qua in significatione hic quoque accipi potest, ac si diceret : cupiens jam hominis filius, magis quam Dei, appellari.

185. *Pinus, navis, acta, quæ agitur, rapitur a Borea, cujus rabies plu-*

rimas procellas excitat. *Præceps, qui naves præcipites dat sæviens, ut præceps Africanus, Horat. I. Od. iii. 12. Rector, gubernator. Frena, gubernacula : III. Fast. 293. habenæ.* Solent enim navis et currus inter se comparari, præeunte Homero, qui gubernatorem dixit : ἡνίοχον νεώς. Contra auriga ναύκληρος apud Eurip. Hipp. ver. 1224. Cf. Noster, I. Trist. iv. 11 sqq. *Victa, scilicet a ventis.* Verbum in hac re proprium (vid. Mariang. Accursus in Diatrib.) et elegans ; venti enim veluti prælia committunt cum navibus, et vel victores, vel victi nautarum arte discedunt : Horat. III. Od. xxiv. 40.

186. *Dis.]* Aut Diis pelagi, aut Diis tutelaribus navis, quorum imago in puppi stabat, et quos nautæ, tempestate orta, votis suscipiendis precibusque faciendis placare conabantur. Hor. I. Od. xiv. 16. Fast. iii. 593.

189. *Non est, οὐκ ἔστι, non licet.* Cf. xi. 354. *Nec nomina novit equorum,* ut singulos voce mulcere et mitigare possit. Cf. v. 402 ; et Senec. Hipp. ver. 1053. Etiam ap. Homer. heroes alloquuntur equos suos. II. θ. 184.

O

Prospicit occasus : interdum respicit ortus ; 190
 Quidque agat ignarus, stupet; et nec frena remittit,
 Nec retinere valet; nec nomina novit equorum.
 Sparsa quoque in vario passim miracula cælo,
 Vastarumque videt trepidus simulacra ferarum.

Est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus
 Scorpios; et cauda flexisque utrimque lacertis, 196
 Porrigit in spatium signorum membra duorum.

Hunc puer ut nigri madidum sudore veneni
 Vulnera curvata minitantem cuspide vidit;
 Mentis inops, gelida formidine lora remisit. 200

Quæ postquam summum tetigere jacentia tergum,
 Exspatiantur equi; nulloque inhibente per auras
 Ignotæ regionis eunt; quaque impetus egit,
 Hac sine lege ruunt; altoque sub æthere fixis

193. *Vario cælo.*] *Varium cælum*, cælum variis miraculis, i. e. miris ferarum formis obsitum. Etiam Senec. Ep. xc. p. m. 684. forte ex h. l.: *Quidni juvaret vagari (oculis) inter tam late sparsa miracula cæli?* Infra xi. 309: *Nox cælum sparserat astris.* Eveniunt nunc ea, quæ prædixerat Apollo.

195. *Est locus.*] A polo arctico repente equi cursum flexerunt in partem australem. *Concavat* exquisitius quam, *curvat*. De *scorpio* et *spatio*, quod occupat, dictum ad ver. 82. Verba *flexis utrimque* commode abesse possent; idem enim præcedit. Apud Lucian. d. l. Phaethon, metuens, ne excideret, remissis habenis, partem currus eminentem manibus apprehendit. Sed Ovidii figmentum melius est, quum ei lubuerit formis siderum naturam terrestrium animalium tribuere.

198. *Nigri—veneni.*] Apollodor. apud Plin. H. N. xi. 25. auctor est, Scorpionem fundere candidum venci-

num. Sed *nigrum* et *atrum* perpetuum fere epitheton veneni. Heynius autem ad Virgil. *Æneid.* vii. 354. monet, verba *madidum sudore veneni* non ita capienda esse, quasi exsudasse eum venenum crediderit, sed *sudorem veneni* poetica et exquisita ratione dictum esse pro veneno simpliciter; *madidum* autem nihil aliud, nisi profluentem oris saniem, indicare. Sed quum poeta nunc omnia ardentia fingat, atque in omni h. l. ingenio suo luxuriantem passim indulgeat, ut ad ver. 173 admonitum, quidni etiam Scorpionem sudantem cogitemus, præsertim quum verba huc ducant? Scorpionis autem cauda desinit in *curvatam cuspidem*, et semper in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasio: Plin. H. N. xi. 25. Non mirum, si *puer* hunc metuit.

204. *Sine lege.*] Sine ordine aut imperio. Apud Lucian. d. l. currum rapiunt ἄρτι μὲν ἐπὶ τὰ λαυὰ, μετ' ὀλίγον δὲ ἐπὶ τὰ δεξιὰ, καὶ ἄνω καὶ

Incursant stellis, rapiuntque per avia currum : 205
 Et modo summa petunt, modo per decliva viasque
 Præcipites spatio terræ propiore feruntur :
 Inferiusque suis fraternos currere Luna
 Admiratur equos ; ambustaque nubila fumant.
 Corripitur flammis, ut quæque altissima, tellus ;
 Fissaque agit rimas, et succis aret adeptis. 211
 Pabula canescunt ; cum frondibus uritur arbos ;
 Materiamque suo præbet seges arida damno.
 Parva queror ; magnæ pereunt cum mœnibus ur-
 Cumque suis totas populis incendia gentes [bes ;
 In cinerem vertunt : silvæ cum montibus ardent. 216
 Ardet Athos, Taurusque Cilix, et Tmolus, et Cete ;

κάτω, ὅπως ἐνθα ἐβούλοντο αὐτοί.
 Id Noster sic exprimit, quasi in æthere, ut in terra, *præcipitia* essent et *avia*. Hunc lusum in hac narratione non magis probo, quam illum ver. 133. *Ambusta nubila* facilius excusum, quia, Homero auctore, ardentia flumina fingere licebat.

206. *Decliva* pro *declivia*.] Sic supra *acclivus*, *acclivis*.

210. *Ut quæque altissima*.] Scilicet ita maxime corripitur ; quam formam Cic. amat. Indignor autem, poetam mox minutis enumerandis immortum esse, atque acumen illud admicuisse *Materiamque*, etc. Quod Claud. xxxiii. 163. de Ætna imitatus est : *damnisque suis incendia nutrit*.

214. *Mœnibus*.] *Mœnia* sunt domus, ædificia. Florus, i. 4 : *mœnia muro amplexus est*. Vide Gronovium, *Observ.* ii. 12.

215. *Cum suis populis gentes* unum atque idem esse putat Ciofan. Male ; *gentes* et *populi*, aut *nationes* et *populi* differunt ut totum et pars. Germani sunt *natio* ; Westphali, Saxones et Bavari sunt *populi*. Vid. Gloss. MSS. Guelf. I. ad Sallust. Cat. X. *Burm.*

præterea monet, *gentes* sæpe poni pro terris vel regionibus, idque satis docuisse Gronov. ad Liv. v. 34. Etiam apud Homer. *δῆμος* interdum de terra occurrit, ut Od. Z. 3 ; Il. B. 547 ; et sic *gens* apud Virgil. *Æneid.* i. 533. Contra *terræ* pro hominibus terras incolentibus, v. *Drakenb.* ad Sil. iii. 75. Argutatur *Burm.* ad *Heroid.* i. 24. ubi in singul. *cinerem* plus inesse putat, quam in plural. *cineres*.

217. *Ardet Athos*, etc.] Sequuntur catalogi montium, mox fluviorum, quales intexere poetæ solent, forte eruditionis ostentandæ causa. Noster consilio narrationis satis fecisset, si paucioribus ex utroque genere defunctus esset. *Athos*, hodie *Monte Santo*, mons Macedoniæ, cujus altitudo tanta, ut cacumine nubes superet umbramque usque ad Lemnum insulam jaculetur, quæ abest 87 millia passuum : Plin. H. N. iv. 12 ; Mela II. ii. 130. *Taurus*, immensus montium altissimorum tractus, a Chelidonio promontorio exoriens et totam pæne Asiam percurrens : Curtius vii. 3. Vocatur *Cilir*, quia mediam Ciliciam dividit. Tibul. I. vii. 16 : *Frigidus in-*

Et nunc sicca, prius celeberrima fontibus, Ide ;
 Virgineusque Helicon, et nondum Œagrius Hæmos.
 Ardet in immensum geminatis ignibus Ætne, 220
 Parnasusque biceps, et Eryx, et Cynthus, et
 Othrys,
 Et tandem Rhodope nivibus caritura, Mimasque,
 Dindymaque, et Mycale, natusque ad sacra Ci-
 thæron.

Nec prosunt Scythiæ sua frigora : Caucasus ardet,

tonso Taurus arat Cilicas. Tmolus, hodie Bozdag, mons Lydiæ, vino generoso nobilis, ex quo oriebatur Pactolus, fluvius aurifer : vi. 15 ; Virgil. Georg. ii. 98 ; Plin. H. N. v. 29. Æta, aut Æta, montium jugum Thessaliam a Doride et Phocide separans, exitio Herculis nobile : Strabo ix. p. 655.

218. *Ide, aut Ida, mons et Cretæ et Trojæ. Nunc Trojana Ida intelligitur, fontibus abundans, unde πολυ-πίδαξ Homer. Il. ε. 283. et aquosa, Horat. III. Od. xx. 15. Sed nunc, quum Phaethon terras incenderet, sicca, vide ad i. 321.*

219. *Helicon.] Mons Bœotix, Musis sacer, unde virgineus : Strabo ix. p. 409 ; Pausan. Bœot. 28. Hæmos, hodie Balkan, longissimus et altissimus montium tractus, Thraciam a parte septentrionali claudens, et usque ad Pontum Euxinum procurrens : Plin. H. N. iv. 11. Is tum nondum ab Œagro, rege Thraciæ, patre Orphei, cujus cantibus resonuisse traditur, nomen Œagri habebat : Orph. Argon. 76 ; Horat. I. Od. xii. 6 sqq. Ita vi. 415 : *Calydon nondum invisâ Dianæ ; ver. 418. neque adhuc Pittheia Træsen.**

220. *Geminatis ignibus.] Ex Ætne vertice jam antiquissimis temporibus ignes erumpabant. Vid. Kircheri Mundum subterr. tom. i. p. 202.*

Nunc accedebat incendium solis, et sic geminatis, etc.

221. *Parnasus.] De Parnaso, vid. ad i. 317. Eryx, hodie San Juliano, mons Siciliæ, in quo Venus templum habebat donis opulentum, unde ipsa Erycina : vid. Ælianus, V. H. i. 15. et Heynius Exc. II. ad Virgil. Æneid. V. Cynthus, Deli mons, Apollinis natalibus celebratus, qui inde Cynthius : Hom. Hym. I. Apoll. 26. Othrys, mons altus et nivosus Thessaliæ, sedes Lapitharum : Virgil. Æneid. vii. 675 ; Senec. Herc. Œt. ver. 494.*

222. *Rhodope.] Tractus montium Thraciam versus septemtriones determinans, sacris Bacchi et Orphei cantibus celebratus. Virg. Ecl. vi. 30. tandem nivibus caritura, quibus semper tecta. Mimas, mons Ioniæ, summæ altitudinis, unde ὑψίκορμος Homer. Epigram. pag. 117. Ern.*

223. *Dindyma. plural. et Dindymum, mons Phrygiæ, magnæ Mari Deum sacer, unde ipsa Dindymene : Virgil. Æn. ix. 617. Mycale, mons Ioniæ, Samo vicinus : Pausan. vii. p. 402 ; Strabo, p. 636. Cithæron, mons Bœotix, non procul a Thebis, in quo sacra Bacchi trieterica celebrabantur : vid. iii. 702.*

224. *Frigora.] Glacies et nives, quibus Scythia, i. e. omnis terra septentrionalis, Græcis et Romanis in-*

Ossaque cum Pindo, majorque ambobus Olym-
Aeriæque Alpes, et nubifer Apenninus. [pus; 225

Tunc vero Phaethon cunctis e partibus orbem
Aspicit accensum; nec tantos sustinet æstus:
Ferventesque auras, velut e fornace profunda,
Ore trahit, currusque suos candescere sentit. 230
Et neque jam cineres, ejectatamque favillam
Ferre potest; calidoque involvitur undique fumo;
Quoque eat, aut ubi sit, picea caligine tectus,
Nescit; et arbitrio volucrum raptatur equorum.
Sanguine tum credunt in corpora summa vocato,
Æthiopum populos nigrum traxisse colorem. 236

cognita, perpetuo torpebat: Justin. ii. 1. Inde *Σκυθικὸν κρῖος* in proverbium abiit: I. Pont. iii. 27. Sed pulcherrimam Scythici horroris descriptionem habet Virg. Georg. iii. 349. *Caucasus* magnam *Asia* partem dividit, et cum *Tauro* committitur, Curt. VII. iii. 19; hinc passim cum *Tauro* confunditur a scriptoribus antiquis. Infamis autem fuit a frigidibus et vastitate: Virg. *Æn.* iv. 367; Horat. I. Od. xxii. 7.

225. *Cum Pindo.*] De *Pindo*, vide ad i. 154. Dixit *Ossa cum Pindo*, quia *Pindus* ex adverso *Ossæ*. Inter *Olympum* autem et *Ossam* celeberrima *Tempe*, de quibus supra. *Ambos Ælian.* V. H. iii. 1. inquit vocat *ὄρη ὑπερ-ὑψηλα*; sed *Olympus major ambobus*: tanta enim ejus altitudo describitur a Veteribus, ut aves cacumen ejus assequi non possint. Sed *Ælian.* V. H. VIII. xi. narrat, magnitudinem ejus paulatim minui.

226. *Aeria.*] Quæ in aere sunt, aut in aërem assurgunt, ut aves, arbores, montes. *Aeria Alpes* etiam ap. Virgilium, *Georgic.* iii. 474. *Nubifer Apenninus.* Mons est longissimus *Italiam*

dividens; Virg. *Æn.* xii: *Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.*

227. *Tunc vero*, etc.] Catalogis illis recte aliquid interposuit de Phaethontis fati. *Fornax* cogitanda est *æria* ut calcaria: Virgil. *Æneid.* viii. 446. ubi *vasta fornax*. Cf. infra vii. 107.

234. *Arbitrio volucrum.*] Hoc idem supra jam bis dixit.

235. *Sanguine tum credunt*, etc.] In hoc quoque *Hesiodum* sequutus est, ex quo *Hygin.* f. 154: "Indi autem, quod calore vicini ignis, sanguis in atrum colorem versus est, nigri sunt facti." Inter recentiores physiologos magna cum dissensione disputatur, primum qua in corporis parte illa nigredo sit, aliis cutem nominantibus, aliis humorem inter cutem et cuticulam supremam, aliis aliter sentientibus; deinde unde illa nigredo, utrum a solo æstu solis, an aliæ quoque causæ accedant: vide *Haller.* in *Element. Physiol.* t. v. p. 17 sqq. *Schreber.* in *allgemeiner Geschichte der Menschen*, p. 15 sqq. Opiniones de hac re Veterum habet *Brouckh.* ad *Propert.* IV. iii. 10.

Tum facta est Libye, raptis humoribus æstu,
 Arida; tum Nymphæ passis fontesque, lacusque
 Deflevere comis: quærit Bœotia Dircen,
 Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas. 240
 Nec sortita loco distantes flumina ripas
 Tuta manent: mediis Tanais fumavit in undis,
 Peneosque senex, Teuthranteusque Caicus,
 Et celer Ismenos, cum Phocaico Erymantho,
 Arsurusque iterum Xanthus, flavusque Lycormas,

237. *Libye.*] Græcis dicta est Africa: Plin. H. N. v. proœm. Imitati sunt poetæ Latini. *Arida.* A Synesio Epist. 67. Libya *ἐψηρά*: hinc *Libyca arena* infra iv. 512. Servius scribit Libyam fuisse dictam quod *λείπει ὁ ἕρος*, deficit pluvia.

239. *Quærit Bœotia.* Cf. xiii. 689; *querere* eleganter exprimit cupiditatem rei amissæ recuperandæ. Hoc non intellexerunt, quibus h. l. melius placuit *queritur*. Virgil. *Æn.* i. 217. eodem sensu, *socios requirunt*. *Dirce*, fons Bœotia, prope Thebas, nobilissimus, a Dirce, uxore Lyci, in eum conversa.

240. *Amynone*, fons Argiæ prope Lernam. Strabo viii. p. 371. Nomen ei dedit Amynone Nympha. Hygin. fab. 169; Propert. ii. 20. *Ephyre* antiquissimis temporibus dicta est Corinthus, in cujus summa arce (Acrocorintho) fuit *Pirene*, fons Musis sacer, aquis limpidissimis et suavissimis. Strabo viii. p. 521. Plin. H. N. iv. 4. *Pirene* fons sic dictus a Pyrene muliere, quæ, mortem filii lugens, in eum fontem fuit conversa.

241. *Sortita—ripas.*] Flumina latissima: *sortita*, quæ nobis natura contigerunt.

242. *Tanais*, hodie *Don*, fluvius Scythiæ tortuosus, Europam dirimens ab Asia, atque se exonerans in lacum Mæotidem. Plin. II. N. iv. 12.

243. *Peneosque.*] De *Peneo*, vide i. 569: *senex*; vide ad i. 580. Ex *Teuthrania*, quæ supra Æolidem est, *Caicus* amnis profluit, quanquam h. l. potius a monte *Teuthrante*, qui ei adiacebat, Teuthranteus dicitur: vide Holsten. ad Stephan. Urb. in *Τευθραβία*.

244. *Ismenus* ante Thebas per campum fluebat. Hinc Thebæ *Ἴσμηνοῦ πόλις*: vid. Senec. Herc. *Æt.* 140. *Erymanthus*, Arcadiæ fluvius e monte cognomini in Alpeum defluens. Plin. H. N. iv. 6. Callim. h. Jov. 18. Sed *Phocidi* nemo unquam fluvium hujus nominis tribuit. Itaque pro *Phocaico* legendum haud dubie est vel *Psophuico*, ut multi suadent, vel cum Palmero ad Pausan. Arcad. p. 419. *Psophao*. *Psophis* enim urbs Arcadiæ, quam præterlabitur Erymanthus.

245. *Xanthus.*] Fluvius Trojanus, idem Scamander dictus: iterum *arsurus*, tempore Trojano, ubi, quum tumidis fluctibus in Achillem irrueret, Vulcanus tantam ei immisit ignis vim, ut arderet, Hom. II. *Φ*, 212—384. Sic glossa nostri Cod. R. B: *Xanthus fluvius, qui posterius etiam ardebat tempore Trojæ*. *Lycormas*, rapidus *Ætoliæ* fluvius, postea *Evenus* dictus ix. 104. Vocatur *flavus*, etiam Senec. Herc. *Æt.* 591. ob arenam flavam, ut *flavus Tiberis* Virg. *Æneid.* vii. 31; *aquam flavam* dixit Pacuv.: vid.

Quique recurvatis ludit Mæandros in undis; 246
 Mygdoniusque Melas, et Tænarius Eurotas.
 Arsit et Euphrates Babylonius, arsit Orontes,
 Thermodonque citus, Gangesque, et Phasis, et
 Ister.

Æstuat Alpheos: ripæ Spercheides ardent; 250
 Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus, au-
 Et quæ Mæonias celebrârant carmine ripas, [rum:

Brouckh. ad Propertium, II. Eleg. vii. 50. qui *flavum* interpretatur pulchrum.

246. *Mæandros* inter Lydiam et Cariam defluit, habetque flexus ita sinuosos, ut sæpe remeare videatur. Plin. H. N. v. 29. Tales naturæ lusur arripere solent poetæ, atque exornare suo modo. Cf. Noster viii. 162; quo loco et ipso *ludere* de tortuoso illo cursu. *Errare* sic dixit Silius, vii. 139.

247. *Melas*.] Quum plures fluvii hujus nominis fuerint, disputant interpretes, quis h. l. intelligendus sit. Heinsius contendit, esse Meletem, qui Smyrnam præterfluit. Equidem intelligo Thracicum *Melana*; Plin. H. N. iv. 11; nam *Mygdones*, qui Phrygiæ partem incolebant, eique nomen dederant, Thracia oriundi erant. Strabo vii. p. 295; xii. p. 575. *Eurotas*, hodie *Basilipotamo*, fluvius magnus et vehemens, qui Spartam præterlabitur et non procul a nobili illo promontorio *Tenariorum*, hodie *Matapan*, in sinum *Laconicum* exoneratur.

248. *Euphrates*.] Vocatur mox *Assyrius*, aut, ut h. l. *Babylonius*. Babyloniam non solum irrigabat, sed limo etiam, quem secum ferebat, fertilem reddebat: vide Callim. h. Apoll. ver. 108 s.; ibique Spanh. Cic. N. D. ii. 52; Curt. V. i. 12 sqq. *Orontes*, hodie *Asi*, fluvius Syriæ, Antiochiam præterfluens.

249. *Thermodon*, fluvius Cappadociæ, juxta quem Amazones habitabant in subjectis Themiscyriis campis:

Curt. VI. v. 24; Justin. ii. 4; cf. Propert. III. Eleg. xii. 16; Senec. Herc. Fur. ver. 246. *Ganges* Indiæ, e duobus, aut, ut plerique Veterum tradunt, septem fontibus exoriens, tacite defluens et in mare Rubrum se exonerans: Virgil. *Æn.* ix. 30; Curt. VIII. ix. 5; Plin. vi. 22: vide Brouckh. ad Propert. III. xxi. 16. *Phasis*, hodie *Fusso*, Colchidis amnis clarissimus, et in Pontum Euxinum se immittens. Strabo, ix. p. 801; Curt. VI. v. 25. *Istri* nomen olim habuit non omnis Danubius, sed inde, ubi Germaniæ fines deserit.

250. *Alpheos*.] De Alpheo, vide ad lib. v. 487; de *Spercheo*, ad lib. i. 579. *Ripæ* ejus populis consitæ erant.

251. *Tagus*.] Fluvius Hispaniæ, aureas vehens arenas, quæ tunc incendio liquescebant. *Fluit aurum*. Hoc quoque leve est in hac narratione, et quod sequitur, de cygnis calentibus.

252. *Mæonias*, Lydiæ Caystri *ripas*. Callim. h. Del. 250. cygni dicuntur *Mæonium Pactolum* reliquisse. *Mæonia* enim pars superior Lydiæ in qua Tmolus et fons Caystri: vide Spanhem. ad Callimach. dicto loco. *Carminum*, cantu, ut x. 453; cf. v. 386 s. *Celebrare carmine*, frequentes cantus exercere. Cantus vero cynorum longe suavissimus perhibetur, unde hæc avis Apollini sacra et *μελωδός* dicta. Dubitârunt tamen jam inter Veteres nonnulli, v. c. *Ælian.* Var.

Flumineæ volucres medio caluere Caystro.

Nilus in extremum fugit perterritus orbem, 254

Occulitque caput, quod adhuc latet : ostia septem

Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.

Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat,

Hesperiosque amnes, Rhenum, Rhodanumque,

Padumque,

Cuique fuit rerum promissa potentia, Thybrin.

Hist. i. 14. an cycni cantum edant; sed vid. Ernesti ad Callimachum, hymno Apoll. 5. ubi Vidalinus narrat, se in Islandia non raro cantum cycnorum longe suavissimum summa cum voluptate audivisse; illud modo negat, eos morti vicinos canere. At vero illam voluptatem reditus veris potius, quam qui indicat cycnorum redientium cautus inspirat. *Ed.*

253. *Flumineæ volucres.*] Cycni, qui frequentes in toto illo Asiæ tractu commorari solebant: Hom. II. B. 460; Virg. Georg. i. 383 sqq.; Dion. Alex. 833. Inde κύνες Κανστρον, apud Anacreont. hym. Apoll. 8. Amant autem cycni flumina. Vide 379. *Cayster*, e Cilbianis jugis oritur, non procul a Tmolo monte, Lydiam irrigat, tum Ephesum alluit, tandem in mare infunditur. Strabo xiii. p. 626. Plin. Hist. Nat. v. 29.

254. *Nilus in extremum—orbem.*] Brouckh. ad Propert. II. Eleg. xiii. 40. monet, Veteres per *extremum orbem* intellexisse Ægyptum, quam in rem laudat etiam hunc loc. Male utrumque. Etenim omnes terras aut remotissimas, aut Oceano conterminas, Romani *extremum* aut *ultimum orbem* dixerunt, v. c. Indiam, Amor. II. vi. 38; Pontum, I. Trist. i. 127; III. i. 50; Hispaniam, Lucan. vii. 541. Neque hoc ipso loco Ægyptus intelligenda est, sed Æthiopia, unde in Ægyptum Nilus profluit. Etiam Æ-

schyl. Prom. 813. Æthiopiam vocat τηλουρόν γῆν, ubi v. Schuetz. Sed Veteribus ignoti erant fontes Nili; unde, *occulit caput, quod adhuc latet*; quibus verbis expressit Tibull. I. vii. 23: *Nile pater, quam possum te dicere causa, Aut quibus in terris, occuluisse caput?* Fontem Nili quærere olim inter magna problemata relatum. Nostris temporibus, Bruce penetravit ad tres ejus fontes in Abyssinia.

255. *Caput fluvii* est fons, non ostium, ut quidam putarunt. De *septem ostiis*, vid. Strab. xvii. init. Hodie duo tantum restant navigabilia, quorum alteri adjacet *Rosette*, olim Canopus, alteri *Damiette*, olim Pelusium. *Vacant*, vacua, destituta sunt aquis.

257. *Hebrum cum Strymone.*] Hebrus et Strymon fluvii Thraciæ, qui in mare Ægeum defluunt, hic e Pangeo monte, ille ex Hæmo. *Ismarios*, id est Thracicos; nam *Ismarus* mons Thraciæ, vino nobilis.

258. *Hesperiosque amnes.*] Hesperiam, id est terram occidentalem, dixerunt Romani non modo Hispaniam et Galliam, sed etiam, consuetudine Græcorum, ipsam Italiam: vide Spanhem. ad Callimach. h. Del. ver. 174. *Rerum potentia*, imperium orbis terrarum, quod promissum est Romæ ad *Tiberim* sitæ; sed poetæ fluviiis tribuunt, quæ urbibus adjacentibus conveniunt.

Dissilit omne solum ; penetratque in Tartara rimis
Lumen, et infernum terret cum conjuge Regem.

Et mare contrahitur ; siccæque est campus arenæ,
Quod modo pontus erat ; quosque altum texerat
æquor,

Existunt montes, et sparsas Cycladas augent.

Ima petunt pisces ; nec se super æquora curvi 265

Tollere consuetas audent delphines in auras.

Corpora phocarum summo resupino profundo

Exanimata jacent : ipsum quoque Nerea fama est,

Doridaque, et natas, tepidis latuisse sub antris.

Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu 270

Exerere ausus erat : ter non tulit aeris æstus.

260. *Penetratque in Tartara rimis.*] Adumbratum hoc ex Virgil. *Æneid.* viii. 243—246. ubi dehiscens terra recludit regna pallida, *trepidantque immisso lumine Manes.* Idem Noster repetit v. 356. Cf. Homer. *Il.* Y, 61 sqq. *Conjugem*, Proserpinam, infra demum rapiet.

264. *Existunt.*] In conspectum prodeunt, apparent, propria vi verbi ; vide Gronov. ad Liv. xxv. 21. In fundo maris multi montes surgunt, et insulæ nil aliud sunt, nisi cacumina montium. Manil. d. l. *Emergere fretis montes, orbisque per undas Exiliit.* *Sparsæ* h. l. *Cyclades*, quanquam *Sporades*, i. e. sparsæ insulæ, ab his diversæ.

265. *Nec se super æquora, etc.*] E monstribus marinis poetæ plerumque *phocas* et *delphinos* commemorant. De *phocarum corporibus* diximus ad i. 300. *Delphis Veterum* Linneo dicitur *Delphinus Delphis*, Nostris *der Tunnler*. *Curvi*, ob dorsum repandum. Anacr. *Od.* li. 27 ; *χορὸς ἰχθύων κυρτός.* Solent autem delphini crebro e mari exilire, atque natantes exultare, unde

VOL. III.

χορὸν et saltatores dicuntur. Cf. iii. 670 sqq. ; vid. Plin. *H. N.* ix. 8. et Mullerus ad Linnei *Systema Nat.* t. i. p. 505. *Jacere* dicuntur cadavera sine sepultura abjecta, ut monet Burm. Idem putat, totum mare evanuisse, et *summum profundum* explicat arenam non aquis tectam, sed siccam. Fallitur. Mare contractum modo erat, et in superficie aquæ *jacebant exanimata resupina*, ut solent corpora mortua in aqua natate.

269. *Dorida.*] Oceani et Tethyos filiam, Nerei uxorem, matrem Nympharum maritimarum. *Sub antris.* In antris. Vide ad i. 689. In fundo autem maris *antra* finguntur, in quibus Dii marini habitant. Primus *Neptunus* causam mundi agere voluit, quia frater Jovis. *Torvus* vultus passim ei a poetis tribuitur propter maris naturam. Nunc etiam dolor ex æstu vultum obducebat.

271. *Brachia exerere.*] Nempe orandi causa. Etenim oratoribus Romanis ad dicendum prodeuntibus solenne erat *brachium extra togam exerere.* Senec. *Contr.* v. 6. Quint. xi. 3.

P

Alma tamen Tellus, ut erat circumdata ponto,
 Inter aquas pelagi, contractosque undique fontes,
 Qui se condiderant in opacæ viscera matris,
 Sustulit omniferos collo tenus arida vultus; 275
 Opposuitque manum fronti; magnoque tremore
 Omnia concutiens paulum subsedit; et infra,
 Quam solet esse, fuit; siccaque ita voce locuta est:
 " Si placet hoc, meruique, quid, o, tua fulmina
 cessant,

Ter melius repetitum, quam si *nunquam* dixisset.

272. *Alma tamen tellus.*] Post illum *Tellus* prodit, quæ erat pars illius calamitatis maxima, mater etiam laborantium fontium, qui, ut liberi tempore calamitoso in sinum matris, in *opaca* (ubi tuti) ejus viscera confugerant. Præclara idea. Non autem *Tellus* ipse orbis terrarum intelligitur, sed *Dea telluris* in terris habitans, ut *Peneus* est deus *Penei* fluvii, in fonte ejus sedem habens. *Tellus* vero non ausa est tota prodire, sed tantum ex aquis quibus cincta, prospectare, vultusque tollere. Exeruit quidem et *manum*; eam vero non movere inter dicendum potuit, sed, ut oculos ab æstu et favilla defenderet, *opposuit fronti*. Et quoniam ne sic quidem æstum ferre poterat, *subsedit*: subsidere fecit terram, quamquam *paululum* tantum, ne longius abesset ab arce Jovis, quicum agere volebat. Hinc *magnus tremor*. Ita labor *Telluris* et cura in maximo malo bene notata. *Alma*, omnia alens, proprium et aptum terræ epitheton. *Ut erat, ὡς εἶχε*, exprimit statum aut habitum, quo quis erat, iv. 473: *canos, ut erat turbata, capillos*; vi. 237: *ut erat pronus*; 244: *sicut erant juncti*. Mox revocandum putavi, *contractosque*, ab *Heinsio* pulsum. Non enim inuit, aquas pelagi constare ex fontibus,

sed omnis generis aquas commemorare vult.

275. *Sustulit omniferos.*] Ut *Autumno* ab *Horatio caput pomis decorum*, sic *Telluri* a *Nostro omniferi vultus* dantur: *omniferos*, vocabulum ab ipso *Ovidio* factum, aptum tamen terræ *πανδῶρω* et *παμμήρορι*, quæ omnia, quibus indiget natura humana, fert et alit. *Lucretio* et *Virgilio* dicitur *omniparens*. *Sustulit*. Videtur poeta respexisse ad locum *Pausaniæ* in *Atticis*: "Ἔστι δὲ καὶ Γῆς ἀγάλμα ἱκετευούσης ὑπαι τὸν Δία. " Est apud *Athenienses* simulacrum *Terræ Jovi supplicantis*, ut e cælo imbrem demittat."

276. *Opposuitque, etc.*] *Silius* xiii. 341: *Obtendensque manum solem infervescere fronti Arcet*.

278. *Sicca vox.*] Quæ venit e gutture sicco. Hoc et magis poeticum, et huic loco aptius, quam vulgat. *sacraque*: x. 663. *aridus anhelitus*.

279. *Si placet hoc.*] Non suppliciter orat, sed tota est in indignitate rei demonstranda *Jovisque negligentia incusanda*. Inest æquabile et gratum orationis flumen. Hæc compensant luxuriam ingenii, quæ in superioribus aliquoties ostendit. Prima verba quasi captationem benevolentiam quandam habent. *Mereri* malo sensu pro *peccare*, etiam 291: vide *Heynii* *Observ-*

Summe Deum? liceat perituræ viribus ignis, 280
 Igne perire tuo; clademque auctore levare.
 Vix equidem fauces hæc ipsa in verba resolvo,"
 (Presserat ora vapor) "tostos en aspice crines,
 Inque oculis tantum, tantum super ora favillæ.
 Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem 285
 Officii que refers, quod adunci vulnera aratri,
 Rastrorumque fero, totoque exerceor anno?
 Quod pecori frondes, alimenta que mitia, fruges,
 Humano generi, vobis quod tura ministro?
 Sed tamen exitium fac me meruisse: quid undæ,
 Quid meruit frater? cur illi tradita sorte 291
 Æquora decrescunt, et ab æthere longius absunt?
 Quod si nec fratris, nec te mea gratia tangit;
 At cœli miserere tui: circumspice utrumque;
 Fumat uterque polus: quos si vitiaverit ignis, 295

vationes ad Tibul. II. iv. 5. *Vires* sæpe et igni tribuantur et pro ignibus ponuntur: vii. 81. *scintilla in veteres* crescit vires; xiii. 868. *Ætna cum suis viribus*. Hinc h. l. periphrasin facit, ut xiv. 274. *vis meri*. Similia apud Græcos. *Clades levatur*, tolerabilior redditur, auctore, quando aut a magno et illustri viro, aut, ut hoc loco, a Deo infertur. BURM. *Levare*, minuere, ut iii. 338.

283. *Presserat.*] *Premere*, opprimere, claudere. Virgilius *Æn.* vi. 155: *pressoque obmutuit ore*. Multum valet ad movendos alios, si, quæ dicimus, eorum oculis subjicere possumus. Hinc *en aspice*, et mox *circumspice*, atque *en Atlas*. Non *cineris* dicit, sed, quod gravius, *favilla*, cineris mixti scintillis igneis. *Honor*: præmium. Sæpe sulci cum *vulneribus* comparantur, et hoc quidem loco commodissime. Acerbius etiam Plin. H. N. ii. 63: *Ferro, ligno, igne, la-*

pide terra omnibus cruciatur horis. *Nisi tamen, quæ summa patiatur atque extrema cute, tolerabilia videntur*. *Penetramus in viscera*, etc. De *rastrorum* gravitate v. ad i. 101. *Exercere* bene de agricultura, atque etiam molestiæ notionem involvit. *Tura*, quorum cura maxime tangebatur Deos, i. 248.

291. *Tradita sorte.*] Quæ adeo summo jure ei debentur: et ab æthere, etc.; quatenus decreverant.

294. *Circumspice utrumque.*] Burmannus mallet ita distinguere: *circumspice utrumque (fumat uterque) polum*.

295. *Vitiaverit.*] *Violaverit*. *Atria*. Vide ad librum i. 172. *Atlas laborat*. Atlas, mons Mauritanix, qui cœlum ideo sustinere dicitur, quod Atlas, qui in illum montem fertur transmūtatus, primus omnium astrologica scrutari cœperit. Vid. Rhodigin. lib. vii. cap. xii; Vitruv. lib. vi. cap. x. De

Atria vestra ruent : Atlas en ipse laborat ;
 Vixque suis humeris candentem sustinet axem.
 Si freta, si terræ pereunt, si regia cœli : 298
 In chaos antiquum confundimur : eripe flammis,
 Si quid adhuc superest ; et rerum consule summæ.”
 Dixerat hæc Tellus : neque enim tolerare vaporem
 Ulterius potuit, nec dicere plura ; suumque
 Rettulit os in se, propioraque Manibus antra.

At pater omnipotens Superos testatus, et ipsum
 Qui dederat currus, nisi opem ferat, omnia fato 305
 Interitura gravi ; summam petit arduus arcem,
 Unde solet latis nubes inducere terris ;
 Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.
 Sed neque, quas posset terris inducere, nubes
 Tunc habuit ; nec, quos cœlo dimitteret, imbres. 310
 Intonat : et dextra libratum fulmen ab aure
 Misit in aurigam ; pariterque anima que rotisque

Atlante, vide Nostrum, iv. 656 sqq.
Laborare eleganter de iis, quæ ita pre-
 muntur, ut vix oneri ferendo suffi-
 ciant. Horat. I. Od. ix. 3 : *silva*
laborantes, nempe nive. Plin. Pan.
 22 : *tecta laborantia* multitudine ho-
 minum insistentium.

299. *Confundimur*.] Exquisitius,
 quam, redimus, revolvimur. *Si quid*
 non semper dubitantis est, sed ele-
 ganter pro *quod* ponitur. Vide ad
 Plin. i. Epist. 1. *Rerum summæ*, in-
 columitati totius universi. Sic *summæ*
reipublicæ sæpe apud Ciceronem : vide
 Ernesti clavem Ciceronianam.

302. *Os suum*, Tellus, Dea, *rettulit*
in se, in orbem terrarum. Ciofanus
 putabat, hoc ductum esse a volumine
 serpentis. *Propioraque manibus an-*
tra. Id est speluncas inferis finiti-
 mas.

304. *Superos testatus*.] Testatur

Deos, quippe necaturus infelicem au-
 rigam. *Summam arcem*, altissimam
 mundi oram petit, et sic *arduus* erat.
Movet, excitat : *vibrata*, agitata, hastæ
 instar. His agitationibus acceleratur
 jactus teli aut fulminis. Mox *libra-*
tum fulmen eodem sensu ; nam *librare*
 pr. de motu manus, quo exploramus
 pondera. Similes autem motus faci-
 unt, qui magna vi projicere aliquid
 volunt. Cf. Arntzen. et Schwarz. ad
 Plin. Paneg. xiii. *Libratum ab aure*
 cum vi pingendi. Jacula enim mit-
 tuntur vel ab aure, vel a latere : vid.
 Cerda ad Virgil. Æneid. ix. 417 ; ubi,
summa telum librabat ab aure.

312. *Anima expulit*.] Vita priva-
 vit, et *rotis*, curru dejecit. *Animam*
expellere est infra vi. 618. Durum
 quidem est *anima expellere*, ferendum
 tamen in poeta, præsertim quum *rotis*
 addatur. Sæpe enim duobus diversis

Expulit, et sævis compescuit ignibus ignes.

Consternantur equi; et saltu in contraria facto

Colla jugo eripiunt, abruptaque lora relinquunt.

Illic frena jacent, illic temone revulsus 316

Axis; in hac radii fractarum parte rotarum:

Sparsaque sunt late laceri vestigia currus.

At Phaethon, rutilos flamma populante capillos,

Volvitur in præceps, longoque per aera tractu

Fertur; ut interdum de cælo stella sereno, 321

Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.

Quem procul a patria diverso maximus orbe

nominiibus unum verbum sic accommodatur. Similiter autem fere locutus est Plin. viii. Ep. iv: *Pulsum regia, pulsum vita. Sævi ignes, Jovis fulmina*, ut IV. Trist. iii. 69. Male igitur h. l. quidam, *sævos*.

315. *Jugo eripiunt.*] Burm. monet, recte quidem dici *collis juga excutere*, non autem *colla jugo*; atque etiam Senec. Hipp. 1084, ubi Nostrum imitatur, scripsisse, *sequē luctantur jugo Eripere*.

316. *Illic frena jacent.*] Lucian. d. l.: *Κατέαγε ὁ ῥυμὸς, καὶ ἄερος τῶν τροχῶν συντρέπεται. Rutili capilli*, quales, Tacito auctore, Germani prisci habebant, ponebantur apud Veteres in magna parte pulchritudinis. Dicuntur etiam *flavi*, Græce *ἠλιώσαι* et *χρυσῆαι τρίχες*: vide H. Stephanum ad Anacreontis Od. xxix. 5. *Volvi* de decedente etiam, vi. 238; Virg. *Æn.* i. 115. *In præceps*, in caput, pronocapite; *Stella*, etc. Confer Callim. hymnum Del. 38. Hujusmodi ignes in aere emicantes, Græcis dicebantur *διάρροντες*. Senec. Nat. Quæst. ii. 14: *Stellæ transvolantes*.

318. *Late laceri.*] Burm. aures ingrato sono *late laceri* offendebantur; quapropter cum MSS. nonnullis malebat *laceri late*. Sed vid. ad i. 299.

322. *Potuit cecidisse videri.*] Respexit fortasse Aristotelis Meteor. i. 4; ubi hujusmodi ignes vocantur *δοκόντες ἀστέρεις διάττειν*. Cum tali stella etiam apud Homerum, II. Δ. 75. Minervæ delapsus comparatur. Phaeth. casum in Winkelmanni Monum. ineditis, n. 43. expressum vides.

323. *Diverso orbe.*] *Diversus orbis*, pars orbis terrarum opposita, nempe septentrionalis. *Eridanum* excepisse Phaethonta, Veteres constanter tradunt, nisi quod Aristoteles de Mirabb. 82: lacum aquis fervidis æstantem juxta hunc fluvium nominat. Antiquissimis Græcis *Eridanus* erat in margine Europæ occidentali, in Oceanum septentrionalem se exonerans, ad cujus ostium electrum reperiebatur, et a quo non procul insulæ aberant stannum mittentes. Rhenum eos intellexisse Vossius ad Virgil. Georg. i. 482. argumentis non contemnendis docet. Sed Pherecydes primus Padum in Italia, qui tum Græcis innotuerat, eo nomine a majoribus designatum esse putavit (Hygin. fab. 154.) cujus auctoritatem reliqui deinceps Græci et Romani sequuti sunt. Vid. et Munker. ad Hygin. dicto loco. Usurp. h. l. *maximus*, ut a Virg. *rex fluviorum*.

Excipit Eridanus, fumantiaque abluit ora.

Naides Hesperiae trifida fumantia flamma 325
Corpora dant tumulo, signantque hoc carmine
saxum :

“ Hic situs est Phaethon, currus auriga paterni ;
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.”

Nam pater obductos luctu miserabilis ægro
Condiderat vultus ; et, si modo credimus, unum
Isse diem sine Sole ferunt : incendia lumen 331
Præbebant ; aliquisque malo fuit usus in illo.
At Clymene, postquam dixit quæcunque fuerunt
In tantis dicenda malis, lugubris, et amens,

324. *Excipit.*] Longe quippe ab Æthiopia distat Eridanus : 'Ενθα πορ' αθαλόεντι τυπείς προς στέρνα κεραννῶ, Ἡμιδαῆς Φαέθων πέσειν ἄρματος Ἡελίου. Apollon. iv. Arg. *Ora abluit*, ut apud Claudianum, xxviii. 166 ; ubi Eridanus palla velatus, cui Phaethon intextus, *vulnera lavit anhelis*.

325—366. *Naides Hesperiae*, etc.] Ultimus actus, qui metamorphosin continet, propter quam omnis de Phaethonte fab. narrata. *Naides Hesperiae*, nymphæ Italicæ : vide ad ver. 258. *Trifida flamma*. Fulmine, quod ita pingebatur. Ut enim tridens Neptuneo, sic trifidum fulmen attribuitur Jovi. A triplici potestate sic dictum voluit : ferit enim, penetrat, et adurit. *Tumulus*, χῶμα, terra extracta, cui corpora, ossa, *dantur* aut mandantur. *Saxum*, λίθος, στήλη, columna sepulchralis, cippus. *Carmine*, ἐπιγραφῆ, titulo ; nam *carmen*, quæcunque formula verborum. *Signant*, insculpunt, verbum proprium in hac re : vide Heinsium. Tales autem inscriptions prisca illa ætas ignoravit. Initium solenne hujusmodi titulorum, *Hic situs est*, aut *hic jacet*. *Siti enim*

proprie, conditi. Cic. Legg. ii. 22. *Nomini* in titulis breviter ascribebantur res gestæ. *Tenuit*, obtinuit, tueri, regere potuit ; magna tamen erant ausa, quibus excidit. Hæc ipsa verba *quem—ausis* ad virtutis studiosum transtulit Seneca, de Vita Beata, c. xxi. Cf. etiam de Prov. 5. extr. Aliter autem judicavit Horat. IV. Od. xi. 25 : *Terret umbustus Phaethon avaras spes*.

329. *Nam.*] Librarii, qui *Nam* in *At* mutârunt, ignorabant, *nam* sic poni, ut subintelligendum sit aliquid, veluti h. l. pater quidem aberat, *nam is*, etc. Sic et vi. 271. *Obducere* vultum, ad mœrorem componere : Casaub. ad Sueton. Tib. 68. *Æger*, qui eum reddebat ægrum, ut *æger amor* Virg. Georg. iv. 464. *Isse*, fluxisse, præterlapsus esse. *Aliquisque*, etc. Ineptissimus jocus. Parum sanæ mentis est in mundi interitu joci : *usus in illo*, ut xiv. 268. *usus in folio* ; x. 213. *color in illis*.

334. *Lugubris*, vestes lugubres sive atras induta, forte et resectis tonsisve capillis. *Laniare* grave verbum, sed aptum luctui acerbiori antiquissimorum et rudium adhuc hominum, qui unguibus adeo ora et pectora palmis

Et laniata sinus, totum percensuit orbem ; 335
 Exanimesque artus primo, mox ossa requirens,
 Repperit ossa tamen peregrina condita ripa,
 Incubuitque loco ; nomenque in marmore lectum
 Perfudit lacrimis, et aperto pectore fovit :
 Nec minus Heliades fletus, et, inania morti 340
 Munera, dant lacrimas ; et cæsæ pectora palmis,
 Non auditurum miseras Phaethonta querelas,
 Nocte dieque vocant ; asternunturque sepulcro.
 Luna quater junctis implerat cornibus orbem :
 Illæ more suo, nam morem fecerat usus, 345
 Plangorem dederant : e queis Phaetusa sororum
 Maxima, quum vellet terræ procumbere, quæsta
 Diriguisset pedes : ad quam conata venire [est
 Candida Lampetie, subita radice retenta est.

fœdabant, Virg. Æn. i. 673. Sic repperit quidem ossa, in peregrina tamen ripa. In terra peregrina mori tristissimum visum. Tibul. I. iii. 3. ibique Heynius in Observ. ; item Virg. Æn. ix. 485. Aperto, nudo : fovere nomen frigida admodum locutio videtur Burmann. Amplectitur itaque Gronov. Cod. lectionem, sævit, id est laceravit apertum seu nudatum pectus. Sed quidni Clymene nomen, quod diu pectore aperto tegebat, fovisse recte dicatur, quum locum fovere bona locutio sit, de eo, qui assidue et diu in eo versatur? Sic castra fovere, Virgil. Æn. ix. 57 : humum fovere, Georg. iii. 420.

340. *Heliades fletus.*] Heliades, sorores Phaethontis (*Phaethontides* apud Germanic. Arat. ver. 371.) Ἥλιον s. Solis filiæ. A Nostro non nisi tres commemorantur, ab Hygino, præf. quatuor ; sed Hesiod. septem numeraverat. *Fletus*, quoniam a lacrimis distingui videntur, forte omnino luctus signa. *Munera*, honores extremi,

qui habentur mortuis, ut Virg. Æneid. vi. 884 sqq. : vide Brouckh. ad Propert. I. xvii. 23. *Inania*, quia mortuum non in vitam revocant. Plane sic *inane munus* apud Virg. d. l. et *vanus honor*, Æneid. xi. 52 : *inane*, omne id, quod fructu caret.

342. *Phaethonta vocant* ex more lugentium et conclamantium priscis temporibus. Homer. Od. i. 65. Virg. Æneid. iii. 68. Hinc. Æneid. i. 219. *nec jam exaudire vocatos*, mortuos esse.

344. *Luna quater*, etc.] Luctus per certum tempus, idque interdum satis longum, durabat, nunc quatuor, menses, quod poetice expressum ; vid. ad. ver. 453. Jam transformationes per partes rursus describit. Cf. i. 548—552 ; ix. 351—358 ; x. 489—500. Sed Claud. xxviii. 164. alium mythum sequitur, ex quo Heliades cum Eridano et Cycno inter sidera relatæ.

349. *Candida*, pulchra, frequens puellarum epitheton. *Subita radice*, in quam pedes ejus subito mutati sunt. *Tertia* aliis Ægle, aliis Phœbe est.

Tertia, quum crinem manibus laniare pararet,
 Avellit frondes : hæc stipite crura teneri, 351
 Illa dolet fieri longos sua brachia ramos.

Dumque ea mirantur ; complectitur inguina cortex ;
 Perque gradus uterum, pectusque, humerosque,
 manusque 354

Ambit ; et extabant tantum ora vocantia matrem.
 Quid faciat mater, nisi, quo trahat impetus illam,
 Huc eat, atque illuc ; et, dum licet, oscula jungat ?
 Non satis est : truncis avellere corpora tentat ;
 Et teneros manibus ramos abrumpere : at inde 359
 Sanguineæ manant, tanquam de vulnere, guttæ.

“ Parce, precor, mater,” quæcunque est saucia
 clamat ; [pus :

“ Parce, precor ; nostrum laniatur in arbore cor-
 Jamque vale.” Cortex in verba novissima venit.

Inde fluunt lacrimæ ; stillataque sole rigescunt

356. *Impetus* ; nunc oppositum rationi, consilio, affectum et perturbationem animi vehementiorem indicat ; de ea recte *trahere*.

361. *Parce precor*, etc.] Sic Virgil. *Æneid.* iii. 41 : *Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto: Parce pias scelerare manus.*

363. *Cortex in verba novissima venit.*] Id est, cortex os obducens verba Heliadum ultima occupavit. Noster x. 497 : *Venientique obvia ligno subsedit, mersitque suos in cortice vultus* ; et xi. 256 : *Admisitque suos in verba novissima fluctus. Cortex venit.* In quales arbores mutatae sint, poeta non addit ; sed I ex Pont. ii. 33. *populos (αίγαιρος)* nominat. Atque ita et Hesiod. ; Hygin. ; Virgil. *Æneid.* x. 190 ; Lucian. aliique. At Virgil. *Ecl.* vi. 62. *alnus* commemorat, quem admodum alii *ulmos* aut *pinus*. Plin. *Hist. Nat.* XXXVII. ii. 3. Com-

munis porro opinio erat (vid. et Eurip. *Hipp.* 740 ; Apollon. *Rh.* iv. 596.) ex *lacrimis* (ἐκ τῶν δακρῶν) illarum arborum *electra* nasci : quod non mirum videri debet, quum arborum resinam Græci ita dixerint (cf. et x. 501.) atque etiam hodie rerum naturalium indagatores eo fere inclinent, ut resinæ electra originem debere putent. Si his addideris, quæ ad ver. 324 notavimus, satis probabiliter tibi fabulam interpretaberis. Sophocles in trag. deperdita ex aliis lacrimis electra nasci finxerat, nempe quas Meleagri sorores in aves mutatae in India flerent : quod a Plin. dicto loco, reprehenditur : vide omnino Gesneri *Diss.* in *Comm. Societ. Gotting.* t. iii. p. 72.

364. *Stillata*, passive. *Lucidus λευκός*, clarus. *Nuribus Latinis.* Italis mulieribus. *Nurus* omnino mulier poetis. Vid. iii. 528. Plin. d. l. nar-

De ramis electra novis ; quæ lucidus amnis 365
Excipit, et nuribus mittit gestanda Latinis.

II. Adfuit huic monstro proles Stheneleia Cyc-
Qui tibi materno quamvis a sanguine junctus, [nus ;
Mente tamen, Phaethon, propior fuit : ille relicto,
Nam Ligurum populos, et magnas rexerat urbes,
Imperio, ripas virides amnemque querelis 371
Eridanum implêrat, silvamque sororibus auctam :
Quum vox est tenuata viro ; canæque capillos

rat, suo tempore Transpadanorum
agrestes feminas monilium vice suc-
cina gestare, maxime decoris gratia,
sed et medicinæ.

366. *Mittunt* merces terræ eæ, ubi
maximus earum proventus et merca-
tus. Sic et Virgil. Georg. i. 57 : *In-
dia mittit ebur.*

367—400. *Adfuit huic monstro,*
etc.] Cyncus, rex Liguriæ, dum de-
flet Phaethontem, sanguine materno
sibi junctum, mutatur in avem sui
nominis. Confer Hyg. fabulam 154 ;
et Virgil. Æneid. x. 189. ibique Hey-
nium. Lactant. Argum. fabulæ aucto-
rem facit Phanoeclem in Cupidinibus.
Nempe ille elegos 'Ερώτων nomine
scripserat, de quibus Heins. et Burm.
ad x. 83. Addita autem hæc sunt
haud dubie superiori fab. postquam
Eridanus pro Pado haberi cœpit. Pau-
sanias Attic. p. 76. facile se credere
ait, Cyncum, Ligurum regem, musica
excelluisse, sed eundem post mortem
ab Apolline in avem Cyncum esse
mutatum se non credere. Et tam
musici, quam poetæ, cum cynis com-
parari solebant : Horat. IV. Od. iii.
25. Alius *Cyncus* xii. 72. memoratur.
Huic monstro. Huic transformationi ;
nam *monstrum* omnis res monstrosa
aut mira. Astitit in ripis Eridani
Cyncus, quum Heliades in arbores
mutarentur. *Stheneleia*, Sthenelei fi-
lius. Regem Liguriæ cognatum fuisse
VOL. III.

reginæ Æthiopum, minime est credi-
bile. Itaque hoc aut male fictum, aut
ab iis additum, qui Phaethonta alium
intelligebant, ab orientali diversum.
Mente forte ad amicitiam referendum.
A sanguine, eleganter, quoad sangui-
nem : exempla e Cic. dabit Clavis
Cicer. *Propior*, propius junctus, si-
milior.

370. *Ligurum.*] *Ligures*, dura et
bellicosa gens, late tenebant maritima
loca non inodo Italiæ superioris, sed
et Galliæ, erantque adeo et Padi ac-
colæ : et Græci antiqui omnem Italiam
superiorem ab iis nominârunt. Apud
Apollon. iv. 646. Argonautæ adeunt
ἔθνη μύρια Κελτῶν καὶ Διγῶν.
Recte igitur Noster Ligurum *populos*.
Iidem igitur et succinum mittere cre-
debantur, Claud. XL. ii. et succinum
ipsum dictum est λιγγούρων. Strabo
iv. p. 310.

371. *Ripas*, ut loca solitaria petere
solent mœsti ; x. 74. *Implet amnem
querelis*, crebro ibi repetit querelas,
nempe cantu. Virgil. Æneid. x. 190 :
*Populeas inter frondes umbramque so-
rorum Dum canit, et mæstum musa
solatur amorem. Sororibus*, scilicet tuis ;
x. 91. hæc tres sorores mutatæ *nemus
Heliadum* dicuntur ; et apud German.
Arat. 370. *nova silva.*

373. *Quum vox.*] Ex voce virili et
gravi facta est vox cyni tenuis. In
describendis transformationibus ipsi

Q

Dissimulant plumæ; collumque e pectore longum
 Porrigitur, digitosque ligat junctura rubentes: 375
 Penna latus vestit; tenet os sine acumine rostrum:
 Fit nova Cyncus avis, nec se cœloque, Jovique
 Credit, ut injuste missi memor ignis ab illo,
 Stagna petit, patulosque lacus; ignemque perosus,
 Quæ colat, elegit contraria flumina flammis. 380
 Squalidus interea genitor Phaethontis, et expers
 Ipse sui decoris, qualis, quum deficit orbem,
 Esse solet; lucemque odit, seque ipse, diemque;
 Datque animum in luctus; et luctibus adjicit iram;
 Officiumque negat mundo. "Satis," inquit, "ab ævi

prodit Ovidius inexhaustas ingenii copias, verbisque delectis pingit animantium naturas. Confer similem mutationem, xiv. 499 sqq. *Cana plumæ*. Candidæ; Virgilius dicto loco ei canentem molli pluma senectam tribuit.

374. *Dissimulant.*] Dissimulare eleganter dicitur forma, sub qua quis latet. Heroid. iv. 56; *tauro dissimulante Jovem*. Hinc infra, 371, *nec se dissimulat*; ix. 76. sic *celare. Junctura*, cuticula.

376. *Latus*, alas: nam *pennæ* sunt alarum; *plumis* autem reliquæ corporis partes velantur. *Vestire*. Bene de pennis, plumis, crinibus: vide Heins. *Tenet os*, occupat locum oris. Ita et ver. 830.

377. *Nec se cœloque*, etc.] Prisci poetæ in fingendis fabulis naturam animantium sequuti erant; Noster autem hic et alibi passim naturam earum e fabulis repetit. *Credere se elemento*, in quo moventur, eleganter dicuntur animantia. Sic et nautæ *se credunt mari*. Ut naturam cyeni e fabula explicare posset, ingeniose *Jovi* posuit in dilogia de aere et de Deo summo. Cæterum et in aera interdum

hæc avis se tollit. *Perosus*, ut *erosus*, qui odio habet.

381—400. *Squalidus interea.*] Non episodium inutile, ut Schirachio videbatur, sed pars fab. de Phaethonte, quam poeta distulit in h. l. quia Cyeni mutatio arcte annexa Heliadum transformationi. Facta autem hæc eo die, qui sine Sole ibat, ver. 330. Pater lugebat; lugentes negligunt, quæ decus afferunt corpori, talesque *squalidi* dicuntur. *Deficere* de occasu solis legitur Propert. III. iii. 44: *qua venit exoriens, qua deficit*. Sed nunc eclipsis intelligitur, qua et ipsa Sol *squalidus* videtur, quum alias *niteat* aut *caput nitidum* gerat. *Deficit orbem*, vel orbem terrarum luce sua destituit, non collustrat, vel suum orbem aut totum aut ex parte obscurat: quo posteriore sensu et commode cum aliis legi potest *orbe*. Vid. Virgilius, Georg. i. 442. ubi *Conditus in nubem medioque refugerit orbe*. Mæsti *lucem* odisse solent; id optime translatum ad Solem, lucis auctorem.

385. *Satis, inquit*, etc.] Verissimus sermo eorum, quibus præter meritum calamitas ab aliis illata. *Honor*, ut 285. *Agere, ἔλαυνειν*, de auriga. Si

Sors mea principiis fuit irrequieta; pigetque 386
 Actorum sine fine mihi, sine honore, laborum.

Quilibet alter agat portantes lumina currus.

Si nemo est, omnesque Dei non posse fatentur;
 Ipse agat; ut saltem, dum nostras tentat habenas,
 Orbatura patres aliquando fulmina ponat. 391

Tum sciet, ignipedum vires expertus equorum,
 Non meruisse necem, qui non bene rexerit illos.”

Talia dicentem circumstant omnia Solem

Numina; neve velit tenebras inducere rebus,

Supplice voce rogant: missos quoque Jupiter ignes
 Excusat, precibusque minas regaliter addit. 397

Colligit amentes, et adhuc terrore paventes [vit:
 Phœbus equos; stimuloque domans et verbere sæ-
 Sævit enim, natumque objectat, et imputat illis.

III. At pater omnipotens ingentia mœnia cœli

nemo est, etc. Cf. 58 s. *Ipse, ἀπὸς*, princeps cœtus alicujus. Nunc vero indignantis est. *Tentat habenas*. Periculum facit, an flectere eas possit. Ita *tentare castra, mare* et alia. *Orbatura*, etc. Indignans loquitur, quasi Jupiter jam plures patres fulmine orba-verit.

392. *Ignipedes* equi valde displicebant Heinsio. Sed equis, qui vehunt ignes, qui ignes in *pectore habent*, *ignes ore et naribus efflant*, 85. 119. 154. non male a poetis *ignei pedes* dari videntur.

395. *Neve velit inducere*.] Urbanus, quam, ne inducat. *Res, mundus*. Mox majestas Jovis bene notata. *Preces*, quibus *minæ* adduntur, a Cic. Attic. IX. iii. *armata*, a Tac. Ann. ii. 57. *contumaces* dicuntur. Apud Lucian. Dial. Deor. 25. Jupiter satis acerbe in Apollinem invehitur, et ille se peccasse fatetur.

398—400. Perperam hi versus

Heins. displicent; apud omnes leguntur et apprime dolori paterno conveniunt. Nota rhythmum in verbis *amentes* et *paventes*. Similis negligentiae exempla Heynius ad Tibul. I. ix. 23 in Obs. collegit. In sqq. *stimuloque*, etc. luxuriatur Ovidii ingenium. Hoc enim, quod homines furentes facere solent, ut iram evomant in res innoxias, male transtulit ad Deum. *Sævire*, verberibus agitare alios. *Verbere*, flagello. *Natum*, mortem nati.

401—530. *At pater omnipotens*, etc.] *Jupiter* vi comprimit *Callisto*, *Lycaonis* filiam, quam propterea *Diana* e choro suo secedere jubet; *Juno* autem in *ursam* mutat. In eam quum *Arcas*, ipsius et Jovis filius, incidisset, sagitta eam transfigere parabat; sed Jupiter ambos repente abreptos in cœlo collocat, sideraque vicina facit. *Nempe*, *Arcades*, qui *Callistûs* sepulcrum ostentabant, Paus. viii. p. 671. eamque, quum in vivis esset, carissimam habu-

Circuit; et, ne quid labefactum viribus ignis
 Corruat, explorat: quæ postquam firma, sui que
 Roboris esse videt; terras, hominumque labores
 Perspicit. Arcadiæ tamen est impensior illi 405
 Cura suæ; fontesque, et nondum audentia labi
 Flumina restituit; dat terræ gramina, frondes
 Arboribus; læsasque jubet revirescere silvas.
 Dum redit, itque frequens, in virgine Nonacrina

isse videntur, mortuæ sidus Ursæ dicârunt, cujus et nomen et situs, quo nunquam occidit, fabulæ locum dedit. Eam vero Græcis decantatam fuisse, Pausan. p. 603. tradit. Primus eam Aniethus, Tegeates historiarum scriptor, narraſse videtur. Hyg. P. A. ii. l extr. Post eum plurimi, sed magna varietate, repetierunt, Eumelus, Pherecydes, Asius, Hesiodus, quos Apollod. laudat, et Amphis, comœdiarum scriptor. Ex iis, qui restant, vide Pausan. viii. p. 603; Apollod. III. viii. 2; Hyg. fab. 176, 177. P. A. II. i. ubi diversas traditiones collegit. Noster, qui Hesiodum maxime sequutus esse videtur, eam egregie exornavit, atque etiam, II. Fast. 155—193. tractavit. Hoc commento commodissime ad fab. seq. transit. *Mænia* cælo aut mundo tribuit Lucret. intelligitque extremas mundi oras, aut mundum ipsum. Sed Noster proprie accepit, quæ si essent, forent sane immenso ambitu, unde *ingentia*. Horum curam gerebat Jupiter; itaque et nunc ea *circuit* et *explorat*, more Ædiliûm, quibus cura ædificiorum commissa est, et ut, v. 360. Pluto Siciliæ fundamina, ubi simili amore corripitur. *Sui roboris* erant, habebant justum robur, firmitatem. *Hominum labores*, segetes et alia opera. Ita Plinius, Paneg. 81. 2. *agrestium labor*. Virg. Georg. i. 325; Æneid. ii. 306: *sata læta boumque labores*. Vir doctus, in Ephem. liter.

Norimb. intelligit calamitates hominum perpeſsas et miserias. Verum eo sensu *labores* non, nisi dum perfecturuntur, perspicî possunt.

405. *Perspicit*, verbum huic loco aptissimum; dicitur enim ut nostrum *besichtigen*, de iis qui examinant ædificia, vias et alia. Vide Ernesti Clavem Cic. h. v. *Perspicit*. *Arcadiam* vocat *suam*, ejusque curam præcipuam gerit, quia in Parrhasio, monte Arcadiæ, natus a multis ferebatur; quantum et Cretenses id honoris sibi vindicabant: vide Callimachus, h. Jov. 4—10. Hoc quoque transitum adjuvat. *Impensior*, major, et proprie *cura* dicitur *impendi*. *Fontibus et fluminibus* abundabat Arcadia, inde *εὐδῶρος* dicta. E fluviis maxime memorabiles Ladon et Erymanthus. Bene *nondum audentia*, tanquam animantia, quæ se condiderant in viscera matris, ver. 274. De *labi*, vide supra ad lib. Metam. i. 189.

409. *Redit, itque*, ut viii. 163: *refluitque, fluitque*. *Nonacrina*. *Nonacris*, mons Arcadiæ, vide Munker. ad Hygin. fab. 177. Et hæc res gesta est in Nonacrino monte. Hygin. P. A. Lactant. in Arg. *Hæsit in virgine*, captus ejus pulchritudine constitit. Hinc *harere* et *adharere* de amanti- bus: vid. ad xiii. 906. *Virgo* illa Anietho fuit Megisto, Lycaonis nep- tis, Cetei filia. A cæteris *Callisto* nominatur; eamque Lycaonis filiam

Hæsit, et accepti caluere sub ossibus ignes. 410
 Non erat hujus opus lanam mollire trahendo ;
 Nec positu variare comas : ubi fibula vestem,
 Vitta coercuerat neglectos alba capillos, [cum,
 Et modo læve manu jaculum, modo sumpserat ar-
 Miles erat Phœbes ; nec Mænalon attigit ulla 415
 Grator hac Triviæ : sed nulla potentia longa est.
 Ulterius medio spatium sol altus habebat ;
 Quum subit illa nemus, quod nulla ceciderat ætas.

fecere Eumelus, Hesiod. Pausan. Hygin. et auctor versuum Creticorum, quos ille laudat. Alii aliter: vide Apollod.

410. *Accepti* non est mutandum. Virgil. Æneid. viii. 389 : *ille repente Accepti solitam flammam.* Sub, in.

411—416. *Non erat hujus opus, etc.*] Apollod. *σύνθηρος Ἀρτέμιδος τὴν αὐτὴν ἐκεῖν σολὴν φοροῦσα.* Hoc ornavit Noster, etiam per comparisonem cum aliarum puellarum studiis. Cf. xiv. 264 sqq. Verbis *lanam mollire trahendo* describitur carminatio. Manipuli lanæ rudis per instrumentum quoddam ferreum trahuntur, ut a sordibus purgentur et mollescant: vide Scaliger. ad Tibul. I. vi. 80.

412. *Positu variare comas.*] Varia compositione ornare capillos, solebat Nymphæ amoris indulgentes. Medic. Fac. 19 : *Vultis odoratos positu variare capillos.* De verbo *ponere*, vid. ad i. 477. *Ubi fibula vestem, etc.* In multis manuscriptis locus auctius sic legitur : *ubi fibula vestem Strinxerat, emiuit corpus juvenile decorque* ; in quibus manum alienam facile agnoscis.

413. *Coercuerat, collegerat.* *Fibula* constringi solebat *vestis*, qua brevi utebantur venantes, vel in humeris vel circa pectus. De *vittis* vide ad i. 477. *Neglectos, incompressos, in*

nodum negligenter collectos, ne dispersi jacerent in humeris. *Læve*, ut alibi *habilis arcus*. Cf. autem. Virgil. Æneid. i. 318 sqq. : *Namque humeris de more habilem suspenderat arcum, etc.* *Miles Phæbes*, venatrix et comes Diana, ut Peneis i. 475 sqq. et Syrinx, ver. 694 sqq. Propter similitudinem belli et venatus, milites et venatores inter se comparantur, et pleraque vocabula utrisque sunt communia. Horat. I. Ep. ii. 67. *militare de cane venatico.*

416. *Triviæ.*] Diana *Trivia*, præses triviorum, quæ venari solebat etiam in *Mænalo*, de quo ad i. 216. *Grator*. Hygin. P. A. d. l. ex Hesiodo, a qua non *mediocriter esse dilectam propter utriusque consimilem naturam*; II. Fast. 157. Diana eam, postquam jurata perpetuam virginitatem promiserat, principem facit comitum. Sequitur sententia vera, unde lector exitum rei divinare potest. Est autem *potentia gratia*, qua valemus apud alios.

417. *Ulterius medio spatium sol habebat* ; jam meridiem pertransierat. *Habere spatium*, illud emensum esse cursu ; II. Fast. 164 : *Aut plus aut medium sole tenente diem.* BURM. In sacris nemoribus et vetustis non licebat arbores cædere. Cf. iii. 28 ; viii. 329 ; IV. Fast. 649. Tale igitur nemus densum est et umbrosum.

Exiit hic humero pharetram, lentosque retendit
 Arcus; inque solo, quod texerat herba, jacebat;
 Et pictam posita pharetram cervice premebat 421
 Jupiter ut vidit fessam, et custode vacantem,
 “Hoc certe conjux furtum mea nesciet, inquit;
 Aut si rescierit; sunt o, sunt jurgia tanti?”
 Protinus induitur faciem cultumque Dianæ: 425
 Atque ait, “O comitum, virgo, pars una mearum,
 In quibus es venata jugis?” De cespite virgo
 Se levat; et, “Salve numen, me iudice, dixit,
 Audiat ipse licet, majus Jove.” Ridet, et audit;
 Et sibi præferri se gaudet, et oscula jungit, 430
 Nec moderata satis, nec sic a virgine danda.
 Qua venata foret silva narrare parantem
 Impedit amplexu; nec se sine crimine prodit.

419. *Exiit.*] Ornate: depositis armis humi quievit. *Lentos*, e ligno flexibili. *Quod texerat herba* exquisitius quam, herboso; admonet enim nos, herbam vices vestium stragularum præstitisse. Venantes, ad imitationem vitæ militaris, quiescentes capiti supponebant arma. Cerda ad Virgil. *Æneid.* vii. 460. *Pictam*, distinctam, nisi auro argentove, certe ebore aut cornu. *Posita*, recumbente. *Custos* potest arbitrum significare, ut *custode vacans* sit idem quam, 544. *inobservata*. Sed etiam virginum et nuptarum custodes erant: II. Amor. iv. 23. Petulanter loquentem Jovem inducit.

424. *Tanti esse* dicuntur, quæ tam gravia sunt, ut eorum causa aliquid vel faciamus, vel omittamus. Suavitas quædam inest in interrogatione et in repetitosunt. Nota etiam *hoc certe*.

425. *Protinus induitur*, etc.] Vulgaris erat traditio, Jovem assimilatum esse Dianæ. Alii narrabant, eum

Apollinis formam sumpsisse: vide Apollod. Cum Nostro consentit et Amphipis apud Hygin. P. A.; sed ille suo modo persequutus est: *induitur cultum Dianæ*, cingitur ritu Dianæ, et sumit arcum cum pharetra. De his armis *cultus*, etiam x. 517. Arcu autem auro insignis erat illa, i. 696 sqq. *Pars una pro una*, simpliciter: II. Fast. 156. *sacri pars una chori*.

429. *Numen majus Jove.*] Ingeniose, ut indicet, ex aliena quoque forma Jovis majestatem eluxisse. *Sibi præferri*. Talia, ut arguta, amat Ovid. *Oscula*, etc. xiv. 658: *oscula, qualia nunquam Vera dedisset anus*; ix. 538: *oscula non sororia*.

433. *Impedit amplexu.*] Propter narrare parantem possis impedire sensu vulgari sumere. Exquisitius tamen dictum est, si *impedire amplexu* explicas per amplecti, ut tropus a vitibus petitus sit, quæ retinacula impediunt, cingunt; iii. 664. Ita *impedire* etiam ver. 868. *Complexibus ambire*, xii. 328.

Illa quidem contra, quantum modo femina possit,
Aspiceres utinam, Saturnia, mitior esses! 435

Illa quidem pugnat: sed quæ superare puella,
Quisve Jovem poterat? superum petit æthera victor
Jupiter: huic odio nemus est, et conscia silva;
Unde, pedem referens, pene est oblita pharetram
Tollere cum telis, et, quem suspenderat, arcum. 440

Ecce, suo comitata choro Dictynna per altum
Mænalon ingrediens, et cæde superba ferarum,
Aspicit hanc, visamque vocat: clamata refugit,
Et timuit primo, ne Jupiter esset in illa.

Sed postquam pariter Nymphas incedere vidit, 445
Sensit abesse dolos; numerumque accessit ad
harum.

Heu quam difficile est, crimen non prodere vultu!

434. *Illa quidem.*] Apollod. ἀκοῦσθ
συνεινῶζεσαι. Illud ἀκοῦσθ Noster
pluribus persequitur.

437. *Superum lumen* cælum vocârunt Ennius, Lucretius, et Virgilius. *Nemus et silva* passim junguntur, ut i. 568; vide Burmannum. *Conscia* poetis dicuntur loca in quibus aliquid stupri. *Conscia silva* stupri ab Jove illati. *Pene est*, etc. Hæc verba bene notant summam Callistûs perturbationem.

441. *Dictynna*, Diana, sic dicta a δῆρῶσις, a retibus, e quibus unam comitum suarum servaverat: vide Callimachi h. Dian. ver. 198. ibique Spanhem. Vide tamen Heynii Excursum ad Virgiliti Cirin. Dianæ vero datæ sunt etiam χορηγίδες nymphæ (Callimachus, vers. 13. 170.) quibuscum chorus exercebat: Virgil. Æneid. iv. 409. Ex opinione enim Veterum nulla vita beata Deorum sine choreis: vide Heynii Excursum XX. ad Æneidos librum i: adde Spanhem. ad Callimachi hynnium Dian. versibus

3. et 242. H. l. tamen chorus videtur omnino cœtus Nympharum esse. Nam pro eo versu 446, *numerus*; versu 449, *agmen*; ver. 465, *cœtus*. Sed et II. Fast. 156. *sacer chorus* Dianæ, quem Hamadryades fecerint. Erat autem chorus ejus numerosissimus. Virgil. Æn. i. 500: *per juga Cynthi Exercent Diana choros; quam mille secuta Hinc atque hinc glomerantur Oreades.*

442. *Superba.*] *Superbus* de victoribus, et inde de venatoribus post multas domitas feras. Noster ipse, II. Fast. 163. explicat, *Mille feras Phæbe silvis venata redibat. Clamata* significantius quam, vocata. Quum nympa simularet, se lenem vocem non audire, Diana *clamabat*; vide Burmannum: *clamore vocare* dixit Silius, iv. 597.

447. *Heu quam difficile est*, etc.] Gravis et vera sententia. Vis malæ conscientiæ et perturbati animi pudore amisso egregie hic notatur. In sqq. illa ipsa, quæ ex Hesiodo Hygin. refert, exornata.

Vix oculos attollit humo ; nec, ut ante solebat,
 Juncta Deæ lateri, nec toto est agmine prima :
 Sed silet ; et læsi dat signa rubore pudoris. 450
 Et, nisi quod virgo est, poterat sentire Diana
 Mille notis culpam : Nymphæ sensisse feruntur.
 Orbe resurgebant lunaria cornua nono ;
 Quum Dea venatrix, fraternis languida flammis,
 Nacta nemus gelidum, de quo cum murmure la-
 Ibat, et attritas versabat rivus arenas. [bens 455
 Ut loca laudavit, summas pede contigit undas :
 His quoque laudatis, “ Procul est, ait, arbiter
 omnis :
 “ Nuda superfusis tinguamus corpora lymphis.”
 Parrhasis erubuit : cunctæ velamina ponunt : 460
 Una moras quærit : dubitanti vestis adempta est ;
 Qua posita, nudo patuit cum corpore crimen.
 Attonitæ, manibusque uterum celare volenti,
 “ I procul hinc, dixit, nec sacros pollue fontes,”

452. *Nymphæ sensisse*, etc.] Perstringit et hic libidinem Nympharum, quæ plus virgine scirent : vid. Burn. et Saffius ad hunc locum.

453. *Orbe resurgebant*.] Nono mense quum partui vicina esset Nympha : *orbe*, in orbem.

454. *Quum Dea*.] Regius B. *Quum Dea fraternis venatu*. *Venatu* id est venando, inter venandum *languida* ; quæ lectio mihi genuina videtur ; at importunus est ordo phrasim. *Fraternis languida flammis* ; defessa fervoribus Solis, fratris sui. *Labens ibat*, labeatur, ut iii. 388 : *egressaque silvis Ibat*, egrediebatur. Homer. II. B. 302 : ἔβαν φέρουσα. i. e. ἔφερον. *Et attritas*, etc. descriptio limpidi rivi. *Contigit*, nempe tentandi causa. *Omnia per partes* describit. *Arbiter* ; iv.

63 : *Consciis omnis abest*. Quomodo Diana tinguam aqua sit solita, ex iii. 171 sqq. videmus.

460. *Parrhasis*, Calisto soror Parrhasii qui Parrhasida condidit in Arcadia ; et hæc olim Parrhasia dicta fuerat.

461. *Dubitanti*, cunctanti, moras quærenti, secum deliberanti ; de quo usu vide Gronov. ad Senec. Thyest. 715. Ex more suo scribere debuisset : *Una dubitat ; dubitanti*, etc.

464. *Sacros*.] Deo alicui consecrati sunt omnes fontes : vide Ciofan. II. Fast. 174 : *Nec castas pollue, dixit, aquas*. *Cynthia*. Diana, a Cyntho Deli monte, ubi nata. *Secedere cætu*. Secundum alios a Diana vel sponte, vel Junone incitante, sagittis confossa est : vide Apollon.

Cynthia : deque suo jussit secedere cœtu. 465

Senserat hoc olim magni matrona Tonantis,
Distuleratque graves in idonea tempora pœnas.
Causa moræ nulla est : et jam puer Arcas, id ipsum
Indoluit Juno, fuerat de pellice natus. 469

Quo simul obvertit sævam cum lumine mentem ;
“ Scilicet hoc unum restabat, adultera, dixit,
Ut fœcunda fores ; fieretque injuria partu
Nota, Jovisque mei testatum dedecus esset.
Haud impune feres : adimam tibi nempe figuram ;
Qua tibi, quaque places nostro importuna marito.”
Dixit : et, adversa prenis a fronte capillis, 476
Stravit humi pronam : tendebat brachia supplex ;
Brachia cœperunt nigris horrescere villis,
Curvarique manus, et aduncos crescere in ungues,
Officioque pedum fungi ; laudataque quondam
Ora Jovi, lato fieri deformia rictu. 481
Neve preces animos, et verba potentia flectant,

466. *Senserat hoc olim*, etc.] Sequitur mutatio ipsa, quam alii, ut Amphipis et Theon. in Arat. Dianæ, alii Jovi, ut Junonem falleret, tribuebant. In principio poeta sui est dissimilis, nimisque brevitate paulo obscurior ; et ne hoc quidem memorat, quomodo Juno in terram descenderit. *Matrona*, conjux ut vi. 581 : *altus Tonans* etiam i. 170. *olim*. Apud Pausan. illico deprehensam mutat. *Arcas*, auctore Hesiodo, jam ursæ facta peperit. Ab eo Arcadiæ nomen inditum esse multi Veterum putabant.

470. *Obvertit* etiam Heroid. xix. 191. legitur. *Quo simul obvertit*. Postquam, inquit, convertit et oculos et animum in Arcadem, e Calistone natum, excandescere cœpit. *Quo*, in quem puerum. *Sævam*, ultionis cupidam. *Scilicet*, vox indignantis. *Injuria*, nempe

mihî illata. *Dedecus* de adulterio, etiam ix. 26. Similes Junonis querelæ, iii. 266 sqq.

474. *Nempe*.] Non solum affirmantis est (certo,) sed hoc loco etiam simul minantis et stomachantis. B. Multum igitur præstat τῶν namque, quod alii habent.

477. *Tendebat brachia*.] Hæc verba sæpius repetit, etiam ver. 580 ; nunc melius omisisset, quum præcedat *pronam stravit*. Ita lector eam cogitaret e lapsu pronam, pronæ statim ursæ formam accipisse.

480. *Laudata Jovi*.] Quæ pulchra visa erant Jovi : vide Burmannum ad Phædr. I. xii. 1.

482. *Animos*, iram Junonis. *Potentia*, efficacia, multum valentia, ut *potentes herbæ*, de quibus supra. *Posse loqui*, facultas (τὸ δύνασθαι) loquendi :

R

Posse loqui eripitur: vox iracunda, minaxque,
 Plenaque terroris rauco de gutture fertur.
 Mens antiqua tamen facta quoque mansit in ursa;
 Assiduoque suos gemitu testata dolores, 486
 Qualescunque manus ad cœlum et sidera tollit;
 Ingratumque Jovem, nequeat quum dicere, sentit.
 Ah! quoties, sola non ausa quiescere silva,
 Ante domum, quondamque suis erravit in agris!
 Ah! quoties per saxa canum latratibus acta est,
 Venatrixque metu venantum territa fugit! 492
 Sæpe feris latuit visis, oblita quid esset;
 Ursaque conspectos in montibus horruit ursos;
 Pertimuitque lupos, quamvis pater esset in illis.
 Ecce Lycaoniæ proles ignara parentis, 496
 Arcas adest, ter quinque fere natalibus actis:
 Dumque feras sequitur, dum saltus eligit aptos,
 Nexilibusque plagis silvas Erymanthidas ambit;
 Incidit in matrem; quæ restitit Arcade viso,

xi. 177. *posse moveri*; Hor. I. Ep. vii. 27: *reddes dulce loqui*. Sed et apud Græcos infinitivum sine articulo vim substantivi habet.

485. *Mens antiqua manet*, dum fit ursa, i. e. in actu ipso; *mens antiqua mansit* quoque, quum facta est ursa. Hæc repetitio non tam ingrata mihi videtur quam tautologia *tamen*—*quoque* in eodem versu. *Facta*, quæ ex alia in aliam rem recenter mutata est. Ita i. 566. *facti rami*.

487. *Qualescunque manus*.] Pedes, qui qualicumque modo manuum vices præstabant; confer i. 730.

489. *Sola, deserta. Oblita quid esset*; oblita se esse ursam ac feram.

495. *Pertimuitque lupos, quamvis pater Lycaon* (unde ipsa *Lycaonia*,) olim in lupum esset versus. Multa ad hæc verba disputarunt Interpre-

tes; sed talia non urgenda sunt in Ovidio. Illustrare voluit inde a versu 489. illud *mens antiqua mansit*, et simul tristem fortunam inde enatam indicare.

496. *Ignara parentis*.] Et mox versu 503. *nescius*, non agnoscens matrem, aut nesciens matrem esse in ursam mutatam. Hunc occursum autem Ovid. ipse haud dubie finxit.

497. *Adest, sæpe de repentino adventu. Fere natalibus actis*. Vulgo *ferens natalibus annos*, quod Heinsius rejicit, ut non Latinum. Burmannus monet *gerere* annos recte dici, ergo et *ferre*.

499. *Erymanthidas, Arcadicas*. Erymanthus quippe Arcadiæ mons est, celebris apro quem Hercules cædit. *Ambit* exquisitius quam *circumdat*; sic vi. 101. *circuire* pro *circumducere*.

Et cognoscenti similis fuit: ille refugit; 501

Immosque oculos in se sine fine tenentem

Nescius extimuit; propiusque accedere aventi

Vulnifico fuerat fixurus pectora telo.

Arcuit omnipotens, pariterque ipsosque nefasque

Sustulit; et celeri raptos per inania vento 506

Imposuit cælo, vicinaque sidera fecit.

Intumuit Juno, postquam inter sidera pellex

Fulsit; et ad canam descendit in æquora Tethyn,

Oceanumque senem; quorum reverentia movit

Sæpe Deos; causamque viæ scitantibus infit: 511

“ Quæritis, æthereis quare regina Deorum

503. *Nescius.*] Vide notam ad 496. *Aventi.* *Avere*, verbum Lucretio familiare, notante Heinsio, Burmannus conferre jubet Bentley. Ad. Horat. I. Epist. xiv. 9.

506. *Sustulit.*] In dilogia positum est. Rapuit e terris ipsos, et prohibuit nefas, cædem matris. *Inania*, aer et æther. *Vicina sidera*, Arctos major et Arctophylax, de quibus ad ver. 132 et 176. vidimus. Ita autem et Amphis apud Hygin., et Eratosth. cap. viii. Cæteri de filio inter sidera relato silent.

508. *Intumuit Juno*, etc.] Quod sub finem hujus loci narratur, sidera illa in æquore tingui vetita esse, id Noster ab antiquis traditum acceperat. Lactantius in Arg.: *A Tethy et Oceano non tingitur, ut Hesiodus indicat.* Similiter Hygin. P. A. et in versibus Creticis apud eundem fab. 177. Quomodo autem Ovidius hoc tractavit? Nempe iter Junonis finxit et orationem acerbissimam ad Deos marinos; in quo ante oculos Virgil. *Æneid.* i. 36—75 habuit, ubi Juno *Æolum* adit auxilii implorandi causa, et *Æneid.* vii. 292 sqq. ubi ad *Acheronta* descendit. In omnibus his locis similes querelæ, ni-

hil se efficere posse, sed ad auxilium aliorum confugiendum.

509. *Canam.*] Spumis, nec non ætate, ut quæ omnium rerum, immo ipsorum Deorum mater; *Iliad.* ε, 201: Ὠκεανόν τε Θεῶν γενεῖσιν καὶ μητέρα Τηθύων. *Tethys* Cæli et *Vestæ* filia fuisse dicitur, uxor Oceani ac Junonis nutrix, multorumque Deorum mater, unde ei atque Oceano magna reverentia. *Senex* Oceanus fingitur etiam in monumentis antiquis: vide Gronovium, ad *Melam*, lib. iii. l. initio, ubi effigies ejus expressa. *Omni* Dii marini senes habebantur, unde *cana Tethys*. *Senectus* parit *reverentiam*, qua illi Deos *movent*, impellunt, ut ab ipsis auxilium petant.

512. *Deorum* bene ex *Codicibus* nostris Regiis, nam Juno erat regina Deorum. *Quæritis*, etc. In hac oratione Juno magis dolet se spretam, quam adulterio conjugis læsam; furta enim ejus, quibus diu assueta (i. 606.) minus curabat. Ira autem ex contemptu bene expressa. Satis invidiose statim in principio irruit in rem, *pro me tenet altera*, alia, *cælum*, ut ix. 146: *thalamos tenet altera nostros.* Seneca, *Herculis Fur.* initio, ubi

Sedibus huc adsim? pro me tenet altera cælum.
 Mentiar, obscurum nisi nox quum fecerit orbem,
 Nuper honoratas summo, mea vulnera, cælo 515
 Videritis stellas illic, ubi circulus axem
 Ultimus extremum spatioque brevissimus ambit.
 Est vero, cur quis Junonem lædere nolit,
 Offensamque tremat, quæ prosim sola nocendo?
 En ego quantum egi! quam vasta potentia nostra
 est! 520

Esse hominem vetui; facta est Dea: sic ego pœnas
 Sontibus impono; sic est mea magna potestas.
 Vindicet antiquam faciem, vultusque ferinos
 Detrahat; Argolica quod in ante Phoronide fecit.
 Cur non et pulsa ducat Junone, meoque 525
 Collocet in thalamo, socerumque Lycaona sumat?

Nostrum imitatur: *pellices cælum tenent.*

514. *Mentior* habent nostri Codices A et B. De forma loquendi, *mentiar* aut *mentior*, si, vel *nisi*, vide Heinsium ad iii. 271. et Burm. ad hunc locum, qui laudat Homer. II. K, 534: *ψεύσομαι ἢ ἔρυμον ἐπέω.*

515. *Nuper.*] Monet Schirach. contra Gesnerum, ex hoc loco *nuper* non modo ad menses et dies (adde ad annos et secula adeo) referri, sed etiam, ut hoc loco, ad horas. *Vulnus*, qui dolores alteri creat. *Honoratas stellas*, in numerum *stellarum* receptos, atque adeo *honore* divino affectos. *Summo cælo*, juxta polum, qui maxime elevatus supra finitorem. Hunc ambit circulus polaris, qui, ut e sphaeræ ratione sponte intelligitur, *brevior* est cæteris. Docte cum Astronomis Juno loquitur.

517. *Ambit.*] Nonnulli, *exit*, quod Heinsio venustum videtur. Unde vero

illa venustas? *Circulus axem non exit*, sed *ambit*.

518. *Vero.*] Cum indignatione interrogantis est. *Junonem*, cum vi pro me. Virg. *Æn.* i. 48: *Et quisquam numen Junonis adoret Prætereæ, aut supplex aris imponat honorem?*

523. *Vindicet.*] Vindicamus ea, quorum possessione excidimus. *Quod in ante Phoronide*: quod ante in Phoronide, id est, in Io, Phoronidis nepote; quæ quum in vaccam, Junonis metu, fuisset conversa, humanæ tandem formæ a Jove fuit restituta. Bene autem Iûs exemplum affertur; fabulæ enim simillimæ sunt: in utraque Jovis amores, Junonis ira, mutatio in feram et inde in Deam. Hinc et earum statuæ vicinæ in Atheniensium arce. Pausan. i. p. 59.

525. *Pulsa*, expulsa, ut Heroid. ix. 131. ubi vid. Heinsius. *Socerumque*, etc. acerbissime. *Sumere*, solenne in hac re.

At vos, si læsæ contemptus tangit alumnae,
Gurgite cæruleo septem prohibete Triones;
Sideraque in cælo, stupri mercede, recepta
Pellite; ne puro tinguatur in æquore pellex.” 530

IV. Dî maris annuerant: habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus aera pictis,
Tam nuper pictis cæso pavonibus Argo;
Quam tu nuper eras, quum candidus ante fuisses,

527. *Tangit.*] Commovet. *Alumnae.* Juno a Tethy fuit nutrita et educata. *Gurgite*, etc. Vide ad ver. 172. ubi rem illustravimus, et ad 508. *Gurgite*, aqua, *cæruleo* ornat. *Septem Triones.* Hyg. f. 177: Jupiter *stellam fecit, quæ Septentrio appellatur.* Lact. ad Stat. iii. Theb. 685: *Ursa major vocatur Septentrio.*

529. *In cælo recepta.*] Ut Heroid. vi. 20: *in parte recepta tori.* Mare vocatur *purum*, quia habet vim expiandi, quam ei tribuerunt Veteres, haud dubie propterea quod cadavera in litus ejicit. Senec. Nat. Quæst. iii. 26.

531—632. *Dî maris annuerant*, etc.] *Corvus candidus in nigrum.* Coronidem, Phlegyæ, bellatoris maximi, filiam amabat Apollo. Sed quum illa etiam Ischyn quendam (vide Munker. ad Hygin. fab. 102.) admisisset, Apollo Coronidem interfecit, Asclepiumque ex utero exsecum educavit; corvum autem qui ingratum ejus adulterii nuntium ipsi attulerat, ex albo in nigrum commutavit. Fabulam Pherecydes, Hesiodus et Ister narraverant. Habent eam Pindar. Pyth. 3. ibique Schol. Apollod. III. x. 3; Hygin. fab. 202. et A. P. ii. 40. ex Istro. Pausan. i. p. 170 s. triplicem de Coronide et Æsculapii natalibus traditionem servavit, quarum una cum Ovidiana conspirat, nisi quod Coronis a Diana interimitur. Aliam ex Argivorum carminibus sumpsit. Ex illa Phlegyas,

bellator ferocissimus Thessaliæ, quum in Peloponnesum speculatum venisset, filia eum secuta Æsculapium parit atque in monte quodam exponit, ubi eum capellæ mammis nutritum et cælesti igne fulgentem pastores reperiunt. Quæ ad corvi decolorationem pertinent, ea inde orta videntur, quod in frigidis terris nigræ aves albescunt. Aristot. H. A. iii. 12. Cæterum huic fabulæ duæ aliæ commodissime insertæ sunt, *Coronei filia* in cornicem et *Nyctimenes* in noctuam mutatio. *Habilis* propter celeritatem, qua agitur: x. 717. *levis currus* Veneris. Burmannus vero monet, *habilem* posse hic esse aptum Junoni, ut apud Cicer. de Orat. i. 231. *calcei habiles.*

533. *Tam nuper pictis*, etc.] In hec transitu, in quo similitudo paulo altius repetita est, nec placere potest lectori eventus fabulæ occupatus, atque adeo in fine non nisi uno versu repetitus. De picta pavonum cauda vide i. 723. *Quam tu nuper eras.* Corvus initio fuit candidus, sed quum ejus indicio Apollo cognovisset Coronida amicam cum alio quodam juvene rem habere, eamque sagittis interfecisset, puerumque Æsculapium exciso utero extraxisset, pœnitentia ductus, corvum indicem, sibi aliquid præmii sperantem, ex albo nigrum fecit. *Alas* nominat, et omnino pennas plumasque intelligit *nigrantes*, nigras: *vertitur in alas nigrales*, vertitur sic, ut alæ nigrescant.

Corve loquax, subito nigrantes versus in alas. 535
 Nam fuit hæc quondam niveis argentea pennis
 Ales, ut æquaret totas sine labe columbas;
 Nec servaturis vigili Capitolia voce
 Cederet anseribus; nec amanti flumina cycno.
 Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci, 540
 Cui color albus erat, nunc est contrarius albo.
 Pulchrior in tota, quam Larissæa Coronis,
 Non fuit Hæmonia: placuit tibi, Delphice, certe,
 Dum vel casta fuit, vel inobservata: sed ales
 Sensit adulterium Phœbeius; utque latentem 545

536. *Nam fuit, etc.*] *Alites* ex disciplina augurum dicebantur aves augurales majores, in quibus corvus, *ales Phæbeius* (ver. 545.) i. e. Apollini sacer et gratus, in cujus etiam corona sedentem nummi exhibent. *Candidi* corvi, etiam hodie frequentes reperiuntur in terris borealibus; neque tamen illi toti albi, sed nigro colori admixtum habent candidum: vide Mulletum ad Linnei Syst. Nat. t. ii. p. 171. Sed olim, ex opinione poetæ, hæc ales erat *niveis argentea pennis*, i. e. niveæ seu candidæ ejus pennæ referebant colorem argenti. Sic. iii. 406: *nitidis argenteus undis*.

537. *Sine labe.*] *Sine macula nigra aut alius coloris*. Schirach. sine causa *totas* mutari volebat in *totus*. Etenim *totas sine labe*, quæ in toto corpore nullam maculam habent, significantius est conjectura illa. De *anseribus* tempore Manlii Capitolium servantibus, ascendentibus Gallis, res nota e Livio v. 47. Ilinc Lucret. iv. 687: *Romulidarum arcis servator, candidus anser*, quem locum Noster haud dubie ante oculos habuit. Jucunde autem hos nominavit pro *anseribus* in genere. *Loquacem linguam* etiam poetæ hic observabis, si attenderis ad illa, *quorum candidus ante fuisses*—*fuit niveis ar-*

gentea pennis ales—*cui color albus erat*. *Contrarius* seu niger color inde dictus est *corvinus*, et *κόρον* Græcis est *μέλαν*. Burm.

542. *Pulchrior, etc.*] *Ἰμερόεσσα Κορωνίς* dicitur in oraculo Pythiæ apud Pausaniam, p. 171. *Quam Larissæa Coronis*. Duæ fuerunt Coronides, quarum altera ab Apolline, altera a Neptuno fuit adamata.

543. *Hæmonia*, Thessalia (vid. ad i. 568.) cujus urbs nobilissima *Larissa* ad Peneum amnem. Omnia in hac fab. ex Arcadia translata sunt in Thessaliam. Vide Burmann. ad ver. 599. et Heynium ad Apollod. d. l. *Casta*, quæ non rem habuit cum alio præter Apollinem.

545. *Sensit adulterium.*] *Corvum* Apollo custodem addiderat Coronidi, ne quis eam violaret. Hygin. *Phæbeius ales*; corvus propter auguria, vaticinia, præsentia, Apollini sacer. *Tendere iter, cursum, fugam*, phrases solennes; subintelligendam esse in his præposit, *per*, monet Perizon. ad Sanctii Min. III. iii. p. 305. Drakenb. ad Sil. x. 73. explicat, celerare cursum. Celeritatis notio etiam inest in *motis alis*. *Scitetur ut omnia*, Garruli enim et curiosi sunt rerum alienarum: *garrula cornix, λακέρυζα κορώνη*, He-

Detegeret culpam non exorabilis index,
 Ad dominum tendebat iter; quem garrula motis
 Consequitur pennis, scitetur ut omnia cornix.
 Auditaque viæ causa, “ Non utile carpis,” 549
 Inquit, “ Iter: ne sperne meæ præsagia linguæ.
 Quid fuerim, quid simque, vide; meritumque
 require:

Invenies nocuisse fidem: nam tempore quodam
 Pallas Erichthonium, prolem sine matre creatam,
 Clauserat Actæo texta de vimine cista; 554
 Virginibusque tribus, gemino de Cecrope natis,
 Hanc legem dederat, sua ne secreta viderent.
 Abdita fronde levi densa speculabar ab ulmo,

siod. *Æg.* ver. 747; Aristoph. Avib. ver. 610. Hinc proverbium illud *λαλιότερος κορώνης*. Anacr. ix. 36. Cf. Plin. Hist. Nat. x. 12. in it.

549—595. *Non utile carpis*, etc.] Jucunda est hæc avium una volantium confabulatio, ejusque ope duas alias fabulas cognoscimus. Prioris origo ex nomine ipso repetenda est, quum cornix Græcis *κορώνη* diceretur. *Non utile*, noxium, figura litotes, qua amici dissuadentes uti solent. *Vide*, vox eorum, qui exemplis monent. *Meritum*, culpa, peccatum: vid. ad 279. *Fidem*, qua dedita erat Minervæ. Commode aspersit aliam fabulam similis argumenti. *Cornix pulsa tutela Minervæ*.

553. *Pallas Erichthonium*, etc.] Vulcanus cum Minerva concumbere voluit. Sed quum Dea repugnaret, pudicitiamque defenderet, semen Vulcani in terram decidit, unde puerum natum *ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονός* (a certamine et terra) *Erichthonii* nomen traxisse dicunt. Hunc Minerva in cista, dracone appposito, servandum dedit Aglauro, Hersæ et Pandroso,

Cecropis filiabus; quæ quum cistam aperuissent, cornix rem indicavit, sed ob ingratum nuntium tutela Minervæ pulsa erat. Ineptam hanc fabulam etymologica nominis Erichthonii interpretatio peperit. Antiquiores tantum Vulcani et Terræ filium eum dixerat. *Actæo* ornatus causa additum, quia res gesta in Attica, quæ olim *Acte*.

555. *Gemino de Cecrope*.] Cecrops a Græcis dictus est *διφύης* haud dubie propterea, quod Ægypto oriundus in Græciam pervenerat, et sic utrique genti annumerari poterat. Hesyeh. *διφύεις οἱ δύο φύσεις ἔχοντες*. Hoc vocab. Græc. Noster interpretatur, *geminus*. Etiam Centauri, quos Isocrat. *διφύεις* vocat, et *gemi*ni sunt, ut ver. 630; vi. 126. Apollod. III. xiv. 1: Cecrops *συμφυῖς ἔχων σῶμα ἀνδρός καὶ δράκοντος*. Cecrops igitur fuit dictus *geminus* ac *biformis*, quod ex parte homo, ex parte serpens fuisse perhibetur. Demosthenes ideo hoc fictum dicit quod et prudentia in consiliis summa esset, et in rebus agendis viribus atque audacia præcelleret.

557. *Levi—ulmo*.] *Levi* tantum or-

Quid facerent : commissa duæ sine fraude tuentur,
 Pandrosos, atque Herse ; timidas vocat una sorores
 Aglauros, nodosque manu diducit ; at intus 560
 Infantemque vident, apporrectumque draconem.
 Acta Deæ refero : pro quo mihi gratia talis
 Redditur, ut dicar tutela pulsa Minervæ ;
 Et ponar post noctis avem : mea pœna volucres
 Admonuisse potest, ne voce pericula quærant. 565
 At puto, non ultro, nec quidquam tale rogantem
 Me petiit : ipsa licet hoc ex Pallade quæras :

nat. *Ulmus* cujus densis foliis facile avis abscondi poterat. *Tuentur*, clausam servant cistam, *sine fraude*, fideliter. *Duæ* ; apud Pausan. una, Pandrosos.

560. *Aglauros.*] Ab Apollod. III. iv. 2. *Agraulos* scribitur, quod Heyn. rectius judicat, quum contra Barnes. ad Eurip. Ion. 23. omnia illa loca, ubi hæc scriptura occurrit, mutanda censeat. *Nodos diducit.* *Nodi* sunt ipsa vimina texta, quæ diducuntur, quando ab iis, qui introspicere cupiunt, distrahuntur : sic *nodi* reti tribuuntur nexili, Virgil. *Æneid.* v. 510. Eurip. *λύσαι τεύχος*, solvisse arcam. Alii *ἀνοίγειν*. Sed Noster specialem notionem subjecit. Plurali *vident* non debebat Schepp. offendi ; Aglauros etenim accesserat sorores diductis nodis.

561. *Apporrectumque draconem.*] Tradebant nonnulli, eum habuisse eura anguina, quemadmodum eum alii merum anguem fuisse fabulabantur. Hygin. d. l. Sed illam interpretationem non admittunt Ovidii verba. Is potius consentit cum Apollod. et Fulgent ; quorum hic, *Minerva eum abscondidit in cistam, dracone apposito* ; ille plane, ut Noster, *vident τῷ βρέφει παρέσπειρασμένον δράκοντα*. Apud Eurip. Ion. 22. et 1427. ei ad corpo-

ris custodiam duo dracones adjuncti. Sic et apud Antigon. *Draco* ille sub Erichthonii nomine in statu Minervæ cernebatur. Pausan. i. p. 58. Hinc pars fabulæ orta. Quam pœnam temeritatis passæ sint istæ, hic non additur. Nempè insania correptæ e prærupto loco se præcipitârunt. Eurip. Pausan. Apollod.

562. *Acta Deæ refero.*] Gesta a Cecropis filiabus Minervæ nuntio.

563. *Ut dicar.*] Cornicem, ob garulitatem, aversatur prudentiæ Dea. In templis et lucis Minervæ raro, Athenis omnino non aspicitur. Animantia et arbores Diis sacræ dicuntur in eorum tutela esse. Phædr. III. xvii. *Ponar post*, locum meum cedere coacta sim. *Volucres*, etiam homines, monere potest, ne voce, ingratis nuntiis perferendis, criminibusque temere detegendis, sibi et aliis molestias creent.

566. *At puto, non ultro.*] Ne corvus putaret, cornicem ideo pulsam esse tutela Minervæ, quod ingrata ei fuerit hæc avis, monet, se a Dea ipsa ultro electam esse comitem ; atque ita viam sibi pandit ad transformationem suam narrandam. *At puto* amat Noster in objectionibus quas remove vult : vide *Metam.* lib. iii. 266 ; et xi. 425.

Quamvis irata est, non hoc irata negabit.
 Nam me Phocaica clarus tellure Coroneus, 569
 Nota loquor, genuit; fueramque ego regia virgo;
 Divitibusque procis, ne me contemne, petebar.
 Forma mihi nocuit: nam quum per litora lentis
 Passibus, ut soleo, summa spatiarer arena,
 Vidit, et incaluit pelagi Deus: utque precando
 Tempora cum blandis consumpsit inania verbis;
 Vim parat, et sequitur: fugio, densumque relinquo
 Litus, et in molli nequicquam lassor arena.
 Inde Deos, hominesque voco; nec contigit ullum
 Vox mea mortalem: mota est pro virgine virgo,
 Auxiliumque tulit: tendebam brachia cœlo; 580
 Brachia cœperunt levibus nigrescere pennis.
 Rejicere ex humeris vestem molibar; at illa
 Pluma erat; inque cutem radices ederat imas.
 Plangere nuda meis conabar pectora palmis: 584
 Sed neque jam palmas, nec pectora nuda gerebam.
 Currebam; nec, ut ante, pedes retinebat arena:
 Sed summa tollebar humo: mox acta per auras

569. *Nam me Phocaica.*] Phocis regio Græciæ, finitima Atticæ, unde *Phocaicus* deducitur. In sequentibus multum ἦθος. *Nota loquor* addit, quia natales jactat. Festive, *ne me contemne*.

572. *Summa spatiarer arena.*] Virgil. Georg. i. 389: *Cornix sola in sicca secum spatiat* arena. *Spatiantur* autem cornices *lentis passibus*, idemque incessus etiam virginem regiam decet.

577. *Mollis*, pedibus cedens, quo facile lassantur currentes. Opp. *densum*, solidum; aspergine enim maris litus durescit. *Non contigit*, non exaudita est. iv. 104: *Vota—tetigere Deos, tetigere parentes*.

VOL. III.

579. *Pro virgine virgo.*] Pallas perpetua gaudens virginitate. Claud. xxxv. 207: *stimulat communis in arma Virginitas*.

580. *Tendebam brachia cælo.*] Singula membra in actu quodam mutantur: *cælo* æque recte ac *ad cælum*. *Brachia* melius in alas mutata finisset. Eadem autem verba 477 sqq.

582. *Rejicere* in tergum, verbum in hac re proprium; vide Burman. *Molibar*, parabam.

586. *Currere*, quasi prælusio quædam volatus, etiam xi. 336. Tum initium verbo *tolli*, denique successus verbis *acta evehor* exprimitur. Apud Virgil. Æneid. xi. 136. *crescens adeo pinus agitur ad sidera*.

S

Evehor, et data sum comes inculpata Minervæ.
 Quid tamen hoc prodest, si diro facta volucris
 Crimine Nyctimene, nostro successit honori? 590
 An, quæ per totam res est notissima Lesbon,
 Non audita tibi est, patrium temerâsse cubile
 Nyctimenen? avis illa quidem; sed conscia culpæ,
 Conspectum lucemque fugit, tenebrisque pudorem
 Celat: et a cunctis expellitur æthere toto." 595
 Talia dicenti, "Tibi," ait, "revocamina," corvus,
 "Sint, precor, ista malo: nos vanum spernimus
 omen."

Nec cœptum dimittit iter; dominoque jacentem
 Cum juvene Hæmonio vidisse Coronida narrat.
 Laurea delapsa est, audito crimine, amanti; 600
 Et pariter vultusque Deo, plectrumque, colorque
 Excidit: utque animus tumida fervebat ab ira;

590. *Crimine Nyctimene.*] Rursus alia aspergitur fabula, sed breviter, vers. 591—595. *Nyctimene* fuit vel Epopei, regis Lesbiorum, vel, secundum alios, Nyctei filia. Vi eam compressam a patre, præ pudore abiisse in silvas, ibique a Minerva mutatam esse in noctuam, quæ pudoris causa interdum lateat, scribit Hygin. fab. 204 et 253. Aliter Servius ad I. Georg. 409. qui dicit hanc esse avibus admirationi.

592. *Temerare*, incestu contaminare, polluere, ut libro xv. 501. Omnino est temeraria audacia aggredi et violare res sacras et illicitas, viii. 742; xv. 75. Tibul. III. v. 7: *temeranda sacra nulli virorum, conscia culpæ, etc.*; vide ad ver. 377. Noctua ideo lucem fugit, quod pupulam oculorum adeo laxam gerit et apertam, ut lucem diurnam ferre nequeat.

598. *Domino*, Apollini. *Cum juvene Hæmonio.* Hesiodus in fragmento a

Strabone servato: ὄτι Ἴσχυς Εἰλατίδης γῆμε Κόρωνιν. Ischyn autem Apollo sagittis confecit. Apud Pindar. Pyth. iii. 46 sqq. Delphis versans hoc rescivit per artem suam fatidicam. Sed quoniam corvus avis auguralis, propterea is additus fabulæ. De *Hæmonia*, vide supra ad versum 543.

601. *Vultusque Deo—excidit.*] *Vultus excidit* ei, cujus hilaritas mutatur in sollicitudinem et mœrorem. *Color excidit*, quum vultum occupat pallor. Contrarium est *vultum recipere*, Fast. iv. 615. Bene autem sic notata animi perturbatio. Confer iv. 175. 229. Similiter Tibul. IV. ii. 4: *Ne tibi miranti turpiter arma cadant*. Propert. IV. iv. 19. de obstupefacta virgine: *Interque oblitus excidit urna manus*. Liv. 39. 34: *Adeo perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus ei constiterit*.

602. *Tumida ira.*] Quæ mox erup-

Arma assueta rapit; flexumque a cornibus arcum
Tendit; et illa suo toties cum pectore juncta
Indevitato trajecit pectora telo. 605

Icta dedit gemitum, tractoque a vulnere ferro
Candida pœniceo perfudit membra cruore;
Et dixit: "Potui pœnas tibi, Phœbe, dedisse;
Sed peperisse prius: duo nunc moriemur in una."
Hactenus; et pariter vitam cum sanguine fudit:
Corpus inane animæ frigus letale sequutum est.
Pœnitent heu! sero pœnæ crudelis amantem; 612
Seque, quod audierit, quod sic exarserit, odit:
Odit avem, per quam crimen causamque dolendi
Scire coactus erat; nervumque, arcumque, ma-
numque

Odit, cumque manu, temeraria tela, sagittas: 616
Collapsamque fovet; seraque ope vincere fata
Nititur; et medicas exercet inaniter artes.
Quæ postquam frustra tentata, rogumque parari

tura est in vindictam, pœnam, tropo petito vel a mulieribus parturientibus, vel a nubibus tempestatem minantibus. Vide Schwartz. ad Plin. panegy. xxviii. *Rapit de impetu irascentis: v. 64. arcus arripit. A cornibus, quoad cornua. Pectora jungere sæpe de amplexu et concubitu.*

605. *Indevitato*, certo; vocabulum ab ipso Ovidio cusum, ut *indeclinatus, indejectus*, etc.

607. *Pœniceo*, sive purpureo cruore; ita *φοινίκιον αίμα*. Purpura enim habet *nigredinem sanguineam*; Cassiod. lib. i. Varr. Epist. ii. Cum purpureo cruore *candida* fere membra conjunguntur, auctore Homero.

609. *Duo nunc moriemur in una*; et ego et infans in utero conceptus. *Corpus inane*, etc. Hunc versum abesse mallet; adeo languet et otiosus est:

inane animæ, exanimatum, ut alibi inane sanguinis. Sequutum est, occupavit.

614. *Odit avem, corvum. Crimen, Coronidis concubitus cum Hæmonio juvene. Nervum et totum arcum.* Post nomina partium non raro ponitur totum: *sagittas*, quippe *temeraria* (quibus ipse temere, importune usus erat) *tela*. Sic. xiii. 401: *ut referat, Tyrintia tela, sagittas*. Tibul. II. vi. 15: *fractas utinam, tua tela, sagittas*. Ita et Silius, i. 322.

617. *Collabi et corruiere dicuntur ii, qui morientes cadunt. Fovet, nempe amplexu, ut 339; x. 186. Vincere fata, morti eam eripere: fatum, ut μοίρα, de morte. Medicas artes et supra in se ipso (i. 524.) et nunc in amata, et x. 186 in Hyacintho interfecto, inaniter, sine fructu, exercebat.*

Vidit, et arsuros supremis ignibus artus ; 620
 Tum vero gemitus, neque enim cœlestia tingui
 Ora licet lacrimis, alto de corde petitos [venca,
 Edidit : haud aliter, quam quum, spectante ju-
 Lactentis vituli, dextra libratus ab aure,
 Tempora discussit claro cava malleus ictu. 625
 Ut tamen ingratos in pectora fudit odores,
 Et dedit amplexus, injustaque justa peregit ;
 Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
 Semina : sed natum flammis uteroque parentis
 Eripuit ; geminique tulit Chironis in antrum : 630

620. *Suprema*, omnia, quæ in honorem et usum mortuorum fiunt.

621. *Neque enim cœlestia*, etc.] Non licet Diis flere. Confer IV. Fast. 521. Eurip. Hipp. 1395. ubi Diana, *κατ' ὄσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ*. Fortasse hæc quoque lex, ut illa, de qua mox ad ver. 678 dicemus, ab Euripide ficta, et ab Ovidio, qui sæpe Euripid. exprimit, inde sumpta. Hoc quidem certum est, Deos sæpenumero ab hoc vel decore vel lege recessisse ; ut exemplis bene multis docet Brouckh. ad Propert. II. xiii. 54.

622. *Alto*, profundo ; *de corde*, ut alto pectore, i. 656.

623. *Haud aliter*, etc.] Superflua et mira comparatio. *Libratus ab aure* : vide ad ver. 311. Confer Virgil. Æneid. ii. 222. ubi multo melior similitudo.

627. *Justa*.] Sunt *funebria*, quod nomen interdum additur ; et vocantur *justa*, quia debentur mortuis. Hinc *justu* facere aut *peragere*, rite et debitum honoribus sepelire. *Justa*, omnino modus certus, quo solennia officia tempore certo peragenda sunt, ut *justa militaria*, etc. : vide Gronovii Obs. iv. p. 576. Additur *injusta*, ὄξυμῶρος, quia injusta nece affecerat Coronida ; et quia eorum sese ingratum injustumque auctorem damnabat. Sed hanc Schirach. reddit causam : “ namque

non admodum bene de eo fuerat merita Coronis.” Jacobus Bononiensis interpretatur, parvas extemporales exsequias ; legitque *injustaque busta*. Solenne erat *amplexus* et oscula *dare* in rogo ponendis. Propert. II. x. 29. *In cineres labi*, resolvi in cineres. Hor. IV. Od. xiii. 28. *dilapsam in cineres facem*. Arnob. vii. p. 251. *dissolutum in cineres labitur*.

629. *Semina*, prolem suam. Eurip. Iphig. Aul. 524 : *Σισύφειον σπέρμα utero eripuit*. Sic. iii. 311. ex utero matris Bacchus eripitur. Virg. Æn. x. 315 : *Lichas exectus jam matre perempta*, et hinc Phœbo, Deo medico, sacer. Ibi Servius monet, omnes exectos Phœbo fuisse sacros.

630. *Chironis*.] *Chiron*, Centaurus, Saturni filius, vixit tempore Argonautarum, nec solum artem chirurgicam invenit, sed aliis etiam artibus excelluit ; itaque præstantissimi illius ætatis viri disciplina ejus usi erant, Iason, Hercules, Achilles, alii. Plura de ejus in genus humanum meritis habet Clemens Alex. Strom. lib. i. p. 360. Vocatur *geminus* et ver. 664. *biformis*, a natura Centaurorum. Horum formam e symbolica quadam imagine esse natam, tum Chironis fab. varie esse compositam, nec facile expediendam, monet Heynius, in *Antiq. Auf-*

Sperantemque sibi non falsæ præmia linguæ,
Inter aves albas vetuit considerare corvum.

V. Semifer interea divinæ stirpis alumno
Lætus erat; mixtoque oneri gaudebat honore.
Ecce venit rutilus humeros protecta capillis 635
Filia Centauri; quam quondam Nymphæ Chariclo,
Fluminis in rapidi ripis enixa, vocavit
Ocyrhoen: non hæc artes contenta paternas
Edidicisse fuit: fatorum arcana canebat.
Ergo ubi vaticinos concepit mente furores, 640

saetzen, P. i. p. 33. Habitabat autem Chiron in jugo Pelii montis. Callim. h. Del. ver. 104.

632. *Inter aves albas.*] Vetuit esse avem albam; sed bene *considerare*, avibus enim tribuuntur *sedes*. Phædri, I. fab. iij. 13; ubi vide Burm.

633. *Semifer interea, etc.*] *Ocyrhoe*, Chironis filia, non contenta chirurgicam artem a patre didicisse, futurorum etiam scientiam a Diis impetraverat. Sed quum aliquando, invitis Diis, et patri et Æsculapio infanti fata instantia caneret, repente conversa est in equam. Vide Hygin. P. A. ii. 18. qui varias hujus fabulæ formas, etiam ex Eurip. Melanippa et Callimacho refert; tum Eratosth. 18. Sine dubio verum mulieris nomen fuit *Hippo*: vide 638. et inde transformatio ficta est. *Semifer*, quia inferior corporis pars *feri*, equi, figuram referebat.

634. *Oneri.*] Nempe educationis; de qua *onesior*, ix. 675. Chironis ope Æsculapius factus est *χειρουργικός* et venator. Apollod. III. x. 3. *Venit*, accessit ad patris antrum, in quo infans. *Protecta*, tecta. Capillos habebat sparsos in humeris, more vaticinantium. Cf. 673. Fast. I. 503. de Carmenta, *inmissis puppim stetit ante capillis*. Tibul. II. v. 66: *Jactavit fusas et caput ante comas*. De *rutilus* capillis, vide ad 319.

638. *Ocyrhoen.*] Sic, inserta litera *h*, scribendum putavimus. Hæc *Ocyrhoe* fuit nympha, Oceani et Tethyos filia, sic dicta ab *ὄκτος*, *celer*, et *ροή*, *fluxus*; est enim velox fluvius. *Ocyrhoe* est, si vim verbi spectes, quæ rapide fluit. Causa nominis additur, *Fluminis in rapidi*, etc. Male igitur Heins. *rapidi* in *patrii* mutatum volebat, ut fluvii filia fuisse designetur. Hygin. d. l.: *Euripides in Menalippa, Hippen, Chironis filiam, Thean antea appellatam dicit*. Etiam Clemens Alex. d. l. tradit, Hipponem fuisse Chironis filiam, quæ Æolo nupserit. *Artes paternas*, Medicinam, Astronomiam, Musicam. *Edidicisse*. Noster hoc vocabulum frequentat pro, *discere*, *cognoscere*, vii. 99; xiii. 246; Heroid. vii. 180; III. Pont. vii. 4. quibus in locis varietas notata. Neque Ovid. hunc ejus usum novavit, ut Burm. putabat; sed ita et Cic. Div. i. 47; Tibul. II. ii. 12. *Fatorum arcana canebat*, vates erat. *Canere* de vaticiniis et oraculis, quæ olim versibus consignata edebantur. Nec tamen omnino displicet altera lectio, *monēbat*. *Monere* enim proprie dicuntur non modo augures et aruspices, sed etiam vel maxime oracula et vates.

640. *Ergo ubi, etc.*] Describitur mulier *φρενομανής*, fatidica. Vaticinantes enim furore divino rapi, men-

Incaluitque Deo, quem clausum pectore habebat,
 Aspicit infantem; "Toti-"que "salutifer orbi
 Cresce, puer," dixit: "tibi se mortalia sæpe 643
 Corpora debebunt: animas tibi reddere ademptas
 Fas erit; idque semel Dis indignantibus ausus,
 Posse dare hoc iterum flamma prohiberis avita:
 Eque Deo corpus fies exsanguis; Deusque,
 Qui modo corpus eras; et bis tua fata novabis.

teque moveri credebantur, unde iidem
 θεόληπτοι, θεοφορούμενοι, ἐνθουσιῶν-
 τες, dicebantur. Dicuntur Deum ac-
 cipere pectore, clausum tenere pectore,
 exculere pectore. Senec. Œdip. ver.
 298. vates pectore excutit Deum.

642. Totique salutifer orbi.] Geb-
 hardus legit urbi, et de Roma capit,
 quo translatus postea Epidaurus fuit
 Æsculapius. Mirificam profecto va-
 tem nobis exhibuit! Totiq. salutifer
 orbi. Æsculapius enim adeo præstans
 in Medicina fuit, ut etiam Hippolytum
 ab inferis revocaverit; propter quod a
 Jove fulmine fuit extinctus, ac postea
 Deus effectus. A Celso in præfatione,
 Æsculapius numeratur primus medi-
 cus, qui rudem adhuc scientiam paulo
 subtilius excoluerit. Clinicen repe-
 risse traditur ab Hygin. fab. 274. Et
 nomen σωτήρ, salutifer, multis in
 nummis ei tribuitur: vide Spanhem.
 de Usu et præstantia numismatum,
 p. 416. et p. 500. Medicus enim felix
 salutem i. e. valetudinem reddit ægro-
 tantibus.

643. Tibi se mortalia, etc.] Sæpe
 valetudinem corporum suorum et vi-
 tam tibi debebunt mortales. Animus
 reddere ademptas, mortuos in vitam re-
 vocare, tibi fas, possibile erit, in tua
 potestate erit. Pindarus Pyth. 3. 83.
 narrat, eum herbarum succis, carmini-
 bus, amuletis et ferro morbos sanasse,
 vulnera atque calore aut frigore male
 affecta corpora, tum avaritia adduc-
 tum mortuum aliquem in vitam revo-

casse. Similia Pherecydes et Hesio-
 dus tradiderunt, unde Schol. Eurip.
 ad Alc. 2. nonnulla affert.

645. Semel ausus.] Quem Æscula-
 pius in vitam revocaverit, de eo dis-
 sentiunt mythologi, aliis Glaucum,
 Minois filium, nominantibus, aliis
 Hippolytum, aliis Tyndareon, aliis
 alios. Vide Apollod. III. x. 3; Ze-
 nob. i. 18. et Munker. ad Hygin. fab.
 xlix. Hanc igitur ob causam a Jove
 fulmine necatus est. Dis indignanti-
 bus. Eratosth. τῶν θεῶν δυσχερῶς
 τοῦτο φερόντων, etc. Plutonis de ea
 re querelas habet Diodor. Sicul. iv.
 71. Dis indignant.; Plutone scilicet
 querente et Jove indignante, Hippo-
 lytum ab equis discerptum restitui
 ab Æsculapio in vita posse. Virgil.
 Æneid. vii. 772: Ipse repertorem me-
 dicinæ talis et artis Fulmine Phœbi-
 genum Stygius detrusit ad undas. Æs-
 culapius, et ipse non sine flagitio
 Apollinis natus, quid fecit aliud di-
 vinis honoribus dignum, nisi quod sa-
 navit Hippolytum? Mortem sane
 habuit clariorem, quod a Deo meruit
 fulminari.

646. Prohiberis.] Præsens pro Fu-
 turo, quia vates futura ut præsentia
 sibi fingunt. Bis tua fata novabis,
 duplicem experieris metamorphosin:
 primo e matris morientis utero rap-
 tus: secundo ubi a fulminis conflag-
 ratione reviviscens divinitatem con-
 sequutus es. Novare, sic et 674; xi.
 261.

Tu quoque, care pater, non jam mortalis, et ævis
 Omnibus ut maneas, nascendi lege creatus, 650
 Posse mori cupies tum, quum cruciabere diræ
 Sanguine serpentis, per saucia membra recepto :
 Teque ex æterno patientem numina mortis
 Efficient ; triplicesque Deæ tua fila resolvent.”
 Restabat fatis aliquid : suspirat ab imis 655
 Pectoribus, lacrimæque genis labuntur abortæ :
 Atque ita, “ Prævertunt,” inquit, “ me fata ; vetor-
 Plura loqui ; vocisque meæ præcluditur usus. [que
 Non fuerant artes tanti, quæ numinis iram
 Contraxere mihi ; mallet nescisse futura. 660
 Jam mihi subduci facies humana videtur ;

649. *Tu quoque, etc.*] Nunc quidem natura tua immortalis es et æternus. *Manere*, de vita æterna recte dicitur. *Quum cruciabere, etc.* Chironis pedem Hercules imprudens sagitta hydræ Lernææ sanguine, veneno, tincta vulneravit, vel quum apud eum devertisset, Hyg. P. A. ii. 38. vel quum Maleæ alium Centaurum transfigere vellet. Pausan. v. p. 387. Apollod. II. v. 4. Eratosth. 40. Noster priorem rationem sequutus est V. Fast. 397—514. *Recipiuntur ea*, quibus quis vulneratur, aut quæ penetrant in corpus.

653. *Patiens mortis.*] Mortalis. *Pati necem* est x. 267. Quum cruciaretur, immortalitatem suam sponte cessit Prometheo, cui Jupiter ea lege immortalitatem promiserat, si daret mortalem, qui pro ipso mori vellet. Lucian. D. Mort. 26. *Resolvent* Heinsius explicabat, secabunt : potius est, retorquebunt. Tibul. I. vii. 2. de iisdem Parcibus, *stamina non ulli dissoluenda Deo*. Propert. IV. vii. 51. *revolubile stamen*. Noster, x. 30. *retexent*.

655. *Restabat, etc.*] Similis conversio, i. 700 ; sed h. l. ipse noluit restantia addere, nempe fore, ut Chiron inter sidera referatur. Fast. v. 413 : *Nona dies aderat ; quum tu, justissime Chiron, Bis septem stellis corpora cinctus eras*. Centauri enim sidus ei Græci dicarunt. Filia, secundum Euripid. in Menalippa, gravida ex Æolo, Hellenis filio, quum patre inscio peperisset, in equam mutata, tum et ipsa inter sidera relata est. Secundum Callimachum, a Diana conversa est, quod venari desiderat Deamque colere : Hygin. dicto loco. Sed apud Nostrum transformatur, quod Deorum consilia enuntiabat. Ingeniosum autem figmentum, quo vates mutationem suam præsentit et prædicit.

657. *Prævertunt me fata.*] Occupant me et impediunt ; nam in fatis erat, ut verterer in equam. Ergo transformor, priusquam finierim vaticinium. *Præcludere*, solenne in hac re. Phædr. I. fab. ii. 26 : *vocem præcludit metus* ; f. xxiii. 5. *linguam præcludere*.

Jam cibus herba placet; jam latis currere campis
 Impetus est; in equam, cognataque corpora vertor.
 Tota tamen quare? pater est mihi nempe biformis."

Talia dicenti pars est extrema querelæ 665

Intellecta parum; confusaque verba fuere: [tur,
 Mox nec verba quidem, nec equæ sonus ille vide-
 Sed simulantis equam; parvoque in tempore certos
 Edidit hinnitus, et brachia movit in herbas.

Tum digiti coeunt, et quinos alligat unguis 670

Perpetuo cornu levis ungula: crescit et oris,

Et colli spatium: longæ pars maxima pallæ

Cauda fit: utque vagi crines per colla jacebant,

In dextras abiere jubas: pariterque novata est 674

Et vox, et facies: nomen quoque monstra dedere.

VI. Flebat, opemque tuam frustra Philyreius
 heros,

663. *Cognata corpora*, quia pater ex parte equus. Sed ille ex parte tantum et *biformis*, cur igitur ego tota vertor in equam? *Nempe*, quippe.

665. *Talia dicenti*.] Passim Ovid. fingit, verba loquentis abrupta esse ipsa transformatione, ut 363. Idem nunc latius tractat, et transitum a voce humana ad hinnitus gradatim describit, ut 586 seq. ab incesso ad volatum. In talibus, quippe argutiis, placuit sibi ingenium poetæ. *Simulantis*, imitantis. Mox edit certos hinnitus, quales verus equus edit, non quos aliquis imitans equi sonum effingeret, perspicuus: vide ad v. 296.

669. *Brachia*, etc.] Prono corpore cœpit brachiis mutatis incedere. *Coeunt*, coalescunt interstitiis sublati. Sic vulnera dicuntur *coire*, et aqua, quæ congelatur. Contra i. 742: *Ungula in quinos dilapsa absimitur unguis*; ubi vide notam. *Perpetuo*, non scisso; unguæ enim equorum sunt

solidæ. Etiam vestes mutantur cum corpore, 582; i. 236: sed quum nunc *palla fit cauda*, lascivit ingenium poetæ. *Ut jacebant*; vide ad 272.

673. *Vagi crines*.] *Juba* in uno colli latere dependere solent. Verba *pariterque*, etc. otiosa et languida sunt post descriptionem, quæ præcedit. *Nomen dedere*, nempe Hippo aut Hippe dicta est: *monstra*, transformatio, ut 367. aut novata facies.

676—707. *Flebat*, etc.] Fundamentum fabulæ sequentis in Homero, hymn. in Mercurium, copiosissime tractatur. Ibi Mercurius, eo ipso, quo natus erat, die, ex bubus Deorum, quas Apollo in Pieriæ monte pascebat, quinquaginta summa calliditate per Bœotiam abegit ad Alpheum in Peloponneso, atque prope Pylum in antro quodam abscondidit. In itinere prope Onchestum senem vinitorem rogat, ne furtum prodatur; verum ille Apollini boves quaerenti,

Delphice, poscebat; nam nec rescindere magni
 Jussa Jovis poterat: nec, si rescindere posses,
 Tunc aderas: Elin, Messaniaque arva colebas.
 Illud erat tempus, quo te pastoria pellis 680
 Texit; onusque fuit dextræ silvestris oliva;
 Alterius, dispar septenis fistula cannis.
 Dumque amor est curæ, dum te tua fistula mulcet,
 Incustoditæ Pylios memorantur in agros
 Processisse boves: videt has Atlantide Maia 685

quid viderit, in dicat. Sed eandem fabul. etiam Hesiodus, Nicander, Didymarchus, Antigonus, Apollonius Rhodius narraverant; unde eam Antoninus, Lib. Metam. 23. repetiit: quæ ratio paulo propius ad Ovidianam accedit. In ea occurrit Battus, qui, mercede accepta, silentium spondet, et a Mercurio redeunte, quum datam fidem falleret, in saxum mutatur; quanquam in aliis quibusdam rebus, ut suis locis videbimus, dissentit. *Philyreius* a Philyra matre, quacum Saturnus, sumpta equina forma, in Pelio monte congressus habuerat. Apollon. ii. 1236; Virgil. Georg. iii. 92—94. Sic Chiron erat *heros* sensu antiquo; ἥρωες enim olim dicti sunt, qui a Deo Deave prognati erant.

677. *Nec rescindere.*] Non enim rescindere Diis licet acta aliorum Deorum. Conf. iii. 236; xiv. 784. Fluxit hoc ex Euripid. Hipp. ver. 1328. a quo hæc Deorum lex confecta videtur: Valken. ad d. l. *Aderas*, scilicet in Thessalia, ubi habitabat Chiron; etenim non nisi præsens Deus opem ferre poterat afflictis. Apollo autem abierat, boves quærens, in Peloponnesum, ubi *Elis* et *Messenia* sive (e dialecto Dorica) *Messania* arva.

680. *Quo te pastoria pellis.*] Pastorem ab habitu rursus designat. *Pellis* humeros pastorum tegere solebat. Baculum oleagineum gestare solebant

pastores. Apoll. ii. 34: atque etiam apud Virgil. Ecl. viii. 16. Damon incumbit *tereti olivæ*. Et gestabatur *dextera*, Theocr. Id. vii. 15—19. quocum hic locus e nostra lectione egregie conspirat. Nam et ibi pastor humeris indutam habet *pellem*, δέρμα, et *dextera fert ex oleastro pedum*, ἀριμελαίω δεξιτερᾷ κορῆναν. Tali habitu conspiciuntur pastores apud Goræum ii. n. 9. et Borionium in Collect. Antiq. Tab. 87. *Onus*, quidquid gestatur: IV. Fast. 241. *onus inguinis*. *Fistula*, quum Apollo alias lyram moderaretur. De ejus forma, vid. ad i. 711. *Cannis*. Heinsius putabat, ab ipsa Nasonis manu esse *septena fistula canna*.

683. *Dumque amor.*] Hoc de amore forte Ovidius addidit, quia Apollo, quum serius Admeti armenta pasceret, vel Hymenæum, Admeti nepotem, amasse, vel ipsius Admeti amore arsisse traditur. *Mulcere* passim de carminum et musices suavitate. *Pylius* dictæ sunt urbes tres in Peloponneso. Nunc Pylus Nelei in Triphylia prope Elin intelligitur. Posuit fem. *incustoditæ*; erant enim, v. Hom. in Merc. 192. πᾶσαι θήλειαι.

685. *Videt has.*] Has vidit Mercurius, quippe in Cyllene, Arcadiæ monte, natus. *Arte sua*, nota illa, qua excellebat, calliditate. Hom. in Merc. 76: δολίης δ' οὐ λήθεο τέχνης. Ille enim *callidus*, quidquid placuit, *jocosos*

†

Natus; et arte sua silvis occultat abactas.
 Senserat hoc furtum nemo, nisi notus in illo
 Rure senex; Battum vicinia tota vocabant.
 Divitis hic saltus herbosaque pascua Nelei,
 Nobiliumque greges custos servabat equarum. 690
 Hunc timuit, blandaque manu seduxit; et illi,
 "Quisquis es, hospes," ait, "si forte armenta requi-
 Hæc aliquis, vidisse nega: neu gratia facto [ret
 Nulla rependatur, nitidam cape præmia vaccam."
 Et dedit: accepta, voces has reddidit hospes: 695
 "Tutus eas; lapis iste prius tua furta loquatur."
 Et lapidem ostendit: simulat Jove natus abire.
 Mox redit: et, versa pariter cum voce figura,
 "Rustice, vidisti si quas hoc limite," dixit,

condere furto. Horat. I. Od. x. 7. ubi hoc ipsum exemplum subjicitur. Dolo in ea re adhibitos memorat Antonin. Lib., multoque latius Homer. d. l. *Artes* autem Latinis omnes dotes animi et corporis. *Silvis.* Coryphasium, Messeniæ promontorium, Antoninus memorat.

688. *Battum* sine dubio vocabant, ut fit, a vitio quodam. Græcis βάρροσ vocatur balbus, qui non distincte pronuntiare potest verba. Apud Herodot. iv. 135. Battus rex Cyrenes balbutiens. In Alberti Gloss. N. T. p. 200. Battus pastor balbutiens commemoratur. Inde βαρραπίζειν, balbutire; quanquam illo nomine et is notabatur, qui multa temere effutit, ut notum.

689. *Neleus*, rex Pyliorum, pater Nestoris. Is numerosa et egregia habebat armenta, (Homer. Od. A. 288.) quæ autem, quum Pyliorum ager arenosus esset, plurimum extra Nelei fines pascebantur. Pausan. Messen. p. 371. Hinc vocatur *dives*; priscis enim temporibus divitiæ censebantur

multitudine armentorum et gregum; itaque nec *custodes* pecorum infimi loci erant. Cæterum Nelei ætas incidit in tempora Centaurorum. Homer. Il. A. 262. *Equarum* greges Neleus alebat sobolis causa; hinc *nobiles*, delectæ. Nobiles etiam palmis in certaminibus. Virgil. Georg.: *Eliadum pulmas Epeiros equarum.*

691. *Seduxit.*] Quum unus Battus adesset, non opus erat eum *seducere*, seorsim *ducere*. *Quisquis es:* vide i. 679. *Vidisse nega:* Homero, ibid. 92: *ἰδὼν μὴ ἰδὼν εἶναι, καὶ κωφὸς ἀκούσας, καὶ στυγᾶν.* *Facto, negotio. Nitidam.* Vide ad i. 610. Apud Antonin. chlænam, silentii mercedem, accipit.

696. *Tutus*, securus, non sollicitus. *Ex voce* non raro facilius agnoscimus homines, quam ex figura. *Silentia deme*, indica furtum occultum. *Præmium*, præmium: vide Burmann. ad Phædr. I. viii. 1. et Heins. ad h. l. *Femina*, vacca. Seneca, Agam. 354. *conjux tauri.* Contra *vir* de capro et tauro; vide ad i. 660.

“Ire boves, fer opem furtoque silentia deme: 700
Juncta suo pretium dabitur tibi femina tauro.”

At senior, postquam merces geminata, “Sub illis
Montibus,” inquit, “erunt:” et erant sub monti-
bus illis.

Risit Atlantiades; et, “Me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis?” ait; perjuraque pectora vertit
In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index:
Inque nihil merito vetus est infamia saxo. 707

VIII. Hinc se sustulerat paribus Caducifer alis;

703. *Sub—montibus.*] Rod. sequus est veterem lect. *sub illis Montibus, inquit, eunt, et eunt sub m. i.*; putatque, cum Glareano, repetitione illa Batti battologiam expressam esse, et Mercurium, ut illam irrideret, et ipsum verba, *me mihi prodis?* repetiisse. Mirum! Quum Battus dixisset, *sub (in, prope) montibus erunt*, addendum erat, fuisse ibi, nec Battum imposuisse Mercurio. Verba autem *me mihi prodis* (in quibus similis lusus ac 430; i. 641; vi. 365.) graviter et cum vi repetuntur, ut solemus, quum alicui magnam stultitiam exprobramus. *Erunt: et erant.* Allusum voluit ad Battum quendam ineptum poetam, qui in versibus suis eadem identidem iterare solebat.

705. *Perjura, perfida.* Apud Antoninum Battus Mercurii baculo tactus in lapidem mutatur, quem neque æstus neque frigus deserat; locusque, ubi res accidit, *Βάρρον σκοπιά* vocatur. *Silex* poetis omnis lapis, et *durus* est epitheton commune lapidum. Hinc, 831. *durascere*, in lapidem mutari. *Indicem* putant esse lapidem Lydium, qui aurum explorat, indicat ejus bonitatem. At nulla auctoritate doceri potest, *indicem* sic dictum Romanis, et, si dictus esset, nulla *infamia* ei inesset. Lactant. in Argum.

qui interdum eosdem, quos Ovidius sequutus est, auctores consuluit, habet: *In lapidem eum mutavit, qui ab eventu Index circa Pylum vocatur.* Hic non genus quoddam lapidum intell., sed unus ille lapis, in quem Battus propter perfidum *indicium* mutatus est. Sic igitur et Ovidium explicandum arbitror. Sine dubio in quodam Messeniæ monte cernebatur seriore etiam tempore saxum hominis formam utcnque referens. In eum ipsum mutatum esse Battum antiqui tradiderant; unde ei *Indicis* nomen hæsit et cum nomine infamia. *Index* enim et satis invidiose dicebatur: vid. Ernesti ad Sueton. Cæs. 17.—Scil. *Index* Græcum illud *σικοφάντης* exprimit. *Ed.*

708—832. Apud Hygin. Fab. 166. Aglauros cum sororibus, a Minerva ob cistulam apertam insania objecta, in mare se præcipitat. Confer Pausan. p. 41. *Hinc*, ex Pylis agris: *paribus alis*, leni volatu, quum alæ non magnopere moventur, sed linea prope modum eadem semper manent. Respexisse videtur Virg. Æn. iv. 14. Livius, i. 34. *suspensis alis*: qui ita volant, *pendere* dicuntur, mox ver. 726. et iv. 517. *Opp. jactatis*, aut *motis alis*, quibus ver. 835. in cælum avolat.

Munychiosque volans agros, gratamque Minervæ
 Despectabat humum, cultique arbusta Lycæi.
 Illa forte die castæ de more puellæ 711
 Vertice supposito festas in Palladis arces
 Pura coronatis portabant sacra canistris.
 Inde revertentes Deus aspicit ales; iterque
 Non agit in rectum, sed in orbem curvat eundem.
 Ut volucris visis rapidissima miluus extis, 716
 Dum timet, et densi circumstant sacra ministri,
 Flectitur in gyrum; nec longius audet abire;
 Spemque suam motis avidus circumvolat alis:
 Sic super Actæas agilis Cyllenius arces 720

709. *Munychios*, Atticos. *Munychia*, pars urbis Atheniensis cum portu. Sic dicta a Munycho qui illic ædificavit templum Munychiæ Dianæ. *Gratam Minervæ humum*. Nempe *grata* et *dilecta* Diis urbes dicuntur, quæ sunt in eorum tutela. *Lyceum* Athenis gymnasium, situm extra mœnia ad Ilissum, egregie cultum et arboribus consitum; in quo senioribus temporibus Aristoteles scholas habebat. Cecropis autem ætate nec *Lyceum* conditum, nec solennia illa, quæ jam describuntur, instituta erant.

711. *Illâ forte die*; die vicesimo secundo mensis Hecatombæonis, qui fere respondet nostro Julio, quinto quoque anno celebrari solebant *de more*, ab Erichthonio rege instituto, et a Theseo renovato, Panathenæa, quibus peplos Minervæ gestabatur. In pompa solenni, *puellæ castæ* et nobilissimæ, *vertice supposito*, in capite, portabant *canistra* seu corbes, unde *κανηφόροι* et *λικνοφόροι* dictæ sunt; nam *κανὸν* *canistrum* significat; et *λίκνον* eodem redit. Ea canistra *coronata* (Ciofan. interpretatur ad marginem *usque plena*) erant floribus et frondibus, continebantque *sacra*, id

est, vasa, quorum usus in istis solennibus, et sic *pura*, non profana; nisi malis cum uno MS. *tecta*; tegi enim solebant ista canistra. In *arce* autem Cecropia, Minerva tria habebat templa, e quibus nobilissimum Parthenon. *Festas*, in quibus solennia celebrabantur. Sic *festâ theatra*, iii. 111. ubi vide notam.

715—721. *Non agit in rectum, etc.*] Volatum in orbem quinque formulis variavit. Versus 720 et 721. si absent, non desiderarentur. Cum similitudine interjecta confer Virg. *Æneid.* iv. 252 sqq. *Milvus* nobis *Weihe*, e genere avium rapacissimarum. *Milvum* quidem *regalem* tam audacem esse in Africanis oris, ut carnes e macello et e manibus hominum rapiat, Mullerus ad Linnei Syst. Nat. tom. ii. pag. 71. narrat.

719. *Motis alis.*] Non valde ille movet alas, sed propemodum natat in aere, unde Nostris etiam dicitur *der Schwimmer*. *Agilis*, quippe alatus. *Inclinat* i. q. curvat: *easdem circinat auras*, ingeniose, sed tamen paulo audacius in iisdem auris, in eundem semper orbem, more circini, movetur.

Inclinat cursus ; et easdem circinat auras.
 Quanto splendidior, quam cetera sidera, fulget
 Lucifer ; et quanto, te, Lucifer, aurea Phœbe ;
 Tanto virginibus præstantior omnibus Herse 724
 Ibat ; eratque decus pompæ, comitumque suarum.
 Obstupuit forma Jove natus ; et æthere pendens
 Non secus exarsit, quam quum balearica plumbum
 Funda jacit : volat illud, et incandescit eundo,
 Et, quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.
 Vertit iter ; cœloque petit diversa relicto ; 730
 Nec se dissimulat : tanta est fiducia formæ !
 Quæ quanquam justa est, cura tamen adjuvat
 illam ; [apte,
 Permulcetque comas ; chlamydemque, ut pendeat
 Collocat ; ut limbus, totumque appareat aurum ;
 Ut teres in dextra, qua somnos ducit, et arcet,

723. *Lucifer*, stella Veneris, vide ad ii. 115. maximum cœli decus, non modo cæteris planetis fixisque stellis major oculis nostris apparet, sed splendore etiam tanto est, ut a plena ejus luce umbras adeo mittant corpora. Luna autem, ut ait Manil i. 435, *conditur omne stellare vulgus*. Itaque tam cum illo, quam cum hac comparantur homines pulchritudine eximii ; II. ex Pont. v. 49 ; Horat. I. Od. xii. 46. *Præstantior*, formosior.

727. *Balearica*.] Similitudo paulo altius repetita, nec adeo magnopere probanda. Eandem in aliam rem transtulit, xiv. 825. Cum aliis rebus amoris ignis comparatur, i. 492—494. *Balearica* ; qua Balearium insularum incolæ maxime utuntur. Baleares autem insulæ sunt duæ, Hispaniæ adjacentes, quarum incolæ optimi erant funditores ; hodie *Majorca* et *Minorca*. *Plumbum*, plumbeam pilam.

730. *Diversa*, opposita, contraria,

h. l. terra. *Nec se dissimulat*, non aliam formam sumit : vide ad 374. Merito fudit *formæ*, etenim et pulchra et juvenilis ei tribuebatur. *Justum*, quidquid in suo genere perfectum est, et omnibus numeris absolutum. Sic *justa statura*, *justus exercitus*, etc. *Cura* ponitur de cultu, capillorum in primis. Phædr. II. Fab. ii. 8 : *Fingi cura mulierum*. Vid. Bentl. ad Horat. I. Epist. i. 94. Facete autem hanc curam jam describit. *Chlamydes* cingebat *limbus*, vel purpureus, vel, si ipsa purpurea esset, aureus aut pictus et variegatus. *Chlamydi ipsi aureæ figuræ* intexebantur. Virgil. *Æneid.* iv. 137 ; v. 250 sqq. Quomodo autem collocata sit *chlamys*, ut in humero dextero constricta sinistro brachium teget, vide in Winkelmanni H. A. p. 306. Ex posteriore loco possis et *tortum* tueri, quod Klotzius, nulla tamen causa addita, suasit. *Qua somnos*, etc. vide ad i. 671. *ducit*, adducit.

Virga sit, ut tersis niteant talaria plantis. 736
 Pars secreta domus ebore et testudine cultos
 Tres habuit thalamos, quorum tu, Pandrose, dex-
 Aglauros lævum, medium possederat Herse. [trum,
 Quæ tenuit lævum, venientem prima notavit 740
 Mercurium; nomenque Dei scitarier ausa est,
 Et causam adventus: cui sic respondit Atlantis
 Pleionesque genus: “Ego sum, qui jussa per auras
 Verba patris porto: pater est mihi Jupiter ipse:
 Nec fingam causas: tu tantum fida sorori 745
 Esse velis; prolisque meæ matertera dici.
 Herse causa viæ; faveas, oramus, amanti.”
 Aspicit hunc oculis isdem, quibus abdita nuper
 Viderat Aglauros flavæ secreta Minervæ:
 Proque ministerio magni sibi ponderis aurum 750
 Postulat: interea tectis excedere cogit.
 Vertit ad hanc torvi Dea bellica luminis orbem,

737. *Pars secreta domus.*] Apud Græcos mulieres in *secreta* seu interiore ædium parte sedebant, quæ gynæconitis appellabatur. Cornel. Nep. præf. Singulæ habebant suos *thalamos* seu cubicula, quorum parietes et fores distingui olim solebant tinctis animalium cornibus, *ebore* et *testudinum* tegminibus. Plin. Hist. Nat. xvi. 44. Virg. Georg. ii. 463: *Nec varios inhiant pulchra testudine postes.* Schi-rach. *ebur* et *testud.* h. l. refert ad laquearia. *Possederat*, sibi habitandum sumpserat.

473. *Pleione*, Atlantis uxor, e cuius filiabus una Maia, mater Mercurii. *Genus* se commendat ab una muneris parte, qua commercium inter Deos et homines. De eodem, Jovis *mandata per auras ferre*, apud Virg. Æn. iv. 270. *Qui jussa—verba—porto.* Διάκτοπος, κήρυξ, internuncius Deorum. Mercurius inquit Arnobius, quasi qui-

dam Medicurrius dictus est: quod inter loquentes duos media currat, ut reciprocetur oratio, etc. lib. iii. advers. Gentes. *Esse velis*, ut apud Græcos *θέλησον εἶναι*.

748. *Oculis isdem* non urgendum est. Hoc addidit, ut crimen virginis, de quo 559. in memoriam lectori revocaret. *Flavæ*, quæ habet *flavos*, (de quibus ad v. 319) seu pulchros capillos, pulchræ. *Die blonde Minerva.* Sic *ξανθή Δημήτηρ* Homer. Il. E. 500: vide et infra ad iii. 617.

752. *Luminis orbem*, oculum: vid. ad i. 740. *Torvi oculi* tribuuntur iratis et indignantibus. *Penitus*, e profundo pectore: vide ad 179. Virgil. Æneid. i. 371: *Suspirans imoque trahens a pectore vocem.* Notiones generales ubique Ovidius ad cuiusque personam accommodatè exornat, in primis si illa exornatio mythologiam attingit. Hinc et additur, *positamque*,

Et tanto penitus traxit suspiria motu,
 Ut pariter pectus, positamque in pectore forti
 Ægida concuteret : subit, hanc arcana profana 755
 Detexisse manu tum, quum sine matre creatam
 Lemnicolæ stirpem contra data fœdera vidit ;
 Et gratamque Deo fore jam gratamque sorori,
 Et ditem sumpto, quod avara poposcerit, auro.

Protinus Invidiæ, nigro squalentia tabo, 760
 Tecta petit : domus est imis in vallibus antri
 Abdita, sole carens, non ulli pervia vento ;
 Tristis, et ignavi plenissima frigoris ; et quæ
 Igne vacet semper, caligine semper abundet.
 Huc ubi pervenit belli metuenda virago, 765

etc. *Ægis*, munimentum illud æneum, quod in pectore gerit Pallas, insignitum capite Gorgonis, quod et in clypeo ejus expressum erat.

755. *Subit.*] In memoriam redit. *Lemnicola*, Vulcanus, qui in Lemno, insula maris Ægæi, officinam habere credebatur, ibique in primis colebatur. *Contra data fœdera*, contra datam fidem.

760. *Protinus Invidiæ.*] Minerva Invidiam excitat in Aglauro : sed vide, quomodo hoc exornavit. Primum Invidiam fecit, præeunte Eurip. in Inone, fragm. 5. personam, ut, xii. 39 sqq. Famam, et Horat. I. Od. xxxv. 17 sqq. Necessitatem. Deinde finxit Minervæ ad eam iter, ut ministerio ejus uteretur, ut supra, 509. Junonis ad Deos maris, et iv. 432. ad Furias ; tum viii. 790. Cereris ad Famem. Jam, quoniam invidia, auctore Eurip. maximus omnium in homine morbus, nec illa *Siculi tyranni majus invenere tormentum*. Horat. I. Ep. ii. 58 ; propterea, ejus et habitum et domicilium fœdissimum descripsit, omniaque ejus mala sensibus subjecit. Partes etiam hujus descriptionis bene disposuit. Primum

domum et fœdam, et tristem, omnique amœnitatis expertem describit. *Tabum*, venenum, quo inficit homines. *Mox tabem, nocens virus et piceum venenum* vocat. *Nigrum* solenne epitheton veneni. Situs tristitiam bene notant verba *imis in vallibus antri*, imo in angulo, aut ima in cavitare antri ; namque *vallis* et cavitatis notionem involvit.

763. *Ignavi.*] Ab effectu, ut mox, 821. *ignava gravitas*. *Contra habilis vigor*, qui reddit habiles, Virgilius, Georg. iv. 418. Post hæc otiosa sunt et quæ—*abundet*, in quibus etiam lusus verborum est.

765. *Belli metuenda* dicitur, ut *gladii tremendus, nasi timendus*, quæ exempla attulit Heinsius. Deest autem in his formulis *de causa* : vide Perizon. ad Sanctii Minerv. II. iii. pag. 166. *Fas habet*, fas esse, licere sibi putat. *Succedere*, propius accedere. Nam Palladi, ut quæ est Dea, non licet Invidiæ domum ingredi. Etiam factis Minervæ turpitudine Invidiæ notatur. Cf. 769. 786. Invidi rebus malis aluntur, calamitatibus aliorum. Hinc edit *vipereas carnes*.

Constitit ante domum, neque enim succedere tectis
 Fas habet, et postes extrema cuspide pulsat.
 Concussæ patuere fores : videt intus edentem
 Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum,
 Invidiam ; visaque oculos avertit : at illa 770
 Surgit humo pigre, semesarumque relinquit
 Corpora serpentum ; passuque incedit inertī.
 Utque Deam vidit, formaque armisque decoram,
 Ingemuit ; vultumque ima ad suspiria duxit.
 Pallor in ore sedet ; macies in corpore toto ; 775
 Nusquam recta acies ; livent rubigine dentes ;
 Pectora felle virent ; lingua est suffusa veneno ;
 Risus abest, nisi quem visi movere dolores ;

771. *Pigra*, sterili ob frigus. Sic Horat. I. Od. xxii. 17. *pigri campi*. Klotzio, ad Tyrtaeum, p. 102. displicet *pigra*, quia ex antecedentibus jam appareat, humum fuisse sterilem. Suaudet ergo *humo nigra*, sive ut simpliciter horrorem loci indicet, sive ut serpentibus tectam dicat. Quod tamen non necessarium puto, quum Noster sæpissime repetat, quæ jam antea copiosius etiam notata erant. Ego vero *pigre* revocandum duxi, quod sequentia flagitare videntur. Etenim *surgit pigre* et mox *passu incedit inertī* egregie sibi respondent.

774. Jam prima Invidiæ commotio interponitur. *Ima suspiria*, quæ ducuntur ex imo pectore, ut *ulta suspiria*, Claudianus, ii. in Eutrop. 530. quæ ducuntur *alto de corde*, ut dixit Noster, versu 622. Jam *ducere vultum ad suspiria*, vultum componere accommodate suspiriis, suspiria vultu quoque prodere. Suetonius quidem, Tib. 68. dixit, *adducere vultum*, ad gravitatem componere, ubi Casaub. comparat, *obducere vultum*, ad maestitiam componere. Et Seneca, Ep. 58. *vultum adducit ad tristitiam*. Hanc igitur

lectionem multum præfero omnibus emendationibus propositis, quibus repetitur tantum quod poeta jam dixerat.

775. *Pallor in ore sedet*.] Ubi propius accessit, forma ejus describitur. Quam bene ea composita sit, facile reperies, si cogitaveris, quæ de invidis prædicari soleant. Horat. I. Ep. ii. 57: *Invidus alterius macrescit rebus optimis*.—*Sedet* exquisitius quam, *est, apparet*, ut i. 267: vide Gronovii Obs. ii. p. 180. *Recta acies*. Confer infra v. 787. *Rubigo vitium dentium*. *Fel* in pectore signum malevolentia. *Virere* sic et Claudian. 49. 96: *viscera felle virent*. *Suffusa veneno*, *μυστήϊον θανατηφόρον*. *Lingua suffusa veneno* dicitur, ut os *suffusum* rubore.

778. *Risus abest*.] Immanitas ejus et cruciatus describuntur. *Nisi quem*. Nam alienis malis tanquam suis bonis lætatur, *pascitque* se *κακόχαρτος, ἐπιχαρέκακος*. *Vigilacibus*. Codices nostri Regii, *vigilantibus*, quod reponem: nam *vigilax* pro *vigilans*, ut *curax* pro *curiosus*, non nisi ab auctoribus mediocris notæ acceptum fuisse reperio; et forsitan in iis errore librariorum

Nec fruitur somno, vigilacibus excita curis ;
 Sed videt ingratos, intabescitque videndo, 780
 Successus hominum; carpitque et carpitur una,
 Suppliciumque suum est: quamvis tamen oderat
 Talibus alfata est breviter Tritonia dictis: [illam,
 “ Infice tabe tua natarum Cecropis unam ;
 Sic opus est: Aglauros ea est.” Haud plura locuta,
 Fugit, et impressa tellurem reppulit hasta. 786
 Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens,
 Murmura parva dedit; successurumque Minervæ
 Indoluit; baculumque capit; quod spinea totum
 Vincula cingebant; adopertaque nubibus atris,
 Quacunq̄ue ingreditur, florentia proterit arva ;

hoc verbum insolitum irrepsit. *Carpi* dicuntur quæ sensim consumuntur, attenuantur, perduntur. Virg. *Æn.* iv. 2. *cæco carpitur igne.* Hoc bene ad Invidiam tabescentem translatum. Sed eadem et *carpit*, quum de existimatione aliorum detrahit. Plin. I. Ep. ix.

782. *Supplicium*, etc.] Isocrates Evagoræ, cap. 2. invidiæ hoc unum inesse ait bonum, *ὅτι μέγιστον κακὸν τοῖς ἔχουσίν ἐστιν.* Odium illud mox præclare notatum et brevitate et confusione quadam verborum, qua *Aglauros ea est* in finem rejectum. *Tritonia* vel a *τριτῶ*, quod lingua Cretum *caput* significat; eo quod e capite Jovis nata sit; vel a palude Tritone Libyæ, juxta quam nata est, ubi stagni—*quæta Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas, Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.* Lucan. lib. ix. 352. De *tabe*, seu veneno, vide ad iii. 49. *Sic opus est*, ut i. 279. *Impressa hasta*, ut vim adderet corpori se in aera tollenti, ut iv. 710; viii. 366: *tellurem reppulit*, quia ipsa aufugit. Poetis loca *recedere* aut *rePELLI* dicuntur a quibus ipsi abimus. Vide ad xi. 466.

VOL. III.

788. Cod. Reg. A. *successus atque Minervæ*; Cod. B. *successibus.* Emenda *successorum* pro *successurum*, quod si quid significat, contortum est, et ellipsim inusitatum postulat. *Successurumque Minervæ.* Indoluit, *successurum* Minervæ consilium de Aglauro invidiæ veneno inficienda. *Spinea vincula*, spinæ; nam quidquid rem ambit, cingit, *vinculum* dicitur, unde non raro de coronis ponitur. Sic facile carere possumus emendationibus Interpretum. *Spinæ* symbolum cruciatus, quem creat. *Totum* non caret vi, neque adeo temere sollicitandum. Cæterum etiam *baculum* in usu fuit, ut docet Heins. ad 687.

791. *Quacunq̄ue ingreditur.*] Invidia omnia corrumpit, pestisque est hominum. Hoc sub sensus vocavit. Contra apud Claud. 33. 185 sqq. ubi Ceres curru vehitur, omnia, florescunt, *rota Sulcatam fœcundat humum; flavescit aristis Orbita; surgentes condunt vestigia culmi; Vestit iter comitata seges.* Cur *summa cacumina?* nempe quia invidia *summa* semper petit. Remed. versu 369; *summa petit livor.*

U

Exuritque herbas, et summa cacumina carpit ;
 Afflatuque suo populos, urbesque, domosque
 Polluit : et tandem Tritonida conspicit arcem,
 Ingeniis, opibusque, et festa pace virentem ; 795
 Vixque tenet lacrimas, quia nil lacrimabile cernit.
 Sed postquam thalamos intravit Cecrope natæ,
 Jussa facit ; pectusque manu ferrugine tincta
 Tangit ; et hamatis præcordia sentibus implet ;
 Inspiratque nocens virus ; piceumque per ossa 800
 Dissipat, et medio spargit pulmone venenum.
 Neve mali spatium causæ per latius errent,
 Germanam ante oculos, fortunatumque sororis
 Conjugium, pulchraque Deum sub imagine ponit ;
 Cunctaque magna facit, quibus irritata, dolore
 Cecropis occulto mordetur ; et anxia nocte, 806
 Anxia luce gemit ; lentaque miserrima tabe
 Liquitur, ut glacies incerto saucia sole :
 Felicisque bonis non secius uritur Herses,

794. *Tritonida*, Athenas ; longius ad iii. 127. *Ingeniis, opibusque*. Cecropia cum adjacente urbe jam tum quidem Minervæ consecrata erat ; nondum tamen *ingeniis*, ingenii laude florentibus viris, *opibusque* virebat. *Festa*, plena bonorum et lætitiæ. *Virere* poetis, id est, florere. Drakenb. ad Sil. i. 187. *Virque*, etc. Hoc oxymoron et animum ferit, et graviter Invidiæ indolem notat. *Tenet*, retinet.

798. *Ferrugo* poetis i. q. nigredo ; v. 404. *Præcordia*. Quærit Euripides, In. 5. in qua corporis parte invidia sedeat, in manibus, visceribus aut oculis. Noster præcordia, pulmones, ossa nominat. *Hamatis sentibus*, ut *hamatis rubis* Tibul. IV. iii. 10. *Piceum*, atrum *Medio pulmone*, per pulmones. *Neve mali spatium causa per*

latius errent. Sensus : ne invidiæ veneno infecta in aliis rebus hæreat et conficiatur.

804. *Pulchraque*.] Unus Basil. *plenaque*, quod Burman. placet. *Plena imago*, cui nihil, nullum membrum, deest. Id autem alienum a consilio poetæ. *Cecropis* : Aglauros filia Cecropis, *mordetur*, cruciatur.

808. *Liquitur*, liquescit, absumitur, quod verbum sequens similitudo supeditavit : *lenta tabe*, veneno, cujus vis lenta. *Saucia*, liquefacta. Horat. i. Od. xiv. 5 : *malus saucius vento*. Etiam *vulnerari* dicuntur, quæ labefactantur. *Incertus sol*, obscurus, quum cælum nubibus est obductum. *Incerta luna* eodem sensu Virg. Æn. vi. 270 ; et *incerti cæca caligine soles* ; Æn. iii. 203.

Quam quum spinosis ignis supponitur herbis ; 810
 Quæ neque dant flammas, lenique vapore cre-
 mantur.

Sæpe mori voluit, ne quidquam tale videret :

Sæpe, velut crimen, rigido narrare parenti.

Denique in adverso venientem limine sedit 814

Exclusura Deum : cui blandimenta, precesque,

Verbaque jactanti mitissima ; “ Desine,” dixit ;

“ Hinc ego me non sum nisi te motura repulso.”

“ Stemus,” ait, “ pacto,” velox Cyllenius, “ isto :”

Cælatasque fores virga patefecit : at illi

Surgere conanti partes, quascunque sedendo 820

Flectimur, ignava nequeunt gravitate moveri.

Illa quidem recto pugnat se attollere trunco :

Sed genuum junctura riget, frigusque per artus

Labitur ; et pallent amisso sanguine venæ.

Utque malum late solet immedicabile cancer 825

810. *Spinosis herbis*, spinis nondum aridis. *Vapor*, calor.

811. Vulg. *leni tepore* non convenit rebus, quæ supposito igne cremantur.

813. *Rigido*, duro. *Adversa* quæcunque alteri opposita sunt. *Jactare*, dicere, ix. 23.

819. *Cælatasque fores*.] De *cælatis foribus*, vide ad ver. 4. *Virga* patefecit fores, ut Minerva, 767. extrema cuspide. *Quascunque flectimur* ex noto et poetis familiari græcismo, quem exemplis illustrat Heinsius. *Pugnat se attollere*, ut i. 685: *pugnat vincere somnos*.

823. *Per artus pro per ungues*, ex pluribus Ciofani et Heinsii MSS. recepi ; *ungues* enim nec frigus, nec calorem sentiunt. *Vult totum corpus dicere*, id autem recte per *artus* (juncturas membrorum, item membra ipsa) et *venas* exprimit. Et passim *frigus*

aut *tremore artus occupare* dicitur : vid. Ciof.

825. *Utque malum*, etc.] Similitudo apprime claudicans : etenim lapis factus cum carne cancro absumpta male comparatur ; tum cancer lentissime serpit, neque totum corpus occupat. Frustra subjecit *paulatim*, ut similitudinem quandam ostenderet. *Hiems*, frigus, justo durius de corpore humano. *Vitales vias*, canales, quibus respiramus aliaque munera ad vitam sustentandam facimus : *vocis iter*, arteria aspera et os ; vi. 355. *via vocis*. Lucret. iv. 514 : *iter, qua vox it in auris*. *Colla tenebat*, occupaverat collum, ut 376. *Infecerat*, maculas aut nigrum ei colorem contraxerat. Servant homines mutati aliquid e pristina natura, Lycaon feritatem, Daphne nitorem, etc.

Serpere, et illæsas vitiatis addere partes ;
 Sic letalis hiems paulatim in pectora venit ;
 Vitalesque vias, et respiramina clausit :
 Nec conata loqui est ; nec, si conata fuisset,
 Vocis haberet iter : saxum jam colla tenebat ; 830
 Oraque duruerant ; signumque exsanguē sedebat :
 Nec lapis albus erat, sua mens infecerat illam.

VIII. Has ubi verborum pœnas mentisque pro-
 Cepit Atlantiades, dictas a Pallade terras [fanæ
 Linqvit, et ingreditur jactatis æthera pennis. 835
 Sevocat hunc genitor ; nec causam fassus amoris,
 “ Fide minister,” ait, “ jussorum, nate, meorum,
 Pelle moram, solitoque celer delabere cursu ;
 Quæque tuam matrem tellus a parte sinistra

833—875. *Has ubi, etc.*] Agenor, rex Phœnices, filiam habuit Europam, quam amavit Jupiter. Is igitur, in taurum versus, virginem raptam dorso transtulit per mare mediterraneum in insulam Cretam, ubi ex ea suscepit Minoem, Sarpedonem et Rhadamanthum. Fabulam hanc partim Phœniciam, partim Cretensem, Pherecydes, Hellanicus, Antimachus, Anticlides, Epimenides narraverant ; peculiaribusque carminibus Eumelus, Stesichorus et alii celebrârunt. Ex iis, qui restant, vid. Anacr. Od. xxxv ; Moschus, Id. ii ; Hor. III. Od. xxvii. 25—28 ; Achilles Tat. init. Apollod. III. i. 1 ; Hygin. fab. 178 ; Palæph. cap. 16 ; Eratosth. 14 ; Noster infr. vi. 104 sqq. et V. Fast. 605. Fulgent. Myth. i. putat, Europam a Jove raptam esse in nave, quæ tauri picturam habuerit. Palæphatus autem narrat, Gnosium quendam, nomine Taurum, e Tyro rapuisse tum alias puellas, tum virginem regiam Europam. Agenor autem vixit sæcula circiter quindecim ante æræ Christianam.

336. *Causa amoris*, amor, ut iv. 519 ; *causa veneni ipsum venenum.*

839. *Quæque tuam.*] Hic versus valde vexavit Interpretes, quorum nonnulli ex astrologicis adeo rationibus eum interpretari conati sunt. *Mater* Mercurii, Maia, una ex Pleiadibus, quæ locum suum tenent in capite Tauri, qui circulo æquinoctiali dividitur, Phœnicibusque est meridionale sidus. *Sidonida* ab urbe capitali. Ab Anacr. Od. xxxv. 3. Europa vocatur *Σιδωνίη γυνή*. *Sinistra pars* nunc est meridionalis, et cogitandum est, Jovem, quum hæc Mercurio mandata daret, stetisse vultu ad occidentem verso. Sic omnia mihi plana videbantur : judicent tamen alii. *Spectare* autem terræ dicuntur regionem eam, in quam vergunt et extenduntur. Sic. Liv. xxxiii. 17 : *Acarnania spectat solem occidentalem.* Noster autem pro *spectare* dixit *suspicere*, quia sidera in alto sunt ; nam *suspicere* est sursum, in altum spectare. Contra Senec. *Cædip.* ver. 476 : *Quasque (gentes) despectat vertice summo Sidus Arcadium.*

Suspicit, indigenæ Sidonida nomine dicunt, 840
 Hanc pete; quodque procul montano gramine
 Armentum regale vides, ad litora verte.” [pasci
 Dixit; et expulsi jamdudum monte juvenci
 Litora jussa petunt, ubi magni filia regis
 Ludere, virginibus Tyriis comitata, solebat. 845
 Non bene conveniunt, nec in una sede morantur
 Majestas et amor: sceptri gravitate relicta,
 Ille pater rectorque Deum, cui dextra trisulcis
 Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
 Induitur faciem tauri, mixtusque juvencis 850
 Mugit, et in teneris formosus obambulat herbis;
 Quippe color nivis est, quam nec vestigia duri

Sensus: tellus, quæ extenditur versus Pleiadas, seu meridiem. *Verte*, abige. Virgil. *Æneid.* i. 528: *ad litora verte prædas.*

843. *Jamdudum*, continuo, ut xi. 482. *Expulsi*, abacti. *ἔξειλαύνειν*. Sic Virgil. *Ecl.* i. 22. *depellere*, *Cul.* 44. *propellere*. *Magni regis*, *Agenoris: magnus Agenor*, Seneca, *Œdip.* 715; Homer. *Il.* *Æ.* 321; et, ut ex Schol. ad *Il.* M. 397. apparet, etiam Hesiod. et Bacchyl. Phœnicis filiam fecerunt. *Tyrus* tum nondum condita; sed solenne est *Tyrios* dicere *Phœnicios*: iii. 35. *Tyria de gente profecti*. Etiam apud Eurip. Phœn. 642. Cadmus *Τύριος*, ubi Schol. monet, Phœnicen antea *Tyrum* dictam. Contra iii. 129. *Cadmus Sidonius hospes*, et iv. 571. *Sidone profectus*. Adde Hygin. fab. 178.

846. *Non bene conveniunt.*] Miram transformationem narraturus et amplificaturus, præmittit sententiam. *Sedes*, persona, subjectum. Her. xix. 173: *Male res junctæ, calor et reverentia pugnant*. Quintil. Decl. 12: *non habitant una pudor et famés*. Atque etiam morari, id est, habitare. Munker. ad Hygin. fab. lii. *Sequentia*

brevius expressa ab Auct. Eleg. in *Obitum Mæc.* 88: *Dominator Olympi Dicitur in nitidum procubuisse bovem*. *Majestatem Jovis hic præclare describit.*

848. *Ille bene inservit magnitudini declarandæ*. Virgil. *Æneid.* vii. 110: *sic Jupiter ille monebat*. Forte Nostris hæc scribenti in animo versabatur Terent. *Eun.* III. v. 42. de Jove in pluviam auream converso: *At quem Deum? qui templa cæli summa sonitu concutit.*

850. *Induitur faciem tauri.*] *Taurum* illum expressum vides in *Lipperti Dactyl.* I. xxix. 30. *Formositatem ejus jam describere incipit; recte igitur sequitur Quippe. Quam nec, etc. qualis est, quomodo de cælo delapsa conspicitur: II. ex Pont. v. 18. non calcata candidiora nive. Duri respectu mollitudinis nivis. Phædr. I. fab. xxx. 10. de tauro: proculcatus obteret duro pede. Vestigia pedis, ipse pes. Auster pluvias concitat, unde aquaticus, vocabulum ab ipso Ovidio csum. Occurrit et infra, ix. 342. ubi *aquatica lotos*, quæ amat loca aquosa.*

Calcavere pedis, nec solvit aquaticus Auster.
 Colla toris extant; armis palearia pendent;
 Cornua parva quidem, sed quæ contendere possis
 Facta manu, puraque magis perlucida gemma. 856
 Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumen;
 Pacem vultus habet: miratur Agenore nata,
 Quod tam formosus, quod prælia nulla minetur.
 Sed, quamvis mitem, metuit contingere primo:
 Mox adit; et flores ad candida porrigit ora. 861
 Gaudet amans; et, dum veniat sperata voluptas,
 Oscula dat manibus; vix ah! vix cætera differt:
 Et nunc alludit, viridique exultat in herba;
 Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis; 865
 Paulatimque metu dempto, modo pectora præbet
 Virginea plaudenda manu; modo cornua sertis
 Impedienda novis: ausa est quoque regia virgo,
 Nescia quem premeret, tergo considerare tauri.
 Tum Deus a terra, siccoque a litore, sensim 870

854. *Colla toris extant.*] E pectore toroso, quod valde laudatur in tauris (Colum. vi. 13.) eminebat collum. Sunt autem *tori* pars carnosa, pulpa carnis muscosa, in lacertis et pectore, pulvillorum instar, eminens. Virgil. Georg. iii. 53. optimos tauros numerat, quibus *plurima* (longa et crassa) *cervix*, et quibus *crurum tenuis a mento palearia* pendent.

855. *Cornua parva.*] Laudantur in bubus cornua excelsa; sed Jupiter assumpserat *parva*, ne terribilis videretur puellæ. Et Columella, vi. 20. breviora tauris, quam bubus, cornua tribuit. *Manu facta* dicuntur, quæ ab artificibus facta sunt, et opposita naturæ operibus: vide Burm. ad Quintil. Decl. ix. 18.

857. *Nulla minæ.*] Non erat *trux*

aut *torvus*, quæ alibi fere de tauris prædicantur. *Pacem*, serenitatem et tranquillitatem, *habet*, præ se fert: x. 702. *Prælia nulla minetur*. Non collectari cum cæteris bubus conetur. *Mitem*, χεῖροθήης, id est, mansuetus vocatur ab Apollod.

862. *Veniat.*] Talibus viget phantasia Ovidii. *Venire* eleganter dicuntur, quæ contingunt alicui, ut hæreditates (Cic. Verr. iv. 27.) et hic voluptas.

865. *In fulvis niveum.*] Ut i. 112: *flavaque de viridi*. *Plaudere*, mulcere; vide Heinsium. Nostri Codices habent *palpanda*. Hæc lectio, præterquam quod accuratior nobis visa est, habet nescio quid dulcius et amanti convenientius. *Novis*, e novis floribus. *Premere* et θλιβεῖν pro, insidere.

Falsa pedum primis vestigia ponit in undis ;
 Inde abit ulterius, mediique per æquora ponti
 Fert prædam : pavet hæc ; litusque ablata relictum
 Respicit ; et dextra cornum tenet, altera dorso
 Imposita est : tremulæ sinuantur flamine vestes.

871. *Falsa.*] Fallacia. Fallere vult virginem. *Æquora ponti*, ut alibi *freta ponti*, poetica periphrasis ponti. Intelligitur autem hoc loco mare mediterraneum, per quod Europam transtulit in insulam Cretam.

874. *Cornum* per Archaisinum : vid.

Priscian. lib. vi. p. 685. *Imposita est*, innititur. Verbis *tremulæ* et *sinuantur* egregie pinguntur varii motus et sinus, quos efficiebat ventus ; cf. versus 528. Hæc postrema latius tractavit, V. Fast. 667 sqq.

N. B. Argumentum hujus libri tertii Metamorphoseon,
relatum invenies in serie CANTERI, supra pag. 53.

P OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON

LIBER TERTIUS.

FAB. I.

JAMQUE Deus posita fallacis imagine tauri,
Se confessus erat; Dictæaque rura tenebat:
Quum pater ignarus Cadmo perquirere raptam

1—130. *Jamque Deus posita*, etc.] Agenor filios tres ad requirendam Europam sororem dimisit ita, ut, nisi eam reperissent, ad se non reverterentur. Cilix, variis peragratis terris, Ciliciam constituit; Phœnix in Africam est profectus, ibique remansit; *Cadmus* autem in Græciam devenit, ubi, oraculo admonitus, Thebas, aut potius Cadmeam arcem condidit, interfecto prius ingenti dracone, e cujus dentibus humi sparsis viri armati prodierunt, quorum pars Cadmo in condenda urbe assuit: Eurip. Phœn. ver. 641 sqq. ver. 661 sqq. et Schol. ad hæc loca Apollod. Biblioth. III. i. 1. et iv. 1; Pausan. Bœot. p. 719 et 733; Hygin. fab. 178; Seneca Œdip. ver. 709 sqq.; Apollon. Rh. iii. 1170 sqq. Primi autem auctores fuerunt Mnaseas, Pherecydes, Hellanicus, Lysimachus. Cadmus cum Phœnicum manu in Bœotiam venit, fuisque Hyantibus, Aonas cum suis in unam gentem coalescere passus est. Quum locum condendæ urbi quæreret, sequutus est, sive oraculo monitus, sive sua

VOL. III.

sponte, bovem ducem, nisi et hoc figmentum etymologica Bœotiae interpretatio peperit. Pausan. p. 719. Quid de dentibus ab eo satis existimandum sit, ad ver. 126 videbimus.

2. *Se confessus erat*, indicaverat se esse Jovem. Sic et xi. 264. Virgil. Æneid. ii. 591: *confessa Deam. Dictæa rura*, Creta, Tyro vicina, et in cujus monte *Dicta* Jupiter natus credebatur, unde ipse *Dictæus*.

3. *Ignarus*.] Male Ciofan. *ignarus raptam* conjungit. Imo centies *ignarus* apud Nostrum ita occurrit, ut subintelligenda relicta sit illa res, cujus quis ignarus fuerit, ut i. 658. et infra 243. 287. Vide et *Corte* ad Sallustii Catilin. li. 27. Ignorabat Agenor, filiam a Jove translata esse in Dictæa rura. *Invenire*, nunc ad quærendi studium pertinet. Apollod. εἰπὼν μὴ πρότερον ἀναστρέφειν πρὶν ἂν ἐξέδρωσιν Εὐρώπην. Sic ille *pius* in filiam, et *sceleratus*, crudelis, in filios. Hæc sententia, ut ὀξὺμωρον, placuit Nostró; itaque eam, ix. 408. repetiit. Cic. Off. iii. 31. de T. Man-

Imperat, et pœnam, si non invenerit, addit
 Exilium, facto pius, et sceleratus eodem. 5
 Orbe pererrato, quis enim deprendere possit
 Furta Jovis? profugus patriamque, iramque paren-
 Vitat Agenorides; Phœbique oracula supplex [tis
 Consulit, et quæ sit tellus habitanda, requirit.
 “Bos tibi,” Phœbus ait, “solis occurret in arvis,
 Nullum passa jugum, curvique immunis aratri. 11
 Hac duce carpe vias, et, qua requieverit herba,
 Mœnia fac condas, Bœotiaque illa vocato.”

Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro;

lio, qui perindulgens in patrem, idem
 acerbe severus in filium.

6. Orbe pererrato.] Nempe ali-
 quandiu in Thracia habitavit cum
 Telephassa matre; eaque mortua,
 Delphos profectus est oraculum con-
 sulturus. Apollod. Furta. Puellas
 raptas. Pluralem posuit, ut senten-
 tia esset generalis. Profugus, exul:
 Fast. i. 490: Cadmus in Aonia con-
 stitit exul humo. Oraculum consulit
 et de sorore, et sine dubio etiam de
 nova sede capienda: namque in ur-
 bibus condendis coloniisque deducen-
 dis summa erat oraculorum auctori-
 tas. Cic. de Div. i. 1. De sorore
 oraculum aut nihil respondit (Schol.
 Eurip. ad ver. 641. ibique Valken.)
 aut μή πολυπραγμονεῖν jussit. Apol-
 lod. Oraculum ipsum, cujus auctor
 forte Mnaseas, extat in Schol. Eurip.
 d. l. et Aristoph. Ran. 1256. Eo mo-
 netur per Phlegias et Phocidem ad
 Pelagontis armenta tendere, ibique
 bovem sumere ducem itineris, in utro-
 que latere signum candidum, in lunæ
 plenæ speciem, habentem. Sic et
 Pausan. Apollod. Hygin. Schol. Eu-
 rip. Inde Noster, forte alios auctores
 sequutus, non una re aberravit. Arvis
 bene se habet. Eurip. πῆδία πυρο-

φώρα: solis, solitariis, ut 393. sola
 antra.

11. Nullum passa, etc.] Expressum
 diceret ex Euripid. si ibi constaret le-
 gendum μόσχος ἀδάμαστος. Nostrum
 sequutus est Senec. d. l. quam non
 flexerat vomer, aut tardi juga curva
 plaustri. Carpere vias, proficisci, ut
 carpere aera, volare. Herba ad natu-
 ram bovis accommodatius, quam loco
 in orac. Græco, ubi illa Ἴζηται κλίην
 τε πίδω γόνυ ποιήεντι. Sed ibi nihil
 de nomine Bœotia; Hygin. vero et
 Schol. Euripidis id nomen urbi indi-
 tum narrant. Alius Schol. ibidem no-
 tat, Thebam Syris dictam esse bovem:
 quod fortasse et ipsum in expedienda
 hac fab. observandum. Lactant. in
 Arg.: In eam terram devenit, quæ
 postea a bove Bœotia est dicta. A
 Bœoto, Neptuni aut Itoni filio, illud
 nomen venisse, alii putabant: vide
 Pausan. p. 711. Schol. Hom. ad Cal-
 tal. I.

14. Descenderat ex monte Parnasso,
 in quo antrum, unde oracula daban-
 tur; quod Ovidius a fonte vicino
 Castalium vocat. Presso, tardo. Bur-
 mannus comparat e Liv. xxviii. 14:
 Hispanos presso gradu incedere jubet.
 Lenz vero: gressu impresso in vesti-

Incustoditam lente videt ire juvencam, 15
 Nullum servitii signum cervice gerentem.
 Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu ;
 Auctoremque viæ Phœbum taciturnus adorat.
 Jam vada Cephisi, Panopesque evaserat arva ;
 Bos stetit ; et tollens spatiosam cornibus altis 20
 Ad cœlum frontem, mugitibus impulit auras.
 Atque ita, respiciens comites sua terga sequentes,
 Procubuit, teneraque latus submitit in herba.
 Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
 Figit ; et ignotos montes, agrosque salutat. 25
 Sacra Jovi facturus erat : jubet ire ministros,

gūs vaccæ. *Adoratio* alias fiebat formulis ore prolatis certisque ritibus ; Cadmus vero inter eundem *taciturnus* gratias agebat Apollini.

19. *Jam vada Cephisi.*] De *Cephiso* vide ad i. 369. *Panopesque evaserat arva.* *Panope* aut *Panopeus*, urbs Phocidis. Burmannus putabat rectius scribi *Panopea*, oppidum enim *Panopeus* a Strabone, ix. p. 416. dici et a Pausania, x. 4. licet a Stephano Πανόπη vocetur, Salmasio et Berkelio defendentibus.

20. *Illud bos stetit et procubuit* exponit, mores bōum errantium describendo. *Spatiosam*, latam. Mox versu 56. *spatiosum corpus*, et versu 95. *spatium hostis*. Boves spatiosa fronte Græcis dicuntur *ἐρμύτωποι*, et *πλατυέτωποι*. Homer. h. Merc. 355. Hi optimi habebantur : Varro. R. R. ii. 5 ; Colum. VI. i. ubi etiam *cornua procerâ et robusta* laudantur. *Mugitibus*, in oraculo Apollinis vocatur, *ἐρίμκος*, valde mugiens. *Impelli clamoribus* a poetis dicuntur non modo aures, sed et auræ, montes, etc.

22. *Atque ita*, quo facto, ut i. 377. *Comites*. Pausan. τὸν σὸν αὐτῷ στρατόν. *Latus*, corpus, *submittere*, aut,

ut ii. 865. *deponere*, formulæ solennes de procumbente. In orac. κλίνειν γόνυ. Schol. Hom. ad Il. B. 494. ὀκλήσασα ἀνεκλίθη. Pausan. ἐμελλε καμῶσα ὀκλάσειν. Pausan. p. 733. narrat, suo adhuc tempore ostendi locum ubi bos procubuerit, in eoque esse aram cum signo Minervæ, dedicatam a Cadmo.

24. *Peregrinæque oscula terræ.*] De hoc more salutandi terras peregrinas, quem apud poetas prisca homines religiose colunt, vide Ciof. ad hunc locum. Fuit satis antiquus. Homer. Od. E. 354.

26. *Sacra Jovi*, etc.] Illam ipsam juvencam, viæ ducem, immolaturus erat, vel Telluri, secundum oraculum, vel Minervæ, auctore Apollod. forte, quia illa *fauatrix viri*, ver. 101. *Noster Jovem* substituit. *Ministros*, comites, quos sacrorum parandorum ministros esse volebat. Mox *socii* vocantur ; Schol. Homer. τινὰς τῶν μεθ' ἑαυτοῦ. Apud Euripid. ipse Cadmus abit ἐπὶ χέρνυδας, ad manus lavandas aqua lustrali. In eam rem *viva aqua* adhibebatur. Liv. i. 45: *Quin tu ante vivo perfunderis flumine?* Ipsum oraculum jusserat sacrum fieri ἀγνώσ

Et petere e vivis libandas fontibus undas.

Silva vetus stabat, nulla violata securi;
 Est specus in medio, virgis ac vimine densus,
 Efficiens humilem lapidum compagibus arcum; 30
 Uberibus fœcundus aquis: hoc conditus antro
 Martius anguis erat, cristis præsignis et auro;
 Igne micant oculi; corpus tumet omne veneno;
 Tresque vibrant linguæ; triplici stant ordine dentes.

καὶ καθαῶς. Libatio alias fiebat vino aut lacte, nunc, illis deficientibus, undis. Fons ille, unde aqua haurienda, proprio nomine *Aretias* dicebatur. Schol. Æsch. Theb. 106. Inde haud dubie fluxit Ἄρεϊα κρήνη apud Apollod. et Schol. Euripidis. *Dircæum* nominant Seneca, (Ædip. 714. et Palæph. 6. Omnium pessime Hyginus, *Castulium fontem*. Eum Noster ex ingenio descripsit, quales multi fontes esse solent. Liv. i. 21: *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua.*

28. Nulli violata securi.] Nefas erat silvas sacras violare securi: vide Valkenar. ad Eurip. Hippol. versu 74. Tales silvæ veteres et antiquæ dici solebant et opponi cædendis: viii. 742. *lucos ferro temerasse vetustos.*

29. Virgis densus, virgis dense septus, ut Fast. vi. 9: *nemus arboribus densus*. Ibid. v. 411: *lucus juncis et arundine densus.*

31. Hoc conditus antro.] Multi occurrunt in antiquitate dracones, custodes locorum, ædium, antrorum: vide Spanh. ad Call. h. Del. v. 91. Atque etiam genios locorum per serpentes exhibuerunt. Heyn. ad Virg. Æneid. v. 84. Ac hic quidem secundum Euripidem custodiebat flumina et fluentia viridia, nempe a Marte sibi tradita, unde in Orac. videtur δεινός Ἐνναλίον φύλαξ, quem Cadmus jubetur πέμψαι Ἄϊδος εἴσω. Neque tamen propter hanc unam causam h. 1.

et Stat. Theb. x. 606. *Martius anguis* vocatur, sed et quia Martis filium eum multifaciebant. Eurip. δράκων Ἄρεος. Schol. Sophocel. Antig. 130. Tilphosam Furiam addit matrem: vid. Muncker. ad Anton. Lib. ii. Erat, auctore Euripide, φόνος et ἀμόφρων. Ejus crudelitati vastitatieque, simul Cadmi cum eo pugnae describendæ Noster immoratur, quia erat pars fabulæ magna. Noverat antiquitas serpentes miræ magnitudinis. Serpens quidem ille, quem Regulus ad Bagradam, fluvium Africæ, interemit, centum et viginti pedes in longitudinem habuisse, nec ullis telis confici potuisse traditur. Plin. H. N. viii. 14. Hinc et Virgil. Æneid. ii. 203 sqq. licuit vastissimæ molis serpentes describere, quem Noster respexit; et utrumque Silius, vi. 150 sqq. Neque tamen negandum est, prodigialiter quædam hic esse aucta. *Præsignis*, insignis, ut Trist. III. iv. 5. *prælustris*. *Cristis et auro*, crista aurea. Intelliguntur autem comæ fulvæ in capite, præcipuum serpentum quorundam ornamentum. Ælian. Animal. xi. 27.

33. Igne micant.] Oculi iratarum aut sævarum bestiarum dicuntur *igne micare, tremere aut scintillare*. *Tumere* verbum proprium de serpentibus veneno inflatis, i. 460. Serpentum autem venenum non per totum corpus sparsum est, sed glandulis quibusdam oris inclusum.

34. Tresque vibrant.] Primam in

Quem postquam Tyria lucum de gente profecti 35
 Infausto tetigere gradu; demissaque in undas
 Urna dedit sonitum; longum caput extulit antro
 Cæruleus serpens, horrendaque sibila misit.
 Effluxere urnæ manibus; sanguisque relinquit
 Corpus, et attonitos subitus tremor occupat artus.
 Ille volubilibus squamosos nexibus orbes 41
 Torquet, et immensos saltu sinuatur in arcus;
 Ac media plus parte leves erectus in auras
 Despicit omne nemus; tantoque est corpore, quanto,
 Si totum spectes, geminas qui separat Arctos. 45
 Nec mora; Phœnicas, sive illi tela parabant,

vibrare syllabam Catullus quoque corripit. *Vibrare* et *micare* solennia de celeri motu linguæ serpentum. Silius d. l. *Trifido vibrata per auras Lingua micat motu*. Lingua illa duplicem habet cuspidem, iv. 585. sed vibrata triplex, trisulca esse videtur. Plin. H. N. xi. 37: *Lingua tenuissima serpentibus, trisulca, vibrans, etc. Triplex dentium ordo fictus est*.

37. *Longum* multo aptius consilio loci, quam vulgata *longo*, quum in longo antro parvum caput esse potuisset: *φόνιον κράτα* ei tribuit Eurip. *Cæruleus* nunc est niger: vide nos ad Plin. VIII. Ep. xx. 4. Anacr. xxix. 11. *ὄφρυς κυανωτέρη δρακόντων*. Hinc v. 63. *atra pellis*. *Mittere sibila*, ut alibi *vocem*.

41. *Ille—arcus*.] Torquens squamosum et volubile corpus, facit orbes et saltus immensos. Nimis fere cumulavit verba naturæ et motui serpentum propria. Simplicius Virg. *Æn.* lib. ii. 208: *sinuantque immensa volumine terga*. *Neris* similiter de lucantibus, ix. 58. Cæterum talibus arcubus non opus erat in homines prope ipsum specum stantes. *Neribus*, nodis; et *orbes*, spiras quas serpentes cauda efficiunt.

43. *Leves*, tantum ornat, et petitum a natura aeris. Ita autem se solent serpentes erigere. Plin. viii. c. 33. de basilisco, *celsus et erectus a medio incedens*. Nostrum expressit Seneca, in Thyest. ver. 655: *quam supereminens Despectat alte quercus et vincit nemus*. Sed Ovid. parum sibi constat; etenim ver. 91 sq. *Cadmus totum draconem figit in quercu. Tantoque est corpore*. Magis etiam sui monstri magnitudinem auxit Silius ver. 185: *Sub astra coruscum Extulit assurgens caput, atque in nubila primam Dispersit saniem et caelum fœdavit hiatus*. Quæ sequitur similitudo, *quanto*, etc. luxurianti ingenio tribuenda est. *Placuit* tamen Silio, qui eam sic reddidit: *Quantus non æquas perlustrat flexibus Arctos, Et geminum lapsu sidus circumligat anguis*. De illo autem serpente cœlesti diximus ad ii. 173. Ab Arato Phæn. versu 45. vocatur *μέγα θανῦμα*, et a Virg. Georg. i. 244. *maximus*.

46. *Phœnicas*.] Apollod. τοῦς πλείονος τῶν πεμφθέντων διέφθειρεν. Noster omnes, quibus serpentes necare possunt, modos enumerat. *Complexibus* suffocavit eos. Apud Virg.

Sive fugam, sive ipse timor prohibebat utrumque,
Occupat, hos morsu, longis complexibus illos;
Hos necat afflatos funesti tabe veneni.

Fecerat exiguas jam Sol altissimus umbras: 50
Quæ mora sit sociis miratur Agenore natus;
Vestigatque viros: tegimen derepta leoni
Pellis erat; telum splendenti lancea ferro,
Et jaculum; teloque animus præstantior omni.
Ut nemus intravit, letataque corpora vidit, 55
Victoremque supra spatiosi corporis hostem
Tristia sanguinea lambentem vulnera lingua;
“Aut ultor vestræ, fidissima corpora, mortis,
Aut comes, inquit, ero.” Dixit; dexetraque mo-
larem
Sustulit; et magnum magno conamine misit. 60

natos Laocoontis morsu depascuntur,
ipsum spiris ligant ingentibus.

49. *Tabes*, ut *tabum*, humor corruptus et sordidus. Nunc *tabes veneni*, ipsum venenum. Hanc autem serpentis sui vim habet et Silius versu 158: *trahit fæda gravitate* (foedo et pestilente odore) *per auras*; *Ac tabe afflatus volucres*, et versu 239: *catervas Longius auctas afflatus peste premebat*. Et halitus quorundam serpentium venenatus est, adeo ut solo afflatu prædam suam necare possint.

52. *Tegimen derepta leoni*, etc.] Ea Cadmi arma memorat, quibus mox opus erit. Exuviis ferarum *tegi* olim solebant viri fortes. Virg. *Æneid.* i. 275: *lupa fulvo nutricis tegmine lætus*. Proprie autem pellis dicitur *deripi* membris: vide Heins. *Animus*; apud Hesiodum, Theog. 936. Cadmus *ὑπέρθυμος* dicitur.

56. *Victoremque supra*.] Simpliciter Apoll. *ἀγανακτῆσας Κάδμος κτείνει*

τὸν ὄρακοντα. Sed illud *κτείνειν* latissime descripsit phantasia poetæ et exornavit. *Spatiosi*, vastissimi: Noster, Remed. Amor. dixit, *spatiosum taurum*. Spatium enim ponitur pro magnitudine et crassitudine; quod frequens est Latinis auctoribus; hinc apud Juvenalem, *spatium admirabile rhombi*. *Tristia*, etc. Nota rursus quatuor vocabula in a desinentia. Brevis est Cadmi oratio; agere enim mavult, quam querelas inanes inertesque fundere. *Corpora*, quia jam mortui socii, quanquam et de vivis hominibus passim occurrit: vide nos ad Plinii Pan. 33. *Molares*, ut *μύλακες*, omnino saxa grandia apud poetas; Eurip. *μάρμαρον*.

60. Infra versu 95. *victor victi*, xii. 236. *vastum vastior*; Virgil. *Æneid.* v. 447: *gravis graviter concidit*; Homer. *μέγας μεγαλωστί*. Demosth. de Cor. p. 288: *ὄν κακὸς κακῶς ἐπέτριψας*. Male igitur h. l. Schepper. cor. *inque anguem magno*. Ex magnitudine

Illius impulsu quum turribus ardua celsis
 Mœnia mota forent; serpens sine vulnere mansit,
 Loricæque modo squamis defensus, et atræ
 Duritia pellis, validos cute reppulit ictus.
 At non duritia jaculum quoque vincit eadem, 65
 Quod medio lentæ fixum curvamine spinæ
 Constitit; et toto descendit in ilia ferro.
 Ille, dolore ferox, caput in sua terga retorsit,
 Vulneraque aspexit, fixumque hastile momordit:
 Idque, ubi vi multa partem labefecit in omnem,
 Vix tergo eripuit; ferrum tamen ossibus hæret. 71
 Tum vero, postquam solitas accessit ad iras
 Plaga recens, plenis tumuerunt guttura venis;
 Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus;
 Terraque rasa sonat squamis; quique halitus exit
 Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras. 76

autem lapidis missi, ipsius Cadmi statura intelligitur. Quintil. Inst. VIII. iv. 24. Heroica ætate homines arbores proceritate superâsse fingebantur: vide ad xii. 352. Talis tantusque etiam Cadmus in hac pugna cogitandus est. Saxo misso succubuit draco secundum Hellanic. Eurip. Hygin. Gladio eum esse interfectum tradiderat Pherecydes. In nostra copiosa descriptione plura arma Cadmus experitur.

61. *Illius impulsu.*] Hæc similitudo bene delecta est; ea enim certam accipimus notionem et roboris, quo Cadmus vigebat, et molis serpentis. *Turres* autem non sunt, ut *Lenz* putabat, arces, palatia; sed turres in muris munitæ urbis, quæ saxis e machinis bellicis missis moveri, concuti, solebant. *Loricæ* genus intelligit in squamarum speciem ex ære confectum. Virgil. *Æneid.* ix. 707. *duplici squama lorica fidelis.*

65. *Vincit, repellit;* tunc enim jacula vinci dicuntur, quum repelluntur.

66. *Quod medio lentæ, etc.*] *Multum phantasix* in sqq. elucet. *Spina* serpentum admodum *lenta*, scilicet flexibilis est, et in multos orbis curvari potest. *Consistere, hærerere. Descendere* in corpus dicuntur tela, vulnera, ipsique adeo milites, qui vulnerant telis. *Momordit hastile*, more ferarum, quibus aliquod telum inhæret. *Ossa*, spina ejusque vertebræ. *Plenæ* sunt venæ, quum tument.

76. *Niger, pestilens. Stygio* propter halitum letiferum. *Silius* ver. 219: *Stygios æstus fumante exsibilat ore. Vitiatas inficit* e copia poetica, vitiat aut inficit. *Avienus: Pestifero afflatu serpens vagus inquinat auram.* *Claudianus*, xxxv. 202. de equis Plutonis: *corrumpit spiritus auras Letifer; infectæ spumis vitiantur arenæ.* *Quidam herbas pro auras;* sed *Burmamn.* recte

Ipse modo immensum spiris facientibus orbem
 Cingitur: interdum longa trabe rector exit.
 Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis,
 Fertur, et obstantes proturbat pectore silvas. 80
 Cedit Agenorides paulum; spolioque leonis
 Sustinet incurtus; instantiaque ora retardat
 Cuspide prætenta: furit ille, et inania duro
 Vulnera dat ferro; frangitque in acumine dentes.
 Jamque venenifero sanguis manare palato 85
 Cœperat; et virides aspergine tinxerat herbas;
 Sed leve vulnus erat, quia se retrahebat ab ictu,
 Læsaque colla dabat retro, plagamque sedere
 Cedendo arcebat, nec longius ire sinebat: 89
 Donec Agenorides conjectum in gutture ferrum
 Usque sequens pressit, dum retro quercus eunti
 Obstitit; et fixa est pariter cum robore cervix.
 Pondere serpentis curvata est arbor, et imæ

monet, herbas sanie potius, halitu vero auras infici.

78. *Trabe*, arbore. *Exit*, eminet, confer Senecæ, *Œdip.* versum 726. Nostri C. R. dant *astat*; præstans lectio quæ pingit vividius serpentem semianimum minaciter assurgentem. *Modo cingitur spiris*; id est, in terram pronus, modo erectus surgit, *astat*. *Impete* antique pro, *impetu*. Sic et viii. 359. *Concitus*, rapidior factus. Solenne poetis, præeunte Homero, II. Δ. 452 sqq. et E. 87 sqq. et alibi, militum, hinc et sævarum bestiarum, impetum cum *amne concito* aut exundante comparare. Confer Virgil. *Æneid.* ii. 496; x. 603. *Obstantes*, etc. Similiter apud Liv. xxi. 22. serpens in quiete Hannibali oblatum cum *ingenti arborum et virgultorum strage ferebatur*. *Proturbare*, prosternere. Cf. viii. 340.

81. *Spolio*, pelle derepta; nam *spo-*

liare omnino detrahere. Spolium illud scuti vim habebat. Sic quoque Cadmum magnum facere voluit; vereor tamen, ne prodigialiter. *Instare* verbum militare. Cadmus cedit, serpens *instat* cedenti. *Prætendere*, verbum in hac re proprium: vid. ad xi. 510. *Inania vulnera*, morsus nullum dentis vestigium in ferro relinquentes. Virgil. *Æn.* xii. 255. *morsus inanis*; et apud nostrum vii. 786. *vacuus morsus*. De morsu vulnus faciente, *vulnus* etiam vii. 782. legitur.

87. *Quia se retrahebat*, etc.] Incipit rursus *ταυτολογεῖν*: etenim idem quater dicit, *se retrahebat, colla dabat retro*, etc. Proprie tela dicuntur *sedere*, quum incidunt et hærent in scuto Flor. IV. ii. 40. Hinc etiam *plaga sedet*, altius descendit et penetrat. *Conjici* dicitur culter, quum adigitur xv. 735. h. l. lancea: vide Gronovii Obs. i. p. 87.

Parte flagellari gemuit sua robora caudæ.
 Dum spatium victor victi considerat hostis; 95
 Vox subito audita est; neque erat cognoscere
 promptum, [peremptum
 Unde; sed audita est: “ Quid, Agenore nate,
 Serpentem spectas? et tu spectabere serpens.”
 Ille diu pavidus, pariter cum mente colorem 99
 Perdiderat; gelidoque comæ terrore rigeabant.

Ecce viri fautrix, superas delapsa per auras,
 Pallas adest; motæque jubet supponere terræ
 Vipereos dentes, populi incrementa futuri.
 Paret; et, ut presso sulcum patefecit aratro,

94. *Gemuit flagellari*, gemuit, quod flagellabatur. *Gemere* de sono cujuscunque rei oneratae, pressæ, pulsæ, iv. 449; xiv. 739; ex Pont. III. iii. 10; et quæ non sonant, *tacere* dicuntur. *Sua robora* plenius quam, *se*.

96. *Vox subito audita est.*] Apparebant interdum Dii sic, ut in hominum conspectum non prodirent, sed vox tantum eorum audiretur, quæ nonnunquam agnoscebatur ab audiente, ut vox Minervæ ab Ulysse in Sophoclis Ajace versu 14. Nunc missa videtur a Marte, qui Cadmum interfecisset, nisi intercessisset Jupiter: vid. Apollod. III. iv. 2; ibique Heynius. Et transformatio Cadmi in serpentem, quæ IV. 562 sqq. narratur, Martis iræ tribuitur ab Hygin. fab. 6. In *spectas* et *spectabere* inest lusus non contemendus.

101. *Ecce viri fautrix.*] Unus, *fautrix*; monet Burmannus etiam *auctorem*, sponsorem et similia de feminis dici. Pallas partem dentium seri jubet; alteram partem ad Æeten per tulit. Apollod. I. ix. 23. Noster, vii. 121 sqq. quem locum cum hoc conferas. Secundum Pherecydem in Schol. Apollon. iii. 1173. Cadmus hos dentes sevit, a Marte iussus; sed reliqui hoc

consilium Minervæ tribuunt. *Ecce adest.* Sic et ii. 496. Virorum illustrium curam olim Deus aliquis Deave gerebat, eique apparebat, si auxilio indigeret. Exempla sunt in Homero et Virg. obvia. Heroibus hoc datum erat, ut Deos divina specie ipsis oblatos sine noxa intuerentur. *Pallas* Cadmo etiam imperium Bœoticiæ comparasse traditur ab Apollodoro. *Supponere terræ* sæpe pro sepelire, ut xv. 370; ib. 153; Amor. III. ix. 48. Ergo bene de seminibus sparsis. Tunc vero perspicuitatis causa recte additur *motæ*, aratro proscissæ, quemadmodum *move*re *terram* et fodere significat. Virgil. Georg. II. 264; Plin. II. Ep. xvii. 25. Atque τῷ *motæ* mox respondet *presso sulcum*, etc. Apud Eurip. 673. dentes spargit εἰς βαθυσπύρον γῆρας. vii. 122: *aratos spargit in agros*; apud Pherecyd. εἰς τὴν ἄρουραν, in terram motam. Non igitur assentior Valken. ad Eurip. 673. qui *matrique* præferebat, quia hoc ei doctius videbatur, quam ut a librario possit expectari. *Incrementa*, additamenta, quibus augetur novus populus.

104. *Spargit.*] Inde Græcis illi dicti putantur *Sparti*. *Mortalia semina*, semina, unde mortales nascerentur.

Y

Exclamat; “ nec te civilibus insere bellis.”
 Atque ita terrigenis rigido de fratribus unum
 Cominus ense ferit; jaculo cadit eminus ipse.
 Hic quoque, qui leto dederat, non longius illo 120
 Vivit; et expirat, modo quas acceperat, auras;
 Exemploque pari furit omnis turba; suoque
 Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.
 Jamque brevis spatium vitæ sortita juventus 124
 Sanguineam trepido plangebant pectore matrem,
 Quinque superstitibus; quorum fuit unus Echion.
 Is sua jecit humi, monitu Tritonidis, arma;
 Fraternalæque fidem pacis petiitque, deditque.

rent peti se ab aliis e suo numero, manus conseruisse. Schol. Apollon. iii. 1185. Hoc alii variârunt. *Novus*, singulari et miro modo creatus; ut i. 310. *Populus*, cœtus. *Auræ*, anima, vita promiscue ponuntur; ut *aura vesci*, vivere, *vitales auras accipere*, nasci significat, sic *spirare auras*, mori. *Furere*, acriter pugnare. *Subiti*, subito nati. Inde Claud. d. l. exercitum repente coactum non male cum subita Spartorum origine comparat.

125. *Trepido*, trepidante. Membra morientium, aut decisa a corpore, *palpitare* et *trepidare* dicuntur. iv. 129. Virg. *Æn.* i. 212. *tremencia membra*, ubi Heyn. negat, suavem hoc epitheto imaginem sensui objici.

126. *Quinque*, quibus nonnulli sextum addunt, Creonta. Illorum nomina a Lysimacho et Hellanico servata multi repetierunt. Pausan. quoniam nihil melius habeat, assentiri se ait fabulæ de eorum origine. Sine dubio *Sparti* dicebantur antiqui illius regionis incolæ. Inter hos, Cadmo adveniente, bellum civile ortum, in quo plurimi perierunt; *quinque* autem e primoribus superstites fuerunt, quorum nomina tradita sunt, quia serius toti-

dem familiæ Thebanæ illustres. *Echiona* Cadmus, ὡς προϊέχοντα κατ' ἀνδραγαθίαν, generum assumpsit. Pausan. d. l. Jam quum Thebani Spartorum nomen ex etymologia interpretarentur, forte et constaret, ingentem draconem esse a Cadmo interfectum; inde composita est hæc fabula.

127. *Monitu Tritonidis.*] Id est, sapientius, consultius duxit abjicere arma. Similiter Homer. II. A. 194 sqq. Minervæ monitu Achilles gladium strictum recondit in vaginam. Unde *Pallas Tritonis* aut *Tritonia* dicta sit, disputatur. Heynio ad Virgil. *Æneid.* ii. 170. maxime probabile videtur, a Τριτώ, quod *Æolibus caput* est, eam dictam esse *Τριτογένειαν*, e capite Jovis natam.

128. *Fidem pacis*, etc.] Postulavit, ut reliqui fide data promitterent se quieturos, idemque et ipse promisit. *Operis comites*. Pherecydes: hos quinque Κάδμος ποιῖται πολίτας κατοικίας αὐτοῦς ἐν Θήβαις. Inde Thebani dicti *dracontigenæ*. Cf. infra 543 sqq. *Jussam Phæbeis*, etc. In Oraculo jubetur ὄχθῳ ἐν ἀκροτάτῳ κρίζειν πόλιν εὐφράγναιαν. Ille vero Cadmeam tantum acropolin condidit, cui

Hos operis comites habuit Sidonius hospes ;
Quum posuit jussam Phœbeis sortibus urbem. 130

II. Jam stabant Thebæ : poteras jam, Cadme,
Exilio felix ; soceri tibi Marsque Venusque [videri
Contigerant : huc adde genus de conjuge tanta,
Tot natos, natasque, et, pignora cara, nepotes,

postea accessere Thebæ. Confer Pausan. Bœot. p. 719.

131—252. *Jam stabant Thebæ.*] Actæon, Cadmi ex Autonoe nepos, Aristæi filius, ob visam sine veste Dianam in cervum mutatus, a suis ipsius canibus discerptus est. Eurip. Bacch. 337 sqq. ; Callim. Lav. Pall. 108 ; Pausan. ix. p. 714 et 787 ; Apollod. III. iv. 4 ; Hygin. Fab. 180, 181 ; Fulg. Mythol. iii. 3 ; Senec. Œdip. 751. Ab his Acusilaus et Stesichorus fab. auctores laudantur. Ac ille quidem pœnam illatam a Jove repetierat, indignante, quod Actæon Semelen uxorem petiisset ; plurimi vero a Diana, vel quod ille nudam vidisset, vel, quod Euripides sequutus est, se in venandi arte prætulisset Deæ. Anaximenes apud Fulgentium putaverat, Actæona, cognitis venationis periculis, timidum esse factum, tanquam cervum, studioque canum alendarum decoxisse. Posterius etiam Theo. Soph. Progyrn. cap. 6. et Palæph. 3. amplexi sunt, et solent opes hominis *viscera* ejus dici. Herod. i. 90 : *Viscera nostra tuæ dilaniantur opes* : vid. ad ix. 194. Forte Actæon inter venandum aut a canibus dilaniatus est, aut alio modo perit. Id ad Dianæ iram referebatur. Transitus, in quo poeta de Cadmi sorte philosophatur, addita sententia gravi. Et jam Pindar. P. iii. 163. observaverat, non solidam illi contigisse felicitatem. Non male hic apostrophe adhibita, qua Cadmo bona sua partemque calamitatis enumerat poeta, atque ita comode fab. argumentum proponit, ad-

dito judicio suo, quo quasi solatur Cadmum.

132. *Felix.*] In Orac. Καὶ σὺγε ἐν ἀνθρώποις ὀνομάκλυτος ἔσσαι αὐτίς Ἀθανάτων λεχέων ἀντήσας, ὄλβιε Κάδμει. Id ipsum de ejus felicitate disputandi occasionem præbuit. *Soceri tibi Mars.* Cadmus Harmoniam (sic, non Hermionem), ut quidam corrupte exhibent) duxerat, *Martis* et *Veneris* filiam, quibus nuptiis omnes Dii interfuerant, quasque Musæ et Gratia carminibus suis celebraverant. Euripid. Phœn. ver. 7. ibique Schol. Hesiod. Theog. ver. 936. 974 ; Theog. ver. 15 ; Pausan. p. 719 et 734 ; Apollod. d. l.

134. *Tot non ad unum natos, sed ad natos natasque* conjunctim referendum. *Natus* enim non nisi unum a cæteris scriptoribus commemoratur, Polydorus, qui successit Cadmo in imperio. *Natas* autem habuit quatuor, Autonoen, Ino, Semelen, Agaven. Ino nupsit Athamanti, Autonoe Aristæo, Agave Echioni ; Semele autem cum Jove rem habuit : vid. Pausan. et Apollod. d. l. E *nepotibus* memorabiles sunt præ cæteris Melicerta, Bacchus, Pentheus, et hic ipse miserimus Actæon. Solenne autem est, liberos aut, ut h. l. *nepotes* vocare *pignora* quibus parentum et liberorum amor arctissime constringitur. *Juvenes*, atque adeo jam spectatæ virtutis. *Scilicet.* Ponitur, quum sententiæ proferuntur. Sequitur sententia Solonis ad Cræsum (Herodot. i. 32.) quam expresserunt multi. Euripid.

Hos quoque jam juvenes : sed ; scilicet, ultima sem-
Expectanda dies homini ; dicitque beatus [per 135
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Prima nepos inter tot res tibi, Cadme, secundas
Causa fuit luctus ; alienaque cornua fronti
Addita, vosque canes satiatæ sanguine herili. 140
At bene si quæras ; Fortunæ crimen in illo, [bat ?
Non scelus invenies ; quod enim scelus error habe-

Mons erat, infectus variarum cæde ferarum :
Jamque dies rerum medias contraxerat umbras ;
Et Sol ex æquo meta distabat utraque ; 145
Quum juvenis placido per devia lustra vagantes
Participes operum compellat Hyantius ore :

Troad. ver. 510 : τῶν δ' εὐδαμόνων
Μηδῆνα νομιζέτ' εὐτυχεῖν, πρὶν ἂν
θάνη. Cf. Androm. ver. 100 ; Iphi-
gen. Aulid. 161. Laudat nostrum
locum Lactant. Ira Dei, xx. 2. Quum
funus supremum sæpe occurrat, vide
Heinsium ; supervacaneam puto Lin-
denbr. conjecturam *suprema munera*,
quanquam eam et Brouckh. ad Por-
pert. I. xvii. 23. probat.

138. *Prima.*] Postea plures acces-
sere, hinc iv. 563. dicitur *luctu serie-*
que malorum victus. *Aliena*, quæ ab-
horrent a forma humana ; Heroidd.
xiv. 90. non minus eleganter, *non sua*
cornua, ut infra ver. 203. *ora non sua*.
Satiata sanguine, gravius quam, quæ
hausistis sanguinem. Femininum sæpe
præfertur a Græcis et Romanis quum
de animantibus sermo est ; vide Hein-
sium.

141. *At bene si quæras.*] At si rem
accurate, et sine præjudicatis opini-
onibus examinare velis. *Crimen*, culpa.
Fortunam habebat malignam. Com-
mode a Burmanno allatus est locus
Quintiliani, lib. vi. Inst. Or. proœmio :
Frustra mala omnia ad Fortunæ cri-
men relegamus. Phædr. II. Epilog. xix :

Donec Fortunam criminis pudeat sui.
Error, quo deductus erat ad Dianæ
lavacrum. Alii tamen rem sic narrant,
ut culpa non vacaverit bonus Actæon.

143. *Mons erat.*] Intelligitur mons
Cithæron. Eurip. Bacch. ver. 1290 ;
Apollod. d. l. Sic ver. 155. *Vallis erat* ;
i. 568. *Est nemus* ; iv. 432. *Est via de-*
clivis. Et ita creberrime incipiunt
descriptiones locorum. Plin. IX. Ep.
xxxiii. 2 : *Est in Africa colonia*. *Cæde*
ferarum, sanguine cæsarum ferarum.

144. *Dies* ponitur pro Sole, qui diem
facit, et vicissim *Sol* aut *Phæbus* pro
die. *Medias umbras* doctius quam,
si *medius dies* dixisset. Manil. ii. 796 :
Declinatque diem, mediasque examinat
umbras. Posset tamen et *medius* de-
fendi ex III. Art. 723. *Meta utraque*,
a parte finitoria orientali et occiden-
tali : vid. ad ii. 142.

147. *Hyantius*, Bœotus ; vide ad
ver. I ; unde et apparet, melius poe-
tam dicturum fuisse, *Aonius juvenis*.
Et sæpe *Aonius* pro Bœoto ponitur :
vide Valken. ad Eurip. Phœn. 645.
Sed poetæ terras ab antiquissimis in-
colis nominant. *Operum*, venatus, ut
mox *propositum opus*. Venatu delec-

“ Lina madent, comites, ferrumque cruore ferarum,
 Fortunamque dies habuit satis : altera lucem
 Quum croceis evecta rotis Aurora reducet, 150
 Propositum repetamus opus : nunc Phœbus utra-
 Distat idem terra, finditque vaporibus arva. [que
 Sistite opus præsens, nodosaque tollite lina.”
 Jussa viri faciunt, intermittuntque laborem.

Vallis erat, piceis, et acuta densa cupressu; 155
 Nomine Gargaphie, succinctæ cura Dianæ;
 Cujus in extremo est antrum nemorale recessu,

tabatur; etenim a Chirone educatus *κυννηγός* *ἐδιδάχθη*. Sequens oratio parum ad rem pertinere videri possit. Sed ea voluit poeta juvenem sua fortuna lætum, nec quidquam mali mentem describere: quod ipsum inest in voc. *placido*.

149. *Fortunam—satis.*] Regius subintell. putabat, *satis prosperam*, quod non est necesse; nam quanquam *τῷ* *satis* ex vulgaribus linguæ legibus Genitiv. additur, tamen nec exempla cum Accusat. rara sunt: ipse Cicero, Attic. xii. 50. *satis consilium* dixit; Senec. Herc. Oet. ver. 1830. *erunt satis præsidia*. Vid. Cort. ad Sallustii Cat. lviii. 9; et Bosius ad Nepotis Epam. 4. Similiter *abunde, affatim, ἀλγς*.

150. *Quum croceis evecta*, etc.] Uno verbo, crastino die. Solent autem poetæ, ut narrationis tenuitatem fugiant, hujusmodi versus ornatos, tanquam formulas solennes, inserere: vide Heyn. ad Virgil. *Æneid.* IV. vi. ubi hæc poetarum consuetudo defenditur contra Homium. Aurora bigis *vecta* ante Solem, cœli complexum decurrere credebatur. Expressit autem Noster Virg. *Æn.* xii. 76: *Quum primum crastina cælo Puniceis invecta rotis Aurora rubebit. Idem*, pariter, ex æquo; subauditur *spatium*: ut in-

telligamus ab utraque terra *eodem spatio* distare, atque abesse ab oriente et occidente; per quod significat meridiem esse. *Vapores*, æstus ut ii. 811. et sæpe, præeunte Lucretio; Homerus, *ἀνρμή*. *Finditque*, etc. Virg. Georg. ii. 353: *ubi hiulca siti findit canis æstifer arva. Nodosa, nexa*: ii. 499. *nexiles plagæ*: vid. ad ii. 560.

156. *Cura Dei* vocatur aut locus, quo Deus delectatur, aut homo, quem tuetur. Virg. *Æneid.* i. 476. *Anchises cura Deum*. Infra x. 529: *non jam Cythereia curat Litorea*. Ergo nihil hic mutandum. Causa autem hujus *cure* duplex, quia locus et absconditus et jucundus, quod utrumque Deam ad lavandum invitabat, et a Nostro notatur. Et habebant Deæ suos fontes. *Succinctæ*, venatrici. Venantes enim succingi solebant: vide ad ii. 412. *Gargaphie*, vallis prope Plataeas cum fonte cognomini. Herodotus, lib. ix. 25 et 48; Pausan. Bœot. p. 718. Hyginus. fab. 181. vocat *vallem opacissimam*; hinc Noster, *piceis densa et cupressu*, densis piceis et cupressibus obsita. *Acuta cupressu*, a forma, ut i. 699.

157. *Recessu.*] Confer xi. 235 sqq. *Recessus*, loca remota; *nemorale*, nemoribus cinctum. *Simulaverat*, imitata fuerat. Erat merus lusus naturæ.

Arte laboratum nulla : simulaverat artem
 Ingenio natura suo ; nam pumice vivo,
 Et levibus tophis nativum duxerat arcum. 160
 Fons sonat a dextra, tenui perlucidus unda,
 Margine gramineo patulos incinctus hiatus.
 Hic Dea silvarum venatu fessa, solebat.
 Virgineos artus liquido perfundere rore.
 Quo postquam subiit, Nympharum tradidit uni 165
 Armigeræ jaculum, pharetramque, arcusque reten-
 Altera depositæ subjecti brachia pallæ. [tos.

Simulata apud Cicer. N. D. ii. 35. quæ ad exemplum naturæ expressa sunt. *Ingenium* bene tribuitur Naturæ ludenti. *Pumex*, lapis cavus et pendens, qui facile imitatur formam antrorum et arcuum. *Vivus*, eo ipso loco natus. *Tophus* oritur ex aquis cum calce mixtis et destillantibus. Simulat autem hic lapis miras sæpe numero figuras, ut vel Baumanniana spelunca quemque docere potest. Tum *pumices* et *tophi* omnino sunt saxa, quibus Dearum Nympharumque antra constructa fingeantur. viii. 56 ; x. 692. II. Fast. 315 : *Antra subit tophis laqueataque pumice vivo*. Plin. xxxvi. 21 : *Non prætermittenda est et pumicum natura. Appellantur quidem ita et erosa saxa in ædificiis, quæ musæa vocant, dependentia, ad imuginem specus arte reddendam. Nativum, a natura factum. Fons* fuit in ipso antro, ver. 177. Hygin. fab. 181. eum vocat *Partheivum*. Pausan. in Bœot. p. 714. narrat, Megaris Platæas proficiscentibus ad dextram esse fontem et saxum, quod Actæonis saxum dicitur, in quo Actæon e venatu fessus cubare solitus fuerit, et unde prospexit Dianam in proximo fonte lavantem. *Tenuis*, non profunda, ut Liv. i. 4. *Hiatus*, sine dubio lacus aquam colligens. Plin. VIII. Ep. viii. 2. de

Clitumno, eluctatus facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus et vitreus. Patulos hiatus. Patentes ripas ; hiare enim videntur ripæ ut fluvii alveum faciant. Rore, aqua, qua quis perfunditur. i. 371. liquido, limpido. Perfundere, nempe ex urna, ver. 172. Non immergebat corpus.

165. *Subiit.*] *Subire et succedere vim appropinquandi habent. Quo. Num quod?* De nymphis Dianam comitantibus, variumque ei ministerium præstantibus, vide Callimachi hymnum ad Dian. ver. 13 sqq.

167. *Subjecti brachia.*] *Exquisitius quam, suscepit pallam ; modum enim rei faciendæ exprimit. Vincla pedum, quæcunque calceamenta. Virgil. Æneid. IV. v. 8. Unum exuta pedem vinclis ; viii. 418. Tyrrhena pedum vincla. Venantium calceus erat cothurnus, quali etiam hodie venatores Italici utuntur, ascendens ad mediam tibiam. Pellis scissa erat multis locis, habebatque foramina per quæ lora trajicerentur : vide Spanh. ad Callim. d. I. ver. 16. ubi Diana expetit sibi viginti nymphas Cretenses, quibus calceorum curam committat ; nam inter Cretenses et inventi et maxime in usu erant istiusmodi calcei, Græcis ἐνδρόμυδες dicti. Sic muniti pedes Dianæ in Lipperti*

Vincla duæ pedibus demunt : nam doctior illis
 Ismenis Crocale, sparsos per colla capillos
 Colligit in nodum ; quamvis erat ipsa solutis. 170
 Excipiunt laticem Nepheleque, Hyaleque, Rha-
 nisque ;
 Et Psecas, et Phiale ; funduntque capacibus urnis.
 Dumque ibi perluitur solita Titania lympha,
 Ecce nepos Cadmi, dilata parte laborum,
 Per nemus ignotum non certis passibus errans, 175
 Pervenit in lucum ; sic illum fata ferebant.
 Qui simul intravit rorantia fontibus antra ;
 Sicut erant, viso nudæ sua pectora Nymphæ
 Percussere viro ; subitisque ululatibus omne

Dactyl. I. i. 68. conspiciuntur. *Demere* et *adimere* verba in hac re propria. Apud Plautum occurrit *soccus* item *compedes adimere*. *Crocale*, ἀπὸ τοῦ κεκρυφάλου, quod capitis ornamentum. Latine *reticulum*, quo crines cohibebantur. Id h. l. et passim apud Virgil. *nodus* vocatur ; formulæque solennes sunt, crines *nodo* et *in nodum colligere*. *Ismenis*, Thebana, ab Ismeno fluvio, qui tamen hoc nomen demum accepit ab Ismeno Amphionis et Niobes filio, quum antea Κάδμου ποῦς vocaretur ; vide Burm. *Ismenis* filia fluvii Ismeni ex re de Græco nominata ; κροκάλη, calculus est litoralis, vel in imo fontis. *Doctior* ; peritior ; *doctus* ut σοφός, quicumque alicujus artis peritus est ; vide Fischer. Indicem in Æsch. h. v. et Burmann. ad Phædri IV. fab. xvi. 8. Et erat artis, crines sic colligere ; hinc ministræ, quibus ea cura injuncta, primum locum tenebant. Amor. I. xi. 1. Hemistichium *quamvis*, etc. Crispinus a sciolo monacho adjectum putabat. Immo Ovid. eo monet, artificem, ut fit, suos ipsius crines neglexisse.

171. *Excipiunt laticem*, aquam a latendo, quod in terræ venis lateat.

175. *Non certis passibus*, sine certo consilio et proposito, errabat. *Vago pede errare* est Heroid. xxi. 96. *Non certis manibus* eodem sensu ap. Prop. I. iii. 8. Nostri Codices Regii hunc versum agnoscunt. Non erat, cur Heinsius eum ejici vellet ; valet enim ad innocentiam Actæonis declarandam. Secundum Hyginum, eundem locum petebat ad se refrigerandum. Nonnulli venantes *lucum*, id est, partem interioriorem et sanctiorem *nemoris*, adibant Deorum venerandorum causa. Plin. Pan. 81.

178. *Sicut erant*, ut ii. 272. Dum Nymphas ululantes, Dianam vero non nisi erubescentem facit, decorum observat. *Texere*, exquisite, metaph. a vestibibus sumpta. Diana *altitudine* s. proceritate et dignitate conspicua erat ; unde reginæ ei comparari solent, Helena apud Homerum, Od. Δ. 122 ; Dido apud Virg. Æneid. i. 498 sqq. ubi *Deas supereminet omnes*.

Implevere nemus; circumfusæque Dianam 180
 Corporibus texere suis: tamen altior illis
 Ipsa Dea est, colloque tenus supereminet omnes.
 Qui color infectis adversi Solis ab ictu
 Nubibus esse solet, aut purpureæ Auroræ;
 Is fuit in vultu visæ sine veste Dianæ. 185
 Quæ quanquam comitum turba est stipata suarum;
 In latus obliquum tamen astitit; oraque retro
 Flexit: et ut vellet promptas habuisse sagittas,
 Quas habuit, sic hausit aquas; vultumque virilem
 Perfudit; spargensque comas ultricibus undis, 190
 Addidit hæc cladis prænuntia verba futuræ:
 “Nunc tibi me posito visam velamine narres,

183. *Qui color infectis.*] Iridis descriptionem esse volunt, cujus colores retulerit os Dianæ pudore suffusæ. At quo tandem jure, pudoris rubor cum arcus cœlestis variis coloribus comparari poterit? Et tamen suavissimam comparationem judicat Schirach. et maximum ingenii summi testimonium. Intellige ergo nubeculas, quas solis occidentis radii rubescere interdum videmus. *Ictus solis*, radii solis incidentes. Lucretius, v. 612. *radiorum ictus*; qui et versu 486. *verbera solis* dixit e Græco *βολή ἡλίου*. Non assentior viro docto in Ephem. Norimb. *adversi* in *aversi* mutantis; nam *adversus* dicitur, qui est e regione, oppositus. Virgilius, *Æneid.* iv. 701: *Iris Mille trahens varios adverso sole colores*. Sic et v. 88. *Auroræ*, confer vi. 48. ubi similis comparatio.

186. *Comitum turba*, multas enim habet Diana comites. Callimach. h. Dian. ver. 13 sqq. In *latus obliquum astitit*, corpus inflexit et contraxit in alterum latus, ut parva videretur, nec conspici posset ab Actæone. Phantasia non mala.

188. *Ut—sic.*] Elegans est hic usus

harum particularum. Quum non haberet, quas vellet, hausit, quas habuit. *Promptas*, paratas. *Virilem*, viri, Actæonis.

192. *Nunc tibi me posito*, etc.] Prisco sæculo mortales impune cernere poterant Deas etiam nudas, Propert. III. ii. 38; ibique Brouckh. Seriore tempore pœna afficiebantur, qui Deos invitos viderant. *Nunc tibi*, etc. Similis sarcasmus, i. 720. Apud Hygin. Diana *fœcit*, ut Actæoni *cornua in capite nascerentur*. Forte poetam aliquem sequutus, totam transformationem a parte indicare voluit, ut Noster, versu 139. Stesichorus dixerat, Dianam ei *ελάφου περιβάλλειν δέρμα*. Polygnotus eum et matrem pinxerat cervæ hinnuleum manibus tenentes, pellicque cervinæ insidentes, astante cane venatico. Pausan. x. p. 872. Actæonis transmutati causa, inquit Diodorus, lib. v. traditur a nonnullis, quod Dianæ concubitum, quum venaretur in montibus, appetierit; Euripides, quod se illi Actæon prætulerit venandi arte. Juno, apud Lucianum, Dianæ scoptice exprobrat deformitatem; visam scilicet ab Ac-

Si poteris narrare, licet." Nec plura minata,
 Dat sparso capiti vivacis cornua cervi; 194
 Dat spatium collo; summasque cacuminat aures;
 Cum pedibusque manus, cum longis brachia mutat
 Cruribus; et velat maculoso vellere corpus.
 Additus et pavor est: fugit Autonoeius heros;
 Et se tam celerem cursu miratur in ipso.
 Ut vero solitis sua cornua vidit in undis, 200
 Me miserum! dicturus erat: vox nulla sequuta est.
 Ingemuit; vox illa fuit; lacrimæque per ora
 Non sua fluxerunt: mens tantum pristina mansit.
 Quid faciat? repetatne domum, et regalia tecta?
 An lateat silvis? timor hoc, pudor impedit illud.
 Dum dubitat, videre canes; primusque Melampus,

tæone, veritam ne adolescens ipsius turpitudinem, *αἰσχρος*, evulgaret, immississe illi canes. Dialog. Junonis et Latonæ.

194. *Vivar*; frequens cervorum epitheton, quia olim credebantur quam longissime vivere. Auson.: *Hos* (homines) *novies superat vivendo garrula cornix*, *Et quater egreditur cornicis sæcula cervus*, quæ vero recentioribus temporibus reperta sunt falsissima; cervus enim vix quadragesimum ætatis annum attingit. *Spatium*, longitudinem. *Cacuminare*, acutas redere, verbum Ovidio proprium.

198. *Pavoris* symbolum apud Veteres erat cervus. Homer. II. A. 225. *Heros*, quia mater ejus ex-Harmonia Martis et Veneris neptis, pater Apollinis filius. Is, qui modo *heros* fuerat, nunc *fugit*; quod indignum. *Et se tam celerem*, etc. Luxuriantis ingenii est.

200. *Solitis*.] Veteres enim aquis pro speculo utebantur. Cf. ver. 498. Heinsius hunc versum, ut insulsum et frigidum ejici volebat. Sine causa.

Cf. similia, i. 640 sqq. 647. 657. et cum sqq. compara, ii. 485 sqq. Bene non sua, non ei data a natura. Trist. iii. 4. de Dædalos et Icaro, *pennas ambo non habuere suas*. Virg. Georg. ii. 82: *Miraturque novas frondes, et non sua poma*.

205. *Pudoris* causa nulla erat; quis enim domi agnovisset transformatum dominum?

206. *Videre canes*.] Quinquaginta aluisse canes Actæon traditur, quarum nomina adeo poetæ prisci memoriæ mandanda censuerunt. Comprehensa etiam erant prisci cujusdam poetæ Græci versibus, quos bibliothecæ suæ inseruit Apollod., ubi tamen non nisi reliquiæ quædam, eademque misere corruptæ servatæ sunt. Hygin. duos catalogos habet, quorum prior 39 nomina continet, quorum pleraque eadem sunt, quæ Ovidiana, etiam eodem prope ordine recensentur. Posterior 46 nomina enumerat ab his diversa. Æschylus non nisi quatuor nominaverat: Pollux, v. 47. Noster 36 nomina excerpserat. Bene autem fecit, quod,

Ichnobatesque sagax, latratu signa dedere, 207
 Gnosius Ichnobates, Spartana gente Melampus.
 Inde ruunt alii rapida velocius aura, [omnes :
 Pamphagus, et Dorceus, et Oribasus; Arcades
 Nebrophonosque valens, et trux cum Lælape The-
 Et pedibus Pterelos, et naribus utilis Agre, [ron,
 Hylæusque fero nuper percussus ab apro,
 Deque lupo concepta Nape, pecudesque sequuta
 Pæmenis, et natis comitata Harpyia duobus, 215
 Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon,
 Et Dromas, et Canace, Sticteque, et Tigris, et
 Et niveis Leucon, et villis Asbolus atris, [Alce,
 Prævalidusque Lacon, et cursu fortis Aello,

teuinitatis vitandæ causa, nominibus subinde aspersit aliquid de indole et patria singulorum canum; de qua re si quis accurate judicare velit, adeat rei cynægeticæ auctores. Venaticorum canum virtutes principes sunt sagacitas et velocitas. Præstantissimos alebant Creta, Arcadia, Laconia.

208. *Gnosius*, Cretensis, a Gnoso, urbe Cretensi. Ejusmodi autem repetitiones nominum cum additamento aliquo jam apud Homerum occurrunt. *Rapida aura*. Callim. h. Dian. ver. 94: Ἐάσσονες αὐράων.

211. *Valens*, scilicet robore. *Hylæus*, etc. Heinsio poeta videbatur ad *Hylæum* ab apro Calydonio interfectum respexisse.

214. *Deque lupo*, etc.] Arist. Hist. Anim. lib. VIII. cap. xxviii: Ἐν Κυρήνη μίσγονται οἱ λύκοι ταῖς κυσί. *Pæmenis*, Pastoralis. *Harpyia*, rapax, et *Harpyiarum* similis quæ sunt rapacissimæ.

216. *Gerens*, habens, ii. 751. *Substricta crura gerens*, de mergo ave. Quintil. Inst. Orat. VIII. iii. 10: *Decentior equus, cujus astricta sunt ilia, sed idem velocior*. *Sicyonius La-*

don. A fluvio Arcadiæ nomen sumpsit hic canis; vel etiam a χάζομαι, quod capio significat. Et *Dromas*, currens. *Canace*. Καναχή strepitum significat, unde nomen cani fuit inditum, quod ejus latratu omnia resonarent. *Sticteque*. Hæc a colorum varietate nomen sumpsit; nam στικτή distincta variis maculis dici potest, ἀπὸ τοῦ στίζειν, id est a distinguendo. *Tigris*; tigridi similis quæ est fera velocissima. Et *Alce*, similis Alcæ, feræ perniciosissimæ; ἀλκή etiam robur, potentiaque dicitur; quæ etymologia verior mihi videtur.

218. *Et niveis*.] Nivei aut candidi canes probantur venatoribus, non item albi; vide Spanhem. ad Callimachi hymnum Dian. ver. 90. *Leucon*; albus a colore: et *villis Asbolus atris*, hoc est, pilis nigris. *Asbolus* autem a colore dictus est, ἄσβολος enim fuliginem significat, eo quod nigris villis ac fuliginosis esset. *Prævalidusque Lacon*, a Laconia, patria ejus; et *Aello*, a procella, quia impetuosus. *Cursu fortis*. Infra viii. 311. *cursu invictus*. Sed *fortis* etiam simpliciter de velocitate, vi. 221.

Et Thous, et Cyprio velox cum fratre Lycisce,
 Et nigram medio frontem distinctus ab albo 221
 Harpalos, et Melaneus, hirsutaque corpore Lachne;
 Et patre Dictæo, sed matre Laconide nati,
 Labros et Agriodos, et acutæ vocis Hylactor;
 Quasque referre mora est: ea turba cupidine prædæ
 Per rupes, scopulosque, adituque carentia saxa,
 Qua via difficilis, quaque est via nulla, feruntur.
 Ille fugit, per quæ fuerat loca sæpe sequutus.
 Heu famulos fugit ipse suos! clamare libebat:
 Actæon ego sum; dominum cognoscite vestrum.
 Verba animo desunt: resonat latratibus æther. 231
 Prima Melanchætēs in tergo vulnera fecit;
 Proxima Theridamas; Oresitrophos hæsit in armo.
 Tardius exierant, sed per compendia montis

220. *Thous*, velox dicitur et impetu-
 tuosus. *Lycisce*; canis ex lupo nata
 dicitur *Lycisca*; sic Virg. E. iii. ver.
 18: *multum latrante Lycisca*.

221. *Harpalos*; rapax. *Melaneus*;
 niger. *Hirsutaque corpore Lachne*.
 Verbum de verbo expressit poeta;
 nam *lachne* villorum densitas dicitur.

225. *Præda*, fera capta; *prædari*
 pro venari, ipsique adeo venatores
 dicuntur *prædatores*: vide Burm. ad
 Phædr. II. fab. i. 2. Canes id fecisse
 h. l. memorantur cupidine prædæ: sed
 apud Apollod. rabies iis injecta legitur
 a Diana; quam tamen eos et sine Dea
 invadere potuisse Pausan. monet. *Feruntur*
 Heinsius prætulit, pro *sequuntur*,
 quod tuetur Lenz. *Feruntur*, cum
 impetu ruunt, bene convenit ardori
 canum, neque adeo sollicitandum est.
 Jam hinc phantasia poetæ cupidinem
 canum comitumque cum domini cona-
 tibus et querelis ante oculos ponit.

230. Sine causa Heinsius hunc ver-
 sum ejiciendum putabat. Etenim *famuli*
 possunt esse comites, quos Ac-

tæon alloqui volebat. Sed et canes,
 si hos intelligere malumus, dominum
 ex voce agnoscere potuissent. Adde,
 quod toties in hac ipsa fab. luxuriat
 ingenium Ovidii. *Animo*, voluntati.

232. *Melanchætēs* et reliqui etiam
 ab Hygino postremi nominantur. Sed
 Noster, tædij vincendi causa, eos, aliis
 quibusdam interjectis, superioribus ad-
 dit, tum ingenioso commento peculi-
 arem eorum operam memorat. *Melanchætēs*;
 jubam et pilos habens ni-
 gros.

234. *Exierant*.] Recte Heins. mo-
 net, verbum *exire* sumptum esse a
 Circo, ubi equi carceribus *exerunt*.
 Cæterum huc respexit haud dubie
 Seneca, Nat. Quæst. lib. iii. prol.:
*Qui tardius exierant; moram veloci-
 tate pensant*. Nostri Codices Regii
 habent *exierat*, quod prætulerim, ut
 referatur ad Oresitrophum solum, qui
 quum per compendia montium venis-
 set, *in armo*, id est, in anteriore parte
 corporis Actæona aggressus est, dum
 Melanchætēs et Theridamas eundem

Anticipata via est: dominum retinentibus illis, 235
Cetera turba coit, confertque in corpore dentes.

Jam loca vulneribus desunt: gemit ille, sonumque
Et, si non hominis, quem non tamen edere possit
Cervus, habet; mæstisque replet juga nota que-
relis:

Et genibus supplex positus, similisque roganti, 240
Circumfert tacitos, tanquam sua brachia, vultus.

At comites rapidum solitis hortatibus agmen
Ignari instigant, oculisque Actæona quærunt;
Et velut absentem certatim Actæona clamant.

Ad nomen caput ille refert, ut abesse queruntur,
Nec capere oblatae segnem spectacula prædæ. 246
Vellet abesse quidem: sed adest; velletque videre,
Non etiam sentire canum fera facta suorum. [tris,
Undique circumstant; mersisque in corpore ros-
Dilacerant falsi dominum sub imagine cervi.

Nec, nisi finita per plurima vulnera vita, 251

a tergo adoriuntur. *Compendium*, omne lucrum, quod in quacunque re facere possumus, sed in primis de brevioris via occurrit, quam quis, ambagibus relictis, insistit: vide Schwarz. ad Plinii Paneg. cap. xcvi. p. 488. *Anticipat viam* is, qui alterum antevertit cursu.

238. *Et, si non hominis*, etc.] Confer versum 667 libri ii. *Juga nota*, in quibus venari solitus fuerat: vide ad i. 370. *Prona genua* an sic recte dicantur, dubito. Sed *ponere genua*, formula dubitans de supplicatione: i. 729. qui loco nostro simillimus. In tanta enim rerum similitudine fieri haud potuit, quin similia verba similesque sententiæ repeterentur.

242. *Hortatibus*.] Vetustiores maxima ex parte, *latratibus*, quod Heinsius interpretabatur, clamore et hortatu la-

tratum caninum æmulante. *Hortatur* canes et monet venator: vide Heinsium. *Ignari*; ut versu 3. *oculis quærunt*; iv. 129: *juvenem oculis animoque requirit*. Sic et Plin. vi. Ep. x.

245. *Ad nomen*, audito suo nomine; ut iv. 145. *Refert*, reflectit, tanquam se indicaturus. *Capere spectacula*, spectare. *Oblata recte de præda*. *Offæri* enim dicuntur, in quæ insperato incidimus. *Fera factu* elephantum habet etiam Lucretius, v. 1339; Euripid. Bacch. 337. ὠμόσπιτοι σκύλακες Actæonis. In his *vellet*, etc. ludit poeta rursus, more suo. *Falsus cervus*; ut i. 754. *falsus genitor*.

251. *Nec, nisi finita*, etc.] Hunc versum et sequentem, quos Codex Sprotii a manu recentiore margini ascriptos habet, cæteri vero ordine ex-

Ira pharetratae fertur satiata Dianae.

III. Rumor in ambiguo est: aliis violentior æquo
 Visa Dea est; alii laudant, dignamque severa
 Virginitate vocant: pars invenit utraque causas.
 Sola Jovis conjux non tam culpetne probetne 256
 Eloquitur, quam clade domus ab Agenore ductae
 Gaudet; et a Tyria collectum pellice transfert
 In generis socios odium: subit ecce priori
 Causa recens; gravidamque dolet de semine magni
 Esse Jovis Semelen: tum linguam ad jurgia solvit;
 "Effeci quid enim toties per jurgia?" dixit. 262
 Ipsa petenda mihi est; ipsam, si maxima Juno

hibent, Heinsius, ut foedissimum centonem, delendos censet. Inepte sane sunt superioribus addita; sed et alibi solet Ovidius latiori et acriori descriptioni subijcere sententiam languidam. Displicet etiam structura verborum. Nescio tamen, an non et hæc similibus locis defendi possit. Certe etiam versu 58. concurrunt quatuor vocabula in a desinentia. Simile additamentum infra ver. 400 sqq. legitur.

253—315. Confer Euripid. Bacch. 1—9. 89—104. 286—297; Apollod. III. iv. 5; Diodor. Sic. iii. 63. iv. 2; Lucian. Dial. D. 9; Eudoc. p. 118 et 373; Hyg. fabul. 169. 179; Fulgent. Myth. ii. 15. Nempe Bacchus poetis dictus est *πυρογενής*, quod pr. vini generosioris vitiumque epitheton. Strabo, lib. xiii. p. 628. Porro, Orientalibus ex femore alterius egredi dicitur, qui ab eo gignitur. Hinc fabula nasci facile potuit. Alia ad ver. 312. dabimus. *Rumor*, etc. Quum rumor de Actæonis pœna sparsus esset, in utramque partem de ea disputatum est. Verum nullo jure de ea disputabatur, quum pœnam illam Saturniæ leges postulassent. Callim. in lavac. Pallad. 99 sqq. *Violentior* visa est etiam

Senec. *Œdip.* 763. ubi *nimum sævi Diva pudoris. Dignamque*, etc. decere eam severitatem tantam in custodiendo pudore suo.

256. *Culpetne*, etc.; ut apud Tibul. IV. v. 20. *Collectum*, conceptum, ut *colligere sitim* et similia. Translatum illud ab Europa odium etiam in sqq. fabulæ quædam confirmant.

261. *Tum linguam*, etc.] Heinsius hoc hemistichium suspectum habebat, et conjiciebat *quid linguam ad jurgia solvi vel solvo?* deleto versu sequenti, quem Latinum non putabat, nisi legeretur, *tot Io per jurgia*.

262. *Effeci, quid enim*, etc.] Amant poetæ ejusmodi soliloquia Deorum. Confer ii. 471; iv. 420; Virgil. *Æneid.* i. 36 sqq. Exordium est abruptum. Antea tacite secum indignata fuerat, tum cogitaverat, nolle se rursus jurgiis uti; hinc verbis pergit, *Effeci*, etc. Cf. vi. 687. ubi præmittitur *Et merito*; ix. 143; Plin. IV. Ep. iv. Pan. lxx. 6.

263. *Si maxima—regina*.] Redundantia in his convenit affectui Junonis. *Si sum regina*. Sonantius et gravius Virgil. d. l. *incedo regina. Et soror et conjux*. Cic. e N. D. ii. 26:

Rite vocor, perdam; si me gemmantia dextra
 Scepra tenere decet; si sum regina, Jovisque 265
 Et soror, et conjux: certe soror: at puto, furto est
 Contenta; et thalami brevis est injuria nostri.
 Concipit; id deerat: manifesta que crimina pleno
 Fert utero; et mater, quod vix mihi contigit uni,
 De Jove vult fieri: tanta est fiducia formæ! 270
 Fallat eam faxo; nec sim Saturnia, si non
 Ab Jove mersa suo Stygias penetrabit ad undas.”

Surgit ab his solio; fulvaque recondita nube,
 Limen adit Semeles: nec nubes ante removit, [nos,
 Quam simulavit anum; posuitque ad tempora ca-

Aer autem, ut Stoici disputant, interjectus inter mare et cælum, Junonis nomine consecratur, quæ est soror et conjux Jovis, quod et similitudo est atheris, et cum eo summa conjunctio. Acerbe additum, certe soror.

266. *Furtum, concubitus, qui utero non fit manifestus. Thalamus, conjugium. Conjugium nostrum in breve tempus læditur, quamdiu actus concumbendi durat.*

269. *Vix mihi contigit uni.]* Hærent Interpretes in voc. *uni*; quod si pro *soli* accipis, non oritur sensus commodus; sin *semel* interpretaris, mentitur Juno, quæ sæpius ex Jove mater facta est. Itaque Burmannus præfert cum *Micyllo uno*, idque jungit cum sqq. ut adeo sensus prodeat hic: quum tot alii sint, ex quibus illa possit mater fieri, illa non nisi, e solo Jove vult fieri, quod mihi vix contigit, paucos quæ ex Jove partus edidi. Verum nec hæc sententia satis placet. Malim equidem *uni* cum Capoferreo in *ipsi* mutare. Rarius, quam Juno vellet, ex Jove conceperat. Id nunc auget: *quod vix (vix bis terve) mihi contigit ipsi.*

272. *Penetrabit ad undas.]* Recepi

pro *in* undas, et multi habent. Morientes enim non *in*, sed *ad* Stygem descendunt.

273. *Ab his, post hæc verba. Sic iv. 329: Nais ab his tacuit.* Sæpe Dii, ut fallerent mortales, familiaris cujusdam formam induerunt. Præivit Homerus, II. B. 20. 122. 386. Confer et Callim. Cer. 43; Virgil. Æneid. v. 620. ix. 649—651; et Noster iv. 219; vi. 26 sqq. Apud Apollodorum et Lucianum, Semele decepta esse tantum legitur a Junone; sed figmentum de *Beroa* habet et Hyginus. Dii, quum in terras delabuntur, neque cerni volunt a mortalibus, *reconditi*, tecti esse solent *nube*.

275. *Simulavit anum.]* Simpliciter Homerus, II. Γ. 386: Γρηὶ δὲ μὴν ἐκνῖα παλαιγενεῖ. Id jam exornavit Virgil. Æn. ix. d. l.: *Ibat Apollo Omnia longævo similis, vocemque coloremque Et crines albos.* Eum Noster verbis delectis superare laboravit. *Simulavit anum, sumpsit formam anus. Sulcavit cutem rugis, venuste. Plaut. consulcare frontem; frontem rugis arare dixit Virg. Æn. vii. 417. et Noster passim; vide Ciofanum ad hunc locum. Trementi passu; infra*

Sulcavitque cutem rugis, et curva trementi
 Membra tulit passu; vocem quoque fecit anilem:
 Ipsaque fit Beroe, Semeles Epidauria nutrix.
 Ergo ubi, captato sermone, diuque loquendo, 279
 Ad nomen venere Jovis, suspirat: et, "Optem
 Jupiter ut sit," ait: "metuo tamen omnia: multi
 Nomine Divorum thalamos subiere pudicos.
 Nec tamen esse Jovis satis est: det pignus amoris;
 Si modo verum is est: quantusque, et qualis ab alta
 Junone excipitur, tantus, talisque rogato 285
 Det tibi complexus; suaque ante insignia sumat."
 Talibus ignaram Juno Cadmeida dictis
 Formârat: rogat illa Jovem sine nomine munus.
 Cui Deus, "Elige," ait; "nullam patiere repulsam.
 Quoque magis credas, Stygii quoque conscia sunt
 Numina torrentis: timor et Deus ille Deorum." 291
 Læta malo, nimiumque potens, perituraque amantis

xiii. 533. *passu anili. Tulit membra* exquisitius quam, *incessit.*

278. *Ipsa summam similitudinem* exprimit. *Alia Beroe* fit Iris apud Virgilium, *Æneid.* v. 620; alia rursus, *Oceani filia*, *G.* iv. 34. commemoratur.

280. *Ad nomen venere Jovis.*] Brevis Hygin.: *Alumna, pete a Jove, ut sic ad te veniat, quemadmodum ad Junonem, ut scias, quæ voluptas sit cum Deo concumbere.* Sed hæc nostra oratio multo magis ad fallendum est composita.

282. *Verbum subire* aptum furtivis amoribus et fallacibus adulteris, judice Burm. *Mihi vero subiere* idem esse videtur, quod *inire*, quod alii agnoscunt, *intrârunt.*

283. *Esse Jovis*, scilicet *te*, de qua forma loquendi vid. Heins. ad *Vell.* ii. 88. quod si cui durius h. l. videtur, retineat *Jovem*, quod tuentur omnes

MSS. præter duos. *Alta*, magna, nobilissima. *Cæsar altus*, II. *Pont.* iii. 63; *Hor.* III. *Od.* iv. *Formârat*, instruxerat. Vid. *Græv.* ad *Justin.* XX. iv. 3.

291. *Timor et Deus*, etc.] Ordo: *et ille Deus est timor Deorum*, hunc quoque Dii timere solent. *Burm.*

292. *Nimiumque potens.*] Sic rursus occupat eventum rei. *Nimium potens*, nimium valens precibus apud Jovem. *Obsequio amantis.* Etiam *Fast.* vi. 485: *Arserat obsequio Semele Jovis.* *Exposuit* de h. v. *Burm.* ad *Quintil.* VIII. *Inst. Orat.* iii. 35. *Veneris fædus inire.* *Apollod.* οἶος ἦλθε μνηστευόμενος "Ἡραν. *Infra* vii. 710. *fædera lecti.* *Dare se alicui* alias de obsequio et gratificatione dicitur, sed nunc de amplexibus. *Opprimere*, claudere: vide *Buenem.* ad *Lactant.* *Inst.* v. 1.

Obsequio, Semele, " Qualem Saturnia," dixit,
 Te solet amplecti, Veneris quum fœdus initis,
 Da mihi te talem." Voluit Deus ora loquentis 295
 Opprimere : exierat jam vox properata sub auras.
 Ingemuit ; neque enim non hæc optâsse, neque ille
 Non jurâsse potest : ergo mœstissimus altum
 Æthera conscendit, nutuque sequentia traxit
 Nubila ; quâs nimbos, immixtaque fulgura ventis
 Addidit, et tonitrus, et inevitabile fulmen. 301
 Qua tamen usque potest, vires sibi demere tentat :
 Nec, quo centimanum dejecerat igne Typhœa,
 Nunc armatur eo : nimium feritatis in illo.
 Est aliud levius fulmen ; cui dextra Cyclopum 305
 Sævitiæ, flammæque minus, minus addidit iræ :
 Tela secunda vocant Superi : capit illa ; domumque
 Intrat Agenoream : corpus mortale tumultus
 Non tulit ætherios, donisque jugalibus arsit.

299. Apud Apollod. intrat thalamum, ἐφ' ἄρματος ἀστραπαῖς ὁμοῦ καὶ βρονταῖς. H. l. sumit habitum, quem cœlum tempore tempestatis habet. *Sequi* dicuntur quæ facile parent : vide ad Plin. vii. Ep. ix. 11. et Pan. xlv. 5. *Fulgura et fulmen* differunt : *fulmen* est telum illud, quod a Jove in terram demitti credebatur ; *fulgur* autem, coruscatio. De fulminum generibus, Plin. ii. 51.

302. *Qua*, in quantum. Sic explicatur in glossa. *Sibi*, telis suis. A Virgil. *Æneid.* i. 665. Jovis *tela Typhæu* commemorantur, ut maxime terribilia, quia *Typhæus*, immane monstrum, vertice cœlum tangens, aliter debellari non poterat. Hinc et Noster eum potissimum memorat. Is secundum alios, quos Noster, v. 346. sequitur, fulmine vulneratus aufugit et *Ætna* monte obrutus est, sed h. l. *dejectus*, interfectus. Phædr. II. i. 1.

VOL. III.

Locus classicus de telis Jovis est apud Virg. *Æneid.* viii. 429 sqq. ubi iis admiscetur imber, nubes, venti, fulgures, sonitus, metus, flammæ et iræ.

307. *Secunda*, secundi ordinis, inferiora. Ita *secundum* et *δὲυτερον* et in aliis locutionibus : vide Græv. ad Hesiod. *Ἔργ.* 141. *Superi vocant*. Etiam Homerus memorat nomina, quibus Dii res signent. *Lusoria tela* vocat Senec. N. Q. ii. 44. ubi docet, auctores, hujus figmenti *admonere voluisse eos, quibus adversus peccata hominum fulminandum sit, non eodem modo omnia esse percutienda.*

309. *Ætherios.*] *Tumultus ætherii* explicandi sunt ex Horat. I. xvi. 12 : *Tremendo Jupiter ipse ruens tumultu*, de tempestate cum tonitru ; et graviter nimbi, fulgura, tonitrus, fulmina, quæ Jupiter in alto *æthere* sumpserat, *ætherii tumultus* dicuntur. Apud Apollod. Jupiter intrans fulmen emit-

A 2

Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo 310
 Eripitur, patrioque tener, si credere dignum,
 Insuitur femori; maternaque tempora complet.
 Furtim illum primis Ino matertera cunis
 Educat: inde datum Nymphæ Nyseides antris
 Occuluere suis; lactisque alimenta dedere. 315
 IV. Dumque ea per terras fatali lege geruntur,

tit, et Semele expirat metu. Secundum Lucianum, tectum concepit ignem, quo illa periit. *Dona*, insignia, quibus se, precibus Semeles coactus, instruxerat. *Jugalia*, conjugis.

310. *Imperfectus.*] Apollod. ἑξαμηνιαῖον βρέφος, sed Lucian. ἑπταμηνιαῖον. *Eripitur.* Inde Eurip. 91: νηδύος ἐκβολος. *Insuitur femori*, nempe aureis fibulis, ne Juno eum reperiret. Eurip. 96. ῥάπτειν, et Græci de hac re habent. Jam Euripidis ætate erant, qui illud ἐν μηρῷ inde ortum putarent, quod Bacchus Junoni quondam ὠμήρευσε, *obses fuerit.* Bacch. 295. Sed Eustath. fol. 310. l. 7. rem inde repetit, quod ille in *Mero*, monte Indiæ, educatus, sit. Cf. Curt. VIII. x. 11; Plin. vi. 21. Inde autem poetis dictus μηροῦράφης et μηροτραφής. *Materna*, in utero matris exigenda; *complet*, transigit. Sic ille *bimater*. De illo parte Jovis agit Lucianus, d. l.

313. *Ino.*] Sic et Apollodorus; sed apud Lucianum Mercurius eum statim in *Nysam* desert. *Primis cunis*, ab initio. *Inde datum*, a matertera acceptum. *Nysa*, urbs et mons Indiæ. Ibi *Nyseides nymphæ* (quarum nomina Cysseis, Nysa, Erato, Eriphia, Bromie et Polyhymnia) in antris educârunt Bacchum, quæ est vulgaris hujus rei narratio. Homer. h. Bacch. p. 99. Ern. Antrum illud duas fores habuisse dicitur, unde Bacchum *Dithyriten* appellatum voluit. Serv. ad Virgil. Ecl. vi. 15. *Nysam* Bacchi nutricem

facit. Eam et Hygin. fab. 182. commemorat, Oceani filiam. Pro ea idem alibi *Nysum* laudat. Inde autem factum est nomen *Dionysus*.

316—338. *Dumque ea per terras*, etc.] *Tiresias*, Thebanus, Everis filius, vates in tota antiquitate celeberrimus, sed lumine captus. Casus vitæ, quos passus est, varie narrantur. In feminam eum esse transformatum ob interfectum, vel in monte Cyllene, vel in Cithærone, draconem referunt etiam Apollod. III. vi. 7; Antonin. Lib. xvi; Hygin. fab. 75; Schol. Hom. ad Od. A. 493. Cæcitatibus vero ejus causa varie commemoratur. Qui Pherecydem sequuntur, ut Call. h. in Lavacr. Pall. vers. 75—103. et e Latinis unus Propert. IV. ix. 57. eam cladem tribuunt Minervæ, quam nudam viderit Tiresias juvenis, quæ tamen, precibus matris et integritate juvenis permota, vaticinandi ei artem tribuerit. Cum Nostro consentiunt Apollod. Hygin. Anton. Lib. xvii. Phlegon Trall. de Mirab. iv. quibus Hesiodus præiverat. Elegiaco carmine fabulam tractaverat Sostratus. Præter vaticinandi artem constitutus ei etiam erat longus vitæ terminus, quippe qui per septem, aut, ut alii voluit, novem ætates vixerit, a Cadmo inde usque ad captas ab Argivis Thebas, et Lacedædis multa oracula ediderit. Frequens igitur ejus apud Tragicos veteres mentio. Datum denique ei erat etiam hoc, ut apud inferos solus saperet: Homer. Od. K. 490; Cic. Div. i. 20:

Tutaque bis geniti sunt incunabula Bacchi ;
 Forte Jovem memorant, diffusum nectare, curas
 Seposuisse graves, vacuaque agitasse remissos 319
 Cum Junone jocos ; et, Major vestra profecto est,
 Quam quæ contingat maribus, dixisse, voluptas.
 Illa negat : placuit, quæ sit sententia docti
 Quærere Tiresiæ : Venus huic erat utraque nota.
 Nam duo magnorum viridi coeuntia silva
 Corpora serpentum baculi violaverat ictu : 325
 Deque viro factus, mirabile ! femina, septem
 Egerat autumnos : octavo rursus eosdem
 Vidit ; et, “ Est vestræ si tanta potentia plagæ,”
 Dixit, “ ut auctoris sortem in contraria mutet ; 329
 Nunc quoque vos feriam.” Percussis anguibus is-
 Forma prior rediit, genitivaque rursus imago. [dem
 Arbiter hic igitur sumptus de lite jocosa,
 Dicta Jovis firmat : gravius Saturnia justo,

vide omnino Spanhem. ad Callim. d. l. *Per terras*, in terra. Virgil. *Æn.* i. 708 : *convenire per linina*, in domo. *Fatali lege*, ex fato. Ex opinione enim Veterum omnia fiebant vel ex fati necessitate, vel ex libera Deorum voluntate, vel ex hominum studio.

318. *Diffusum.*] *Diffundi* eleganter dicitur animus, quum exhilaratur atque lætitiæ se dat : tristitia vero *contrahitur*. Cic. *Læl.* 13. *Noster* iv. 764 : *generosi munere Bacchi Diffundere animos*. Virgil. *Æneid.* i. 562. *secludite curas*. *Vacua*, a laboribus, otiosa. *Remissos*, paulo liberiores et petulantiores.

322. *Docti.*] *Doctus* (σοφός) ob divinandi peritiam. Libros etiam scripsisse traditur Tiresias. *Venus*, voluptas venerea. *Ælianus*, *Anim.* i. 25. *κοινωνεῖν ἀφροδίτης ἐκατέρας*.

324. *Coire.*] De actu venereo dicitur. Tiresias primum violabat femel-

lam seu dracænam, sed postea, ab Apolline monitus, masculum draconem. Tzetzes in Lycophronem, Casandr. ver. 683. *Autumnos*, annos.

329. *Sortem*, sexum, ut vi. 680. ix. 67. *Imago*, forma, natura. *Genitiva*, connata, quam habuit quum nasceretur. Augustus habebat *genitivas notas*, Sueton. Oct. 80. Cæterum Lucian. de Astrol. monet, fabulam de Tiresiæ transformatione fluxisse inde, quod Tiresias docuerit stellas erraticas esse utriusque sexus ; quæ interpretatio non admodum dissimilis est ei, quam de Atlantis, Promethei aliorumque fabulis exhibet Cicero, Tusc. v. 111.

333. *Firmat*, confirmat. Lactant. in Argum. *tutatur sententiam Jovis*. Versus, quibus dicta Jovis confirmavit, habent Apollod. et Schol. Hom. *Οἴη μὲν μοίρην δέκα μοιρῶν τέρπειται ἀνὴρ, Τὰς δὲ δεκ' ἐμπύπλησι γυνὴ τέρπον-σα νόημα*. *Pro materia*, ut postulabat

Nec pro materia fertur doluisse : suique
Judicis æterna damnavit lumina nocte. 335

At pater omnipotens, neque enim licet irrita cui-
Facta Dei fecisse Deo, pro lumine adempto [quam
Scire futura dedit, pœnamque levavit honore.

V. Ille per Aonias, fama celeberrimus, urbes
Irreprehensa dabat populo responsa petenti. 340
Prima fide vocisque ratæ tentamina sumpsit
Cærula Liriope : quam quondam flumine curvo
Implicuit, clausæque suis Cephisos in undis
Vim tulit : enixa est utero pulcherrima pleno 344
Infantem, Nymphis jam nunc qui posset amari ;

materiæ levitas : x. 133. Ita *pro rerum
majestate*, Lucr. v. 2.

335. *Æterna damnavit nocte* gravi-
ter excæcationem exprimit. *Neque
enim licet*, etc. Vid ad. ii. 677. *Scire
dedit* Græce, dedit scientiam. *Leva-
vit*, tolerabiliorem reddidit. Apud Ho-
merum, Od. Θ. 64. Demodoci cæci-
tatem Musa levaverat arte musica can-
tuque dulci. *Honore*, arte honorifica.

339—510. *Ille per Aonias*, etc.]
Dum exemplum ponit artis Tiresiæ,
commode nova intexitur fabula, ex
qua rursus alia orta est. *Narcissus*,
juvenis pulcherrimus, quum et juve-
nes et puellas superbe sperneret,
Rhamnusia effecit, ut suæ ipsius ima-
ginis, quam in fonte quodam conspexit,
insano amore corripere, atque tabe-
scendo mutaretur in florem sui nomi-
nis. Thespiensis erat hæc fab. quam
duplici modo Pausan. IX. xxxi. p.
772. narrat, quorum alterum, quem
Noster sequutus est, vulgatum vocat.
Ex altero Narcissus sororem habebat
sibi simillimam, cujus amissæ deside-
rium contemplanda imagine in fonte
lenire volebat. Thespiensem fuisse
Narcissum etiam ex Lucian. Ver.
Hist. lib. II. tom. iv. p. 276. apparet.
Paucis fab. attingit Hygin. f. 271.

Echus fabula, si abesset, non deside-
raretur ; eamque apparet a Nostro
insertam esse, atque commode sub
finem adhibitam. Extant Ausonii duo
epigrammata, 11 et 99. in Echo, toti-
demque, 97 et 98. in Narcissum.
Aonius, Bœotias : vide ad ver. 13.
Irreprehensa, certa, quibus eventus
constaret. *Respondere* proprie dicun-
tur vates : vide Munker. ad Lactan-
tium, Argum.

341. *Fide* antique *pro fidei*. *Fides*
autem nunc capiendum, ut in *fide dig-
nus*. *Vocis ratæ*, vaticinii certi. *Li-
riopes* genus incertum ; vide Burm.
Carula indicat, eam fuisse Nympham
fontanam aut fluvialem. *Curvum* de flu-
minibus includentibus aliquid. Virg.
Georg. iv. 361 : *illum Curvata in mon-
tis speciem circumstetit unda*. Etiam
apud Hyginum *Narcissus Cephisi flu-
minis filius*. Sed quoniam in vicinia
Heliconis natus, propterea secundum
Claudian. xxxv. 134. *Helicon* eum *ge-
nuisse* dicitur. Idem, ver. 332. de hoc
et de Hyacintho, *nunc inclyta germina
veris, Præstantes olim pueros*. Solent
autem hi duo et Hylas propter *pul-
chritudinem* conjungi. *Tulit*, intulit.

345. *Nymphis*.] Codices nostri,
Nympe. Vox Græca Νύμφη, ut sit

Narcissumque vocat: de quo consultus, an esset
 Tempora maturæ visurus longa senectæ;
 Fatidicus vates, Si se non viderit, inquit.
 Vana diu visa est vox auguris: exitus illam, 349
 Resque probat, letique genus, novitasque furoris.
 Jamque ter ad quinos unum Cephisius annum
 Addiderat; poteratque puer juvenisque videri.
 Multi illum juvenes, multæ cupiere puellæ.
 Sed fuit in tenera tam dira superbia forma;
 Nulli illum juvenes, nullæ tetigere puellæ. 355
 Aspicit hunc, trepidos agitantem in retia cervos,
 Vocalis Nymphe; quæ nec reticere loquenti,
 Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.
 Corpus adhuc Echo, non vox erat: et tamen usum
 Garrula non alium, quam nunc habet, oris habe-
 Reddere de multis ut verba novissima posset. [bat,
 Fecerat hoc Juno, quia, quum deprendere posset
 Sub Jove sæpe suo Nymphas in monte jacentes,
 Illa Deam longo prudens sermone tenebat, 364
 Dum fugerent Nymphæ: postquam Saturnia sensit;

Nympha ipsa Liriope, quæ enixa sit; non is qui posset amari a Nymphis. Deleatur virgula post *infantem*, et reponatur post *Nymphe*; et eam lectionem genuinam prætulerim: vide infra ver. 357. ubi Nymphe reperitur. *Nunc*: vide ad I. 321. *Fatidicus vates*, χρηστήριος μάντις. *Videre tempora*, vivendo eo pervenire. *Furor*, insanus anor.

352. *Puer juvenisque*, i. e. medius erat inter utrumque; vide ad iv. 17. *Cupere*, ut *petere*, de amantibus et connubia optantibus. *Tenera*, pulchra. *Dira*. Alii habent *dura* quod non improbat Burmannus, quia *tetigere* sequitur, pro quo tamen alii *flexere*. Idem verba *fuit*—*forma*, per pa-

renthesin adjecta putat. *Superbia* est amantium, qui fastidiosi non redamant. Tibul. I. viii. 69. *fastidia*. *Tetigere*, flectere ejus animum potuerunt, ut iv. 164. Et est *flexere* in Varr. Lect. Lusu autem illo, vers. 353 et 355. expressit Catul. Carm. Nupt. 58.

356. *Aspicit hunc*, etc.] Ut Narcissus ad Echo in silvis versantem et ad fontem commode deduci posset, propterea venans inducitur. *Vocalis*, voce notabilis. Obiter sed commode hujus Nymphæ fata superiora innectit. *Reddere*, repetere. Plin. Hist. Nat. x. 42: *Humanas voces reddunt psittaci*. Mox sic *reportare* et *remittere*. *Prudens*, consulto.

“Hujus,” ait, “linguæ, qua sum delusa, potestas
Parva tibi dabitur, vocisque brevissimus usus.”

Reque minas firmat: tamen hæc in fine loquendi
Ingeminat voces, auditaque verba reportat.

Ergo ubi Narcissum, per devia lustra vagantem,
Vidit, et incaluit, sequitur vestigia furtim: 371

Quoque magis sequitur, flamma propiore calescit;

Non aliter, quam quum summis circumlita tædis
Admotam rapiunt vivacia sulphura flammam.

O quoties voluit blandis accedere dictis, 375

Et molles adhibere preces! natura repugnat;

Nec sinit incipiat: sed, quod sinit, illa parata est
Expectare sonos, ad quos sua verba remittat.

Forte puer comitum seductus ab agmine fido, 379

Dixerat, ecquis adest? et, adest, responderat Echo.

368. *Reque minas firmat.*] Re ipsa et effectu minas exequitur.

370. *Devia.*] Qui se effuse amant, atque immodicam conceperunt de se opinionem, non multum in publico, aut in rebus civilibus versantur: hic enim neglectus multi et vilipendia occurrent, quæ se sibi ostendant animos ipsorum dejectura; itaque vitam plerumque degunt solitariam, privatam et umbratilem, vilium hominum comitatu cincti, qui illos colere atque admirari sibi in animum inducant, ac velut Echo in omnibus dictis factisque assententur, iis verborum præsent obsequia.

372. *Flamma propiore calescit.*] Terentius Eun. I. ii. 5: *Accede ad ignem hunc* (Thain); *jam calesces plus satis*. *Vivax*, quod multum vitæ, alacritatis, rapiditatis, etc. habet. Gellius, N. A. v. 2. *vivacissimus*, rapidissimus, *cursus equi*. Quintil. Inst. Orat. II. vi. 3. *vivaciores*, qui sunt alacriore ingenio; vide Gronovii Observat. III. iv. p. 352. Ergo *vivacia sulphura* sunt rapacia, quæ

celeriter ignem capiunt. Remed. 700. *rapida faces*. *Rapere* enim, ut monet Burmannus, verbum proprium igni et flammæ; confer quæ diximus ad ii. 123. Idem Burmannus *adhibere preces* publica forma dictum putat. *Molles*, quibus molliuntur pectora dura. Similis locus Tibul. III. iv. 75: *Ne dubita blandas adhibere querelas, Vincuntur molli pectora dura prece*.

379. *Fido.*] Solenne comitum epitheton; ergo tantum ornat. *Seductus*; aberraverat. Sequitur colloquium cum Echo, quocum confer Aristoph. Themoph. 1065 sqq. Sæpe Græculi pueriliter sic ludebant. Vid. Ramler ad Martial. II. lxxxvi. 3. Sed h. l. probandus est ille jocus; res enim ita instituenda erat, ut Echo accommodate ad hanc fabulam naturam suam ostendere posset. *Acie dimisit*, oculos direxit, circumspexit. viii. 189: *Ignotas animum dimittere in artes*. Burmannus formulam e re militari ductam arbitrabatur. Non puto.

Hic stupet; utque aciem partes dimisit in omnes,
 Voce, veni, clamat magna: vocat illa vocantem.
 Respicit: et nullo rursus veniente, quid, inquit,
 Me fugis? et totidem, quot dixit, verba recepit.
 Perstat; et, alternæ deceptus imagine vocis, 385
 Huc coeamus, ait: nullique libentius unquam
 Responsura sono, coeamus, rettulit Echo:
 Et verbis favet ipsa suis; egressaque silvis
 Ibat, ut injiceret sperato brachia collo.
 Ille fugit; fugiensque, Manus complexibus aufer;
 Ante, ait, emoriar, quam sit tibi copia nostri. 391
 Rettulit illa nihil, nisi, Sit tibi copia nostri.
 Spreta latet silvis; pudibundaque frondibus ora
 Protegit; et solis ex illo vivit in antris.
 Sed tamen hæret amor, crescitque dolore repulsæ:
 Attenuant vigiles corpus miserabile curæ; 396
 Adducitque cutem macies; et in aera succus [sunt:
 Corporis omnis abit: vox tantum, atque ossa super-
 Vox manet: ossa ferunt lapidis traxisse figuram.

385. *Alternæ vocis imago*, Echo. Virg. Georg. iv. 50. *vocis offensa imago*. Horat. I. Od. xx. 7. *jocosa imago*. *Coeamus*, et mox, *sit tibi copia nostri*. Hæc duo duplici sensu, naturali et venereo intelligenda sunt, ut ver. 415. *sitis altera crevit*. *Favet ipsa*, iis delectatur, ipsa placet sibi propter verba sua. Vid. lib. II. Amor. v. 11: *nimumque suo favet ille dolori*. *Speratum* solennis vox de amantibus: ii. 862. *sperata voluptas*; iv. 368. *sperata gaudia*; viii. 55. *sperata cubilia*. Non igitur sollicitandum hoc vocabulum.

394. *Protegit*, tegit. *In antris*. Claudian, xxviii. 33. *adytis* (antris) *effunditur Echo clarior*. *Solis*, ut ver. 10. *Hæret*, manet, durat, verb. propr.

in re amatoria: vide Burmann. *Crescitque*, etc. ex natura cupiditatum humanarum. *Attenuant*, absumunt. Art. Amat. i. 735: *Attenuent juvenum vigilatæ corpora noctes*. Infra 489. ipse Narcissus sic *attenuatur*. *Adducit*, contrahit, succis abeuntibus. Virg. Georg. iii. 482: *sitis miseros adduxerat artus*. *Lapidis*, quia Echo auditur in locis saxosis. *Doctæ rupes* tales lapides vocantur a Claudiano d. l. Cæterum Echo ad meras voces attenuata originem debet prosopopœiæ poeticæ. Versus sqq. 400 et 401. delendos censet Heinsius. Et sunt satis inepte aspersi; dictum enim jam ante erat, eam latere silvis et merum sonum esse.

Inde latet silvis; nulloque in monte videtur; 400
Omnibus auditur: sonus est, qui vivit in illa.

Sic hanc, sic alias, undis aut montibus ortas,
Luserat hic Nymphas; sic cœtus ante viriles.
Inde manus aliquis despectus ad æthera tollens,
“ Sic amet iste licet, sic non potiat amato!” 405
Dixerat: assensit precibus Rhamnusia justis.

Fons erat illimis, nitidis argenteus undis,
Quem neque pastores, neque pastæ monte capellæ
Contigerant, aliudve pecus; quem nulla volucris,
Nec fera turbârat, nec lapsus ab arbore ramus. 410
Gramen erat circa, quod proximus humor alebat;
Silvaque, sole lacum passura tepescere nullo.
Hic puer, et studio venandi lassus et æstu,
Procubuit; faciemque loci, fontemque sequutus;

403. *Ludere*, ludibrio habere, spernere. Tibul. I. viii. 71: *Hic Marathus quondam miseris ludebat astantes. Nescius ultorem post caput esse Deum.* Superbiam enim illam odisse credebantur Dii. Ibid. 69: *Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia Divi.* In iis potissimum Nemesi, cujus pulcherrimum signum erat *Rhamnusium* prope Athenas: vide Herder. in libro *zerstreute Blaetter*, Fasc. II. ii. 4. *Licet*, pro cupio, locum habet in precibus. Hor. III. Od. xxvii. 13. *sis licet felix.* Nostris Regii, *assensit*.

407. *Fons* ille erat in Thespiensium finibus, Pausaniæ adhuc ætate Narcissi nomen gerens. Claritas ejus et puritas h. l. urgetur, quia sic tanto magis formam pueri reddere poterat. *Argenteus*, pellucidus: ἀργυροὶ ποταμοὶ aut πηγαὶ etiam apud Græcos. *Nitidus*, nil nisi clarus. Etiam Heroid. xv. 157. *nitidus fons.* *Quem neque pastores*, etc. fons plane intactus: *integer fons*, Lucret. i. 925; Ho-

rat. I. Od. xxvi. 6. *Monte.* Aut subintelligitur in (quod vocabulum habent plerique et omittunt nostri Regii,) aut *mons* nunc est herba in monte; vide Burmannum. *Læcus* vocatur et versu 500. Eum frigore suavem describere voluit; sed hic *tepscere* displicet, quia *tepor* gratus est. Melius Horat. II. Od. xv. 9: *Excludit ictus fervidos spissa ramis laurea.* Similiter infra v. 389.

414. *Sequitur* locum is, qui amœnitate ejus allectus eum adit. Cic. ii. Legg. 1: *Hanc amœnitatem loci sequor.* Potest tamen *sequutus* et explicari, impulsus facie, propter faciem. Plin. x. Ep. 94. *mores ejus sequutus.* Non ineptum lusum præbuit vocabulum *sitis*, quod et de vehementiore appetitu dicitur. *Altera*, alia, alius generis. *Imaginem*, amore imaginis. *Imago* autem *formæ* i. q. umbra, quam per omnem h. l. valde variavit. In verbis *spem sine corpore amat* frustra hæserunt Interpretes. Intelligitur um-

Dumque sitim sedare cupit, sitis altera crevit : 415
 Dumque bibit, visæ correptus imagine formæ,
 Spem sine corpore amat : corpus putat esse, quod
 umbra est.

Astupet ipse sibi, vultuque immotus eodem
 Hæret, ut e Pario formatum marmore signum.
 Spectat humi positus geminum, sua lumina, sidus,
 Et dignos Baccho, dignos et Apolline crines, 421
 Impubesque genas, et eburnea colla, decusque
 Oris, et in niveo mixtum candore ruborem ;
 Cunctaque miratur, quibus est mirabilis : ipse
 Se cupit imprudens ; et, qui probat, ille probatur ;
 Dumque petit, petitur ; pariterque incendit, et
 Irrita fallaci quoties dedit oscula fonti ! [ardet.
 In medias quoties, visum captantia collum, 428

bra, quam corpus esse sperabat, neque tamen erat. Ipse sic explicat verbis subjectis.

418. *Astupet ipse sibi.*] Pausanias, dicto loco, absurdum hoc figmentum esse iudicat ; neminem enim tam stolidum esse, ut sui amore capiat, hominemque ab umbra discernere nequeat. Quid autem Noster ? Is eo ita delectatus est, ut intolerabilis garulitatis exemplum nobis reliquerit, neque voluptatem, sed tædium lectoribus paraverit. Semper ad eandem notionem revolvitur, quin adeo, quæ ipse dixerat, Narcissum repetentem inducit. Diutius etiam, quam naturæ veritas patitur, eum hoc errore fascinatam tenet. Adde frigida acumina, quibus h. l. distinxit. *Astupere* dictum, ut *adgemere*, *assonare*, *alludere* alicui. Stupori convenit vocabulum *herere*. Apud Virg. *Æn.* vi. 471. *regina non aliter hæret, ac si dura silex, aut stet Marpesia (in Paro) cuutes.* Inde Noster fecit, ut e Pario formatum marmore signum.

VOL. III.

420. *Geminum sidus*, hoc est *sua lumina*, aut sic : *sua lumina* tanquam *geminum sidus*. Oculi fulgentes, siderum instar, ponuntur in maxima pulchritudinis parte. Cf. ad i. 499. *Apollo* et *Bacchus* laudantur a poetis ob æternam juventutem et formositatem ; imprimisque tribuuntur iis pulchri et promissi capilli : *Amor.* i. 14 ; *Martial.* IV. *Epigr.* xlv. Hinc *Bacchus* *ἐκόμης, χρυσοκόμης*, etc. De comis *Bacchi* passim apud poetas, hinc etiam *ἀκερσοκόμης* dictus et *ἄβροκόμης* Græcis. *Impubes*, lanugine obducta. *Decus*, exquisitius quam pulchritudo. *Mixtus* alibi sine præpositione legitur vel cum tertio, vel cum sexto casu.

425. *Se cupit.*] *De cupere* et *petere* vide ad 353. *Imprudens*, nesciens illam imaginem esse umbram suam. *Qui probat—ardet.* Frigidum acumen. *Probare*, pulchrum et amore dignum iudicare. *Incitat oculos*, irritat amorem per oculos.

B b

Brachia mersit aquas ; nec se deprendit in illis !
 Quid videat, nescit ; sed, quod videt, uritur illo ;
 Atque oculos idem, qui decipit, incitat error.
 Credule, quid frustra simulacra fugacia captas ?
 Quod petis, est nusquam : quod amas, avertere,
 perdes : 433

Ista repercussæ, quam cernis, imaginis umbra est :
 Nil habet ista sui ; tecumque venitque, manetque ;
 Tecum discedat, si tu discedere possis.

Non illum Cereris, non illum cura quietis
 Abstrahere inde potest : sed opaca fusus in herba
 Spectat inexpleto mendacem lumine formam ;
 Perque oculos perit ipse suos ; paulumque levatus,
 Ad circumstantes tendens sua brachia silvas, 441
 “ Ecquis, io silvæ, crudelius,” inquit, “ amavit ?
 Scitis enim, et multis latebra opportuna fuistis.
 Ecquem, quum vestræ tot agantur secula vitæ,
 Qui sic tabuerit, longo meministis in ævo ? 445
 Et placet, et video ; sed quod videoque, placetque,
 Non tamen invenio : tantus tenet error amantem !
 Quoque magis doleam ; nec nos mare separat ingens,

432. *Credule, quid frustra, etc.*] Jam supra versu 417. poeta hunc errorem indicaverat ; itaque aut hæc, aut illa resecanda fuissent. *Quod amas, avertere, perdes.* Tu modo te averte, nulla erit umbra, nihil quod ames. *Nil habet ista sui*, non constat per se, nihil habet proprium. Bene sic describitur umbra.

437. *Non illum Cereris, etc.*] Nec Ovidium brevitatis cura ab hoc fonte et a Narcisso abstrahere potuit. *Fusus*, alibi *reclinatus, stratus, abjectus*. Sed et Græce sic *χυθείς*, ut Anacr. Od. lii. 16. *Opaca*, quam opacat silva. *Inexpleto*, quod contemplanda imagine

expleri, satiari non poterat. Mendacem, quæ videbatur esse forma, neque tamen erat. *Falsam adolescentis figuram.* Elegans est hic usus verbi *mentiri*.

443. *Scitis enim, et multis, etc.*] Burmannus opinatur procacitatem nympharum hic tangi. Sed videtur poeta omnino amantes intellexisse, qui fere loca remota, silvas et antra, quærere solent. Commoda autem est hæc ad silvas apostropha. *Ecquem, quum vestræ, etc.* Ordo est : *Ecquem meministis, in longo ævo, qui sic tabuerit, et paulatim consumptus sit ?*

448. *Nec nos mare separat, etc.*]

Nec via, nec montes, nec clausis mœnia portis ;
 Exigua prohibemur aqua : cupit ipse teneri ; 450
 Nam, quoties liquidis porreximus oscula lymphis,
 Hic toties ad me resupino nititur ore :
 Posse putes tangi : minimum est, quod amantibus
 obstat.

Quisquis es, huc exi ! quid me, puer unice, fallis ?
 Quove petitus abis ? certe nec forma, nec ætas
 Est mea, quam fugias ; et amârunt me quoque
 Nymphæ. 456

Spem mihi, nescio quam, vultu promittis amico ;
 Quumque ego porrexi tibi brachia, porrigis ultro :
 Quum risi, arrides : lacrimas quoque sæpe notavi,
 Me lacrimante, tuas : nictu quoque signa remittis :
 Et, quantum motu formosi suspicor oris, 461
 Verba refers, aures non pervenientia nostras.

In te ego sum, sensi ; nec me mea fallit imago :
 Uror amore mei ; flammam moveoque feroque.

Plinius, Epist. VI. i. 1 : *Desiderium absentium nihil perinde ac vicinitas acuit.* Sed *via* in his impedimentis male commemoratur ; ea enim facile potest transiliri. *Tenere* vox amantium, quum potiti sunt amato, et ferme cum amplexibus conjungitur. vii. 56. 143. *Liquidis*, *limpidis*. *Resupino*, etc. corpore inclinato, sursum erigi conatur.

454. *Unicus*, quem præ cæteris amamus, quia cæteris præstat vel animi vel corporis dotibus. Multus est in h. v. explicando Heins. ad h. l. *Raro* ponitur pro *unus*.

457. *Promittis* exquisitius quam, facis. *Amicus*, hilaris. viii. 677. *boni vultus*. *Nictus* proprius est amantium, quum blande se invicem intuentes oculos movent, osque diducunt ad subridendum, Græcis est *σκαρδαμυγμός*. Sed h. l. non nisi ad oculorum motum retulerim, quia *risus* jam præcessit.

Forte tamen præstat ex plurimis *nutu*. iv. 63 : *nutu signisque loquuntur*. Art. Amat. i. 138 : *Nec tibi per nutus accipienda nota est*. Ibi quoque non nisi unus *nictus* præfert. *Pervenientia aures*, intellige *ad*. Sæpe Homer. *ἦκε πῶλιν*, omisso *εἶς* ; quod imitati sunt Latini.

463. *In te ego sum*, etc.] Hactenus error. Eo expeditus Narcissus in desperationem vertitur, cujus autem vim non bene expressit poeta. Alienum ab ea est oxymoron *inopem me copia fecit*, alienum ille *lusus*, *Votum—abeset* ; ineptum acumen, *Hic, qui diligitur*, etc. *Quid deinde rog.* et si rogare libet, quid tandem rogabo ? *Inopem me copia fecit*. Ausonius de Narcisso : *Si cuperes alium, posses, Narcisse, potiri* ; *Nunc tibi amoris adest copia : fructus abest*. Epigram. 95 et 96.

Quid faciam? roger, ane rogem? quid deinde
rogabo? 465

Quod cupio mecum est, inopem me copia fecit.

O utinam nostro secedere corpore possem!

Votum in amante novum; vellem, quod amamus,
abesset!

Jamque dolor vires adimit; nec tempora vitæ 469

Longa meæ superant; primoque extinguo in ævo:

Nec mihi mors gravis est posituro morte dolores.

Hic, qui diligitur, vellem diuturnior esset:

Nunc duo concordēs anima moriemur in una."

Dixit, et ad faciem rediit malesanus eandem;

Et lacrimis turbavit aquas; obscuraque moto 475

Reddita forma lacu est: quam quum vidisset abire,

"Quo fugis? o remane; nec me, crudelis, amantem

Desere," clamavit: "liceat, quod tangere non est,

Aspicere, et misero præbere alimenta furori."

Dumque dolet, summa vestem deduxit ab ora, 480

470. *Superant*, supersunt. Quod Virgilianum est—*Superatne, et vescitur aura?* *Primo ævo*, ineunte ætate. *Anima in una*, dum unus animam exhalat. Dictum hoc e sermone intimæ familiaritatis sibi vindicantis alterius sortem. iv. 108; ix. 388; xii. 229. Sed ab hoc loco alienum est, quia Narcissus jam senserat, umbra sua se ardere. Malim explicare non illi animam mutari, licet errorem agnoverit.

474. *Malesanus*, insanus, vel quia redibat ad aquam quæ renovabat dolores, vel propter amorem sui. *Lacrimis* incredibilem tribuit vim.

479. *Misero furori*; quod homines miseros faciat, qui illo vexantur.

480. *Ora*, extrema pars vestis, vel, ut hoc loco in pectore (*summa, suprema*) vel infra (*ima*.) Jam ut II. Fast. 347: *tunicas ora subducere ab*

ima sensu obscæno, sic h. l. *vestem deducere summa ab ora*, quod facere solebant, qui planctus causa pectus nudabant; vid. Heinsius ad h. l. et Burmannus ad Am. I. vii. 48. Cf. et infra v. 399. Hoc autem figmentum præclarum est. *Tenuem ruborem* illustrat duplici comparatione, quæ probanda quidem est; sed an admirabilem phantasiam vim prodat, et digna sit ingenio summi poetæ, ut Schirach. videtur, nescio. Non debemus nimii esse in laudandis poetarum veterum locis. In posteriore forsitan respexit Hor. II. Od. v. 10: *Jam tibi lividos Distinguet Autumnus racemos, Purpureo varius colore*. Alias hujus generis similitudines collegit Brouckhusius ad Propert. II. ii. 20. *Ducere colorem*, ut in Metamorphos. libro viii. 760. *ducere pallorem*; ut antea dix-

Nudaque marmoreis percussit pectora palmis.
 Pectora traxerunt tenuem percussa ruborem;
 Non aliter, quam poma solent, quæ candida parte,
 Parte rubent: aut, ut variis solet uva racemis
 Ducere purpureum, nondum matura, colorem. 485
 Quæ simul aspexit liquefacta rursus in unda,
 Non tulit ulterius; sed, ut intabescere flavæ
 Igne levi ceræ, matutinæque pruinæ
 Sole tepente solent; sic attenuatus amore
 Liquitur; et cæco paulatim carpitur igni. 490
 Et neque jam color est mixto candore rubori;
 Nec vigor, et vires, et quæ modo visa placebant,
 Nec corpus remanet, quondam quod amaverat
 Echo.

Quæ tamen ut vidit, quamvis irata memorque,

erat Virg. Ecl. ix. 49. *duceret uva colorem.*

486. *Liquefacta*, quod et habent nostri Codices Regii, offendit Heinsium, quia cera dicatur *liqueferi*, non *unda*. Burmannus refert inter singularia Ovidii. Passim apud Nostrum *liquida aqua* pro limpida, clara, ut 451. et i. 370. Plinius, V. Ep. vi: *purius cælum, aer liquidior*; Panegy. 82. *liquida flumina*. Itaque limpida redditam recte *liquefactam* dixeris.

490. *Liquitur*.] Liquescit ac paulatim consumitur. *Et cæco carpitur igni*. Occulto amore, clandestino, per membra et ossa meanti, cruciatur. Notum hoc Virg. Æn. iv. 2. *Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni*. De verbo *carpi*, vide ad ii. 781; unde apparet, *passim* nunc posse abesse. *Et vires*, pro *nec vires*: vide Burmannum.

491. *Et neque, etc.*] Ad *φιλᾶντων νεοσόφων* et *δοκησισόφων* ingenia ex-

primenda, eleganter sumitur flos verus, idemque *φιδουβρος* pluviae sitor, quum ejusmodi ingenia spem sui sub initia prodigam præbeant, quam tamen fallunt, et frugis bonæ expectationem destituunt.

494. *Quamvis irata memorque* se a Narcisso fuisse spretam. *Memor*, scilicet injuriæ ipsi factæ. Sed displicet Glareano, quod Echo mutata in lapidem *viderit* Narcissum. Respondet Burmannus poetam narrasse quidem jam antea metamorphosin Echûs, sed eam simul cum Narcissi transformatione factam esse. Putem, *videre* omnino esse sentire, intelligere. Hoc poterat, quia nunc quoque persona erat. Præterea sæpius jam observavimus, hæc et talia in Ovidio non esse urgenda. Cæterum ingeniose Echo hic inducitur et fabulæ innectitur. Etiam illud *indoluit* ex natura Echûs bene confirmatur. Male Heinsius etiam versu 501. *lacus* recepit. Immo *locus*, in quo mutata Echo, remittebat verba.

Indoluit : quotiesque puer miserabilis, Eheu! 495
Dixerat; hæc resonis iterabat vocibus, Eheu!

Quumque suos manibus percusserat ille lacertos,
Hæc quoque reddebat sonitum plangoris eundem.
Ultima vox solitam fuit hæc spectantis in undam;
Heu frustra dilecte puer! totidemque remisit 500
Verba locus; dictoque Vale, Vale inquit et Echo.
Ille caput viridi fessum submitit in herba;

Lumina nox claudit, domini mirantia formam.

Tum quoque se, postquam est inferna sede recep-
In Stygia spectabat aqua : planxere sorores [tus,
Naiades; et sectos fratri posuere capillos : 506
Planxere et Dryades; plangentibus assonat Echo.
Jamque rogum, quassasque faces, feretrumque pa-
rabant :

Nusquam corpus erat : croceum pro corpore florem
Inveniunt, foliis medium cingentibus albis. 510

503. *Dominus luminum*, ut vi. 560. *domino linguæ*. In *Stygia*, etc. Manes enim in inferna sede exercent studia antiqua: vide ad iv. 445. Nihilo tamen minus Noster nunc ingenio abusus est: *Stygis* enim turbida aqua et limo plena non poterat spectantis formam reddere.

505. *Planxere sorores*.] Apud Claudian. d. I. Narcissum *fracta Cephissus arundine luget*. *Sectos capillos*. Ex more antiquissimo solebant mortuorum tumulis secti capillorum cincinni imponi. *Ponere solenne* in consecrationibus. Tibullus, I. i. 14. *pomum ponere Deo*. Mirum autem est, *Nymphas rogum* et *feretrum* parâsse.

508. *Quassasque*.] Septem MSS. *cassasque*. Id Burmannus explicat, quæ resectæ ab arbore succo suo carent et aridæ sunt. Nostri, *quassasque*. Et arguta forte videbitur explicatio

Burmanni. *Cassas* pro *quassas* scriptum fuisse a librariis, et eodem sensu, quis demiretur, quum sciverit quomodo ante typographiam repertam scriberentur libri? scilicet duo, tres, vel plures scribæ ante pluteum, dicant verba magistro, exarabant; et, prout quisque peritus esset, alter *quassas*, alter *cassas* in suo codice reponerat. Similiter ex omnibus hisce mendis quæ in nostris scriptis libris occurrunt. *Quatere, quassare, percutere faces*, formulæ obviæ. Vid. Heinsius ad iv. 758. Jactabantur enim inter eundem. *Croceum florem*. Narcissum. Flos hic Diis inferis sacer fingitur, ut qui floreat tantum et transeat, neque ullum ex se fructum edat; ita et ingenia præcocia haud facile perveniunt ad frugem. *Flos* autem ille etiam hodie juxta Heliconem plurimus reperitur, ut narrat *Chandler* in *Itiner.* cap. 64.

VI. Cognita res meritam vati per Achaidas urbes
Attulerat famam; nomenque erat auguris ingens;
Spernit Echionides tamen hunc, ex omnibus unus
Contemptor Superum, Pentheus; præsagaque ridet
Verba senis; tenebrasque et cladem lucis ademptæ
Objicit: ille movens albertia tempora canis, 516
“ Quam felix esses, si tu quoque luminis hujus

511—733. *Cognita res meritam*, etc.] Bacchus, emensus multas terras, Thebas venit. Pentheus vero, Echionis filius, Cadmi ex Agave nepos, cui Cadmus imperium tradiderat, quum sacra nova accipere nollet, Bacchumque adeo interficere conaretur, dilaceratus est ab Agave et sororibus, quas Bacchus eum in finem in furorem adegerat. Tractata est hæc fabula post Æschylum, cujus Pentheus interiit, ab Euripide in Bacchis. Habent eam Apollod. III. v. 2; Hygin. fab. 184; Philostr. Icon. I. Attingit etiam Theocrit. Id. 26. Cf. et Senec. Œd. 404—508. et similem loc. apud Virgil. Æn. vii. 385 sqq. Sine dubio Pentheus, quum furorem Bacchicum, qui totas interdum civitates invadebat, coercere vellet, a Bacchis occisus est. Ferociorem autem eum Ovidius descripsit, quam Euripides. Nullam autem transformationem hæc fab. habet; itaque Noster, ne instituti immemor videretur, inde ad versum 574. commode intexuit aliam. *Res*, vaticinium de Narcisso impletum; *cognita*, quum esset divulgata. *Vati*, Tiresiæ; redit enim eo, quo deflexerat carmen. *Achaidas*, Græcas. Apud Homer. omnes Græci Ἀχαιοί. *Achaidas urbes*. *Achaica* regio est Græciæ, Peloponneso contermina. *Auguris*. Aures ejus ita purgatæ erant, ut omnes avium voces auditu perciperet. Apollod. III. vi. 7. Apud Euripid. d. I. 347. sedes habet, ubi οἰωνοσκοπεῖ. Jam breviter notat mo-

res Penthei, qui ad hanc rem pertinebant, *Contemptor Superum*: ex omnibus, ex omni familia Cadmi. Cæteri venerabantur Bacchum: vid. ver. 564. *Tenebras*, ut σκοτός, de cæcitate. *Cladem*, damnum, quod passus erat, luce adempta. Aliter Tiresiam increpat apud Euripid. 255 sqq.

516. *Movens*.] Motus et agitatio capitis signum indignationis. Movet autem Tiresias tempora, et quidem senilia. Sed id graphice expressit, *albertia canis*, tempora cana. Ποιοὶ κρόταφοι. Anacr. Od. 56; et Hom. II. Θ. 518. senes vocat πολιοκροτάφους γέροντας. Tiresiam, qui quatuor generationibus post, Eteoclis et Polyneicis tempore, adhuc vixit, jam senem facit tempore Penthei, sequutus Euripidem, apud quem Bacch. ver. 258. Pentheus ei tribuit γῆρας πολίων: vid. Barnes. ad ver. 178. Et commode h. l. senectutis mentio fit; ea enim tanto majorem auctoritatem vati, tantoque majorem fidem ejus responsis conciliabat. Nec tamen omnino spernenda est altera lectio, *albertia tempora vittis*, maxime ob xiii. 643: Hinc Anius niveis circumdata tempora vittis Concutiens. Vittæ enim alba insignire solebat tempora augurum.

517. *Quam felix esses*.] Et ad risum et ad cladem oculorum verbis gravissimis respondet vates. Apud Euripid. 368. non μαντικῆ, sed τοῖς πράγμασιν edoctus veretur, ne Pentheus lucrum inferat Cadmi domo. Sed Ovid.

Orbus," ait, " fieres, nec Bacchia sacra videres !
Jamque dies aderit, jamque haud procul auguror
esse,

Qua novus huc veniat, proles Semeleia, Liber. 520
Quem nisi templorum fueris dignatus honore,
Mille lacer spargere locis, et sanguine silvas
Fœdabis, matremque tuam, matrisque sorores.
Evenient : neque enim dignabere numen honore ;
Meque sub his tenebris nimium vidisse quereris."'
Talia dicentem proturbat Echione natus : 526
Dicta fides sequitur ; responsaque vatis aguntur.
Liber adest ; festisque fremunt ululatibus agri :

vel nexus causa hæc novavit. *Bacchia sacra*, τελετὰς εὐόους, i. e. mysteria bacchica : vid. Perizon. ad Ælian. V. H. II. xxxi. 20. Dicta sunt, ut omnia sacra enthusiastica, *Orgia*, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, a furore, insania : vid. ad iv. 1. Intelliguntur autem h. l. prisca illa orgia, diversa ab Atheniensium Dionysiis, et trieterica dicta, quoniam a Thebanis tertio quoque anno celebrabantur, et quidem in monte Cithærone nocturnis discursibus : vid. Barnes. ad Euripid. ver. 133. et Perizon. ad Ælian. V. H. xiii. 2.

519. *Jam*, vox vaticinantium ; itaque repetitur non sine gravitate. *Novus*, non est recentior, diversus a priscis hujus nominis Diis, sed, ut Franciscus bene vidit, nobis adhuc incognitus. Eurip. ver. 219. ὁ νεωστὶ δαίμων ; ver. 256 et 272. ὁ δαίμων ὁ νέος. Sic sæpe *novus* apud Nostrum, *novi fluctus*, *nova monstra*, etc. i. e. adhuc ignota. *Veniat exquisitius, quam veniet*. Tibul. I. iv. 49 : *Tempus erit, quum me deducat*, ubi vide observationem Heynii.

521. *Quem nisi*, etc.] Nisi dignum eum judicabis, quem colas templis excitandis et dedicandis. *Honorare*

templis, aris, statuis, ut Græc. τιμῆσαι ναοῖς, etc. : vid. Perizon. ad Ælian. V. H. II. xxxi. 12. *Lacer spargere*, laceraberis et spargeris. *Fœdare*, de sanguine vulneratorum. Virgil. Æneid. ii. 492. *fœdantem sanguine ignes*. *Sub*, in, *tenebris*, ut vii. 2. *sub nocte*. In *sub tenebris vidisse* inest acumen.

527. *Responsa*, vaticinium : vide ad ver. 340. *Aguntur*, eventum habent. Idem est alterum *fides sequitur*.

528. *Adest*, nempe e Lydia. Euripid. 234. Thebis mulieres coegit βακχεύειν ἐν τῷ Κιθαιρῶνι. Apollod. Noster brevitate studio statim irruit in ipsum fremitum. *Agri fremunt*, βρέμουνσι, verbum proprium de Bacchantibus, unde Bacchus Βρόμος ; vid. Longin. xv. 6. *Ululatibus, iachais, ὀλοληγμοῖς*. Ipse Bacch. de se, Eurip. ver. 24. Thebas in Græcia primas ἀνωλόληξα, ululatu complevi. Nam ὀλολεῖν et *ululare*, etiam præ gaudio exclamare et ululare, sed de furibundo Bacchantium clamore in primis dicitur. *Ululabant* autem voces has, Εὐοὶ Βάκχε, ὦ Ἰακχε, Ἴω Βάκχε, Εὐοὶ σαβοῖ, unde ἐδάζειν τὰ ὄργια, quod Virg. Æneid. vi. 517. reddidit, *evareorgia*, i. e. evando celebrare orgia :

Turba ruunt, mixtæque viris matresque, nurusque,
 Vulgusque, proceresque, ignota ad sacra feruntur.
 “ Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, vestras
 Attonuit mentes ? ” Pentheus ait : “ ærane tantum
 Ære repulsa valent ? et adunco tibia cornu ?
 Et magicæ fraudes ? ut, quos non belliger ensis,
 Non tuba terruerint, non strictis agmina telis ; 535
 Fæminæ voces, et mota insania vino,

vid. Drackenb. ad Sil. ii. 101. *Festis*, quia conjuncti erant hujusmodi ululatus cum sacris Bacchi.

529. Inducuntur Bacchi thiasi. Virg. Ecl. v. 30 ; nam *θίασος*, *thiasus*, dicta est vocabulo proprio multitudo illa mixta et pompa, quæ Bacchum comitabatur : vid. Barnes. ad Eurip. ver. 56. *Mixtæque*, etc. *Feminæ* et *mares*, pauperes et nobiles sacris his arcanis interesse poterant. Euripid. ver. 208 sqq. Verba *ruunt* et *feruntur* egregie pingunt studium, quo superstitiosa et levis multitudo certatim advolat ad *ignota* (nam *ignota* et *nova* scire cupiunt) *sacra*. *Ruere* sic etiam xv. 729 ; Phædr. V. fab. i. 3. Significat enim sine ordine et summa cum contentione currere. *Matres* et *nurus* solenne Nostro, quum omnis generis et ætatis mulieres commemorat. Et *nurus* poetis omnis mulier. Brouckh. ad Propert. II. v. 26. *Mixtæ viris*. Eurip. 36 : *γυναικες ὁμοῦ δὲ Κάδμου παῖσιν ἀναμεμυμέναι*. *Proceres*, ipse Cadmus cum filiabus et Tiresia. Eurip. 299. *Vulgusque, proceresque* ; jam in libro i. 193 : *Fauniquæ, Satyrique*, etc. infra, libro iv. 10 : *Telusque, calathosque*. *Vulgatam* lectionem retinui- mus, quia hujus metri exempla reperuntur apud Virg., præsertim in Ecl. iv. 51 ; et Georg. i. 279. *Proceres* dicuntur, qui in civitate eminent, sicuti, in ædificiis, capita trabiura quæ proceres appellantur.

VOL. III.

531. *Quis furor* crebra vox indignantium. vi. 170 ; Virgil. Georg. iv. 495 ; Tibul. I. x. 33. *Anguigenæ*, Thebani ex anguis dentibus prognati, Græcis *Σπαρτοί*. Eorum urbs *dracoenigena*, Fast. iii. 865. Utrumque voc. ab ipso Ovidio signatum videtur ad formam *terrigena*, etc. *Proles Mavortia*, nam draco ille Martis filius fuerat.

532. *Attoniti*, qui, audito Bacchantium fremitu, et ipsi furorem concipiunt : vid. Iani ad Horat. I. Od. xvi. 7. *Æra*, cymbala, quorum usus in mysteriis Bacchi non minus, quam in sacris Cybeles ; multa enim utrisque sacris communia. Erant concava, atque inter se concussa, tinnitum acutum dabant, et pungentem veluti animos : vide Fast. iv. 189. *Repulsa*, pulsa, ut Tibul. l. iii. 24 ; viii. 22. *Adunco tibia cornu*, tibia Phrygia, inventa a Mida rege, et incurva, quum cæteræ tibias essent rectæ. Virgil. Æneid. xi. 737 : *Ubi curva choros indixit tibia Bacchi*. Cornu additum augebat sonum.

534. *Magica fraudes*.] Apud Euripidem, versu 234. Bacchus *γόνης* et *ἐπιδός*. Quum sacra Bacchi essent nocturna, arcana et cum multis præstigiis conjuncta, Pentheo videbantur *magicæ fraudes*. *Belliger ensis*, ut Martial. V. Epigr. xxv. *belligera hasta* ; Horat. Sat. i. 31. *hosticus ensis*. *Tubæ* usus erat in bellis ; vide ad i. 98.

C c

Obscœnique greges, et inania tympana vincant.
 Vosne, senes, mirer? qui, longa per æquora vecti,
 Hac Tyron, hac profugos posuistis sede Penates;
 Nunc sinitis sine Marte capi? vosne, acrior ætas,
 O juvenes, propiorque meæ, quos arma tenere, 541
 Non thyrsos, galeaque tegi, non fronde, decebat?
 Este, precor, memores, qua sitis stirpe creati;
 Illiusque animos, qui multos perdidit unus,
 Sumite serpentis: pro fontibus ille lacuque 545
 Interiit: at vos pro fama vincite vestra.
 Ille dedit leto fortes: vos pellite molles,

537. *Obscœni greges.*] Sil. Ital. xvii. 112. *Semiviri chori. Tympana*, orbis intenti corio, pulsabantur manibus et edebant sonum raucum. Euripid. 124. *βυρσότονα κυκλώματα*, et versu 156. *βαρύβρομα. Inania*, non timenda.

538. *Senes cum Cadmo e Phœnicia profecti orbem pererraverant:* vide ver. 6. Hos non omnes necasse videtur serpens a Cadmo interfectus. *Hac Tyron.* Tyros insula est Phœnicia: adjacens, a Tyro, Phœnicis filio, dicta. Est etiam Tyros Laconia: urbs, et insula in mari rubro. *Hac Tyron*, etc. Certum signum novæ sedis captæ, si *penates* ibi constituerentur. Novæ autem sedi nomen urbis, unde venerant profugi, imponi solebat. Expressit vero, ut Nauger. jam monuit, Virgil. *Æn.* i. 68: *Itium in Italiam portans victosque penates.*

540. *Acer de juvenili vigore. Propior meæ.* Elegantius Ascanius ad Euryalum, *Æneid.* ix. 275. *mea quem spatiis propioribus atas Insequitur.* *Thyrsus*, baculus aut hasta, quam gestabant, quaque terram pulsabant Bacchantes. Revinctus erat hederæ aut pampinis, unde ab Euripid. ver. 25. *κίσσινον βέλας*; ab Ovidio vero,

XIII. Epist. xxxiii. *pampina hasta vocatur:* vide mox, ver. 667. Speciem ejus e gemmis expressam habes apud Perizon. ad *Ælian.* V. H. iii. 18. et in Lipperti Dactyl. i. 184. 390. *Fronde.* Bacchantes coronati erant hederæ, pampinis aut aliarum arborum frondibus. *Tegi* verbum solenne in hac re. Vide Catull. lxiv. 257.

544. *Illiusque animos, etc.*] Solenne est posteris majorum facta in memoriam revocare. Argumentum autem hoc a serpente ductum non dedecet orationem in opere mythologico. *Fontes et lacus* eodem redeunt, sed dictum hoc ad formulam *pro avis et focis. Molles*, effeminati. Male Burmannus τῶν *pellite* præfert *perdite*, quod melius conveniat v. *dedit leto*. Immo vult minus dicere, ut duplex oppositio sit, *fortes—molles, leto dare—pellere*, quemadmodum ante *interiit—vincite. Revocare*, restituere, vocabulo vocis ad facta translato: vid. Gronov. Observ. ii. 19. Præfero tamen, quod omnes MSS. præter duos, habent, *retinete*. Heren. iii. 3. *retinere fortitudinem*, conservare. Velleius, II. lxxix. 5. *retinere dignitatem*, dignitatis memorem se gerere. Etiam in Nuce 51. *retinere decus.*

Et patrium revocate decus : si fata vetabant
 Stare diu Thebas ; utinam tormenta virique 549
 Mœnia diruerent ; ferrumque ignisque sonarent !
 Essemus miseri sine crimine ; sorsque querenda,
 Non celandâ foret ; lacrimæque pudore carerent.
 At nunc a puero Thebæ capientur inermi ; [rum,
 Quem neque bella juvant, nec tela, nec usus equo-
 Sed madidus myrrha crinis, mollesque coronæ, 555
 Purpuraque, et pictis intextum vestibus aurum.
 Quem quidem ego actutum, modo vos absistite,
 cogam
 Assumptumque patrem, commentaque sacra fateri.
 An satis Acrisio est animi, contemnere vanum

549. *Utinam tormenta.*] Instrumenta sunt bellica a torquendis lapidibus, aliisque missilibus dicta. *Sonarent.* Heinsius conjecturat *domarent.* Immo illud melius, diciturque non modo de igne (vide Drakenb. ad Sil. i. 129.) sed et de armis; confer Virgil. Georg. i. 447.

551. *Essemus—caverent.*] Idem ter dixit, quia urget id, quod caput rei est. Verbis *stare, diruere* et *capi* ira nimis auget rem. *Sorsque querenda.* Hoc est, sors nostra lamentatione quidem digna foret, non vituperatione. *Quem neque,* etc. Tibul. I. vii. 43: *Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus, Osiri* (quem cum Baccho confundebant Græci,) *Sed varii flores, et frons redimita corymbis; Fusa sed ad teneros ludea palla pedes, Et Tyriæ vestes, et dulcis tibia cantu.* Et ad ipsum Bacchum Horat. II. xix. 25: *Quanquam choreis aptior et jocis Ludoque dictus, non sat idoneus Pugnae ferebaris, sed idem Pacis eras mediusque belli.* Etiam secundum Eurip. 419. amat *ἄλβοδό-τεραν εἰρήνην.* Crinis Bacchi passim laudatur: vid. ad ver. 421. Eum ornare solebat. Eurip. 234: *ξανθοῖσιν*

βοστρυχοῖσιν ἐκκοσμος κόμην. *Madidus,* delibutus. Unguebantur autem Veteres etiam oleo myrrheo, de cujus præstantia vid. ad x. 500. *Molles coronæ,* nempe hederaceæ, unde Bacchus *κισσοκόμης:* *Semper hedera tempora vincita gerit,* Tibul. III. vi. 2. *Hederæ autem mollitudo* tribuitur a poetis. Virg. Ecl. v. 31. De *purpurea* Bacchi veste vid. Salmas. ad Tertullian. de Pallio, p. 329. Talem etiam Homerus, h. Bacch. 5. ei tribuit. *Pictis* eo ipso, quod aurum intextum. ii. 734.

557. *Lectio adsistite* convenit quidem verbis Eurip. 780. ubi Pentheus scutatos et equites arcessi jubet, sed non perinde moribus et consilio Penthei e notatione Ovidii sibi arrogat. *Absistite,* scilicet a sacris novis. *Assumptum,* quem falso sibi arrogat. xi. 789. *Assumptumque patrem;* Jovem quem ementitus est patrem. *Commentaque sacra,* conficta.

559. *An satis Acrisio.*] Acrisius Argivorum rex, oclusis portis, neque Deum hunc (Bacchum,) neque sacra ipsius admisit. De Acrisio Bacchum spernente vid. iv. 606 sqq. Sed *Argos*

Numen, et Argolicas venienti claudere portas ;
 Penthea terrebit cum totis advena Thebis? 561
 Ite citi" (famulis hoc imperat,) " ite, ducemque
 Attrahite huc vinctum : jussis mora segnis abesto."

Hunc avus, hunc Athamas, hunc cetera turba
 suorum

Corripiunt dictis, frustra que inhibere laborant.
 Acrior admonitu est ; irritaturque retenta, 566
 Et crescit rabies ; remoraminaque ipsa nocebant.
 Sic ego torrentem, qua nil obstabat eunti,
 Lenius, et modico strepitu decurrere vidi :
 At quacunque trabes obstructaque saxa tenebant,
 Spumeus, et fervens, et ab objice sævior ibat. 571
 Ecce cruentati redeunt ; et, Bacchus ubi esset
 Quærenti domino, Bacchum vidisse negârunt.

Deus ille serius profectus est. Apollodorus. Etiam Euripid. xx. ipse narrat, Thebas primam esse Græciæ urbem, quam intrârit. *Vanum*, quod non est numen. *Penthea*, cum emphasi, pro, me, confer xiii. 17. ubi Ajax, de Ulysse : *amulus Ajacis*. *Advena*. Bacchus quem non civem agnoscit Pentheus, nedum Deum. *Ite citi*, etc. Confer 355. *Ducem*, venerat enim cum comitibus.

564. *Avus*, qui in vivis adhuc erat, sed regnum Pentheo tradiderat, eum *inhibere*, coercere, laborat. Euripid. 330. Apud Euripidem, in Bacchis, non audit Cadmum, non Tiresiam. *Hunc Athamas* ; Æoli filius fuit Athamas, Cadmi gener.

566. *Acrior*, ferocior, iracundior fit ex iræ natura, quam poeta loquaciter quidem quatuor formulis indicat, sed egregie illustrat similitudine subjecta, in qua pro generali illo, *sic torrens decurrit*, melius, *sic ego torrentem decurrere vidi*. *Decurrere* proprie de fluviis,

qui fere ex altioribus locis defluunt. 570. *Obstructaque*.] Objecta. Vide Heinsium. *Tenebant*, cursum ejus morabantur. *Ober*, trabes obstructa, Fast. i. 563 ; *ober montis*, mons objectus ; *ab objice*, propter objicem. *Sævior*, rapidior. Vis aquarum cum *ira* et *sævitia* comparatur.

572. *Cruentati*.] Apud Eurip. 434. se vinciri patitur, sed ibi quoque comitem se Bacchi mentitur. *Cruentati* ; vulnerati a comitibus Bacchi, dum Bacchum et Bacchasprehendere tentarent. *Quærenti domino* ; tyranno. *Bacchum vidisse negârunt*. Famuli tamen in Bacchis Euripidis : Πενθεύ, πάροισμεν, τήνδ' ἄγραν ἡγρευκότες "Εφ' ἣν ἐπεψας, etc. Ipsum adducentes Bacchum, quem Noster Acætæ sub imagine inducit latentem. *Sacra Dei*, etc. Hunc quoque versum Heinsius et Burmannus spurium judicant. Recte. Poeta enim ipse hic loquitur ; is vero Bacchum non poterat ita nominare.

Hunc, dixere, tamen comitem, famulumque sacrorum

Cepimus : et tradunt manibus post terga ligatis,
Sacra Dei quondam Tyrrhena gente sequutum. 576

Aspicit hunc oculis Pentheus, quos ira tremendos

Fecerat : et quanquam pœnæ vix tempora differt,
“ O periture, tuaque aliis documenta dature [tum, Morte,” ait, “ ede tuum nomen, nomenque parent-
Et patriam ; morisque novi cur sacra frequentes.”
Ille metu vacuus : “ Nomen mihi,” dixit, “ Accetes ;

577. *Aspicit hunc.*] Bacchus mutata forma adducitur vinctus, minantique Pentheo et vitam suam enarrat et miranda Bacchi facta. Confer Homeri hymn. Bacch. p. 83. Ern. Hygini fabul. 134 ; Apollod. III. v. 3. Quæ Aglaosthenes in Naxicis tradiderat, excerpit Hygin. P. A. i. 17. Confer et Senec. (Ed. 449 sqq. et, qui paucis rem attigit, Propert. III. xv. 25. Omnes in eo consentiunt, *Tyrrhenos* nautas rapere voluisse Bacchum, eosque cunctos, præter gubernatorem pium, in delphinos esse mutatos, quum antea repente variæ navis partes hederæ et pampinis essent circumdatæ. Nempe ad commendanda sacra hujus Dei, ab homine et inter homines nati, fingenda erant multa miracula et exempla hominum ab eo punitorum. Post Homeric. hymn. plurimi et in eo conspirant, *Naxon* eum navigare voluisse, sive quia Naxicus scriptor primus fab. invenerat exornaveratve, sive quia illa insula Orgiis celebris. Commode autem Noster hæc admiscuit, partim quia metamorphosin habent, qua reliqua hujus fabulæ pars caret, partim quia Penthea docere poterant, quam potens ille Deus esset. Narratio hæc præclara est et morata in primis, longior tamen, quam ut furens

Pentheus omni aures præbuisse credi possit. Hoc sensit ipse poeta ; itaque versu 692 quasi excusationem sibi parat, sed non satis probabiliter ; qui enim attente diu alterum audit, eo ipso consilio, *ut ira vires mora assumere posset*, is, re cognita, non dirum supplicium decernit. Cæterum Lucian. in Dial. Marin. tradit, prælio victos esse Tyrrhenos a Baccho. *Tremendos*, igne micantes ; ignis enim *tremere* dicitur. *Edere*, ut i. 761. *Tuum nomen*, etc. Hæc tria fere olim quari solebant ex advenis.

582. *Acates*, Ἀκοίτης. Hoc nomen alii interpretantur vigilem, quia gubernatorem navis vigilem semper esse oporteat ; alii contra, tam pauperem, ut cubili careat : prius verum, alterum ineptum. Idem nomen gubernatori etiam apud Hyginum ; sed in Homero *Medides* dicitur. *Mæonia* est Lydia, a Mæonibus, priscis Lydiæ colonis, sic dicta. Etiam apud Euripid. 464. interrogatus ὄστις εἰ γένος, respondet, *Ἀυδία μοι πατρίς*. Sed paulo ante, versu 576. *Tyrrhena* gente profectus fingebatur, atque etiam, versu 696. *Tyrrhenus* vocatur. Etiam Homerus d. l. hos Bacchi vectores vocat *Τυρσηνοὺς*, a quo nec dissentiunt cæteri auctores, Apollod. Hygin. Lucian.

Patria Mæonia est: humili de plebe parentes.
 Non mihi, quæ duri colerent pater arva juvenci,
 Lanigerosve greges, non ulla armenta reliquit.
 Pauper et ipse fuit; linoque solebat et hamo 586
 Decipere, et calamo salientes ducere pisces.
 Ars illi sua census erat: quum traderet artem,
 Accipe, quas habeo, studii successor et heres,
 Dixit, opes: moriensque mihi nihil ille reliquit,
 Præter aquas: unum hoc possum appellare pa-
 ternum. 591

Mox ego, ne scopulis hærerem semper in isdem,
 Addidici regimen, dextra moderante, carinæ

Senec. *Œdip.* ver. 449. Nempe *Tyr-rheni* e prisca Pelasgorum stirpe fuerunt, atque etiam aliquandiu Lydiam incoluisse videntur: vide Heynium, in *Comment. de Castoris Epochis*, et *Excurs. III. ad Æneid. VIII. nostræ Editionis*, vol. iii. p. 482. Sed Hyg. qui eundem cum Nostro auctorem sequutus esse videtur, *Tyr-rheni*, inquit, *qui postea Tusci sunt dicti, quum piraticam facerent.* Nempe *Mæonia* dicta est etiam *Tuscia*, in quam priscis temporibus *Mæonum* colonia deducta esse vulgari Veterum errore credebatur: vide Heyn. d. l. Hinc Virg. d. l. *Mæonia juvenus* de Etruscis, et Sil. Ital. xv. 35. *Mæonius lacus* est *Trasimenus*. Et *Tusci* rei nauticæ studiosi erant, *Dionys. Halic. i. 25.* eosdemque sacris *Bacchicis* fuisse addictos e monumentis multis eorum apparet.

584. *Non mihi pater*, etc.] Describit se pauperimum, ad miserationem faciendam. Ornate effert tria vitæ genera. In *armentis* et *arvis* omnes olim divitiæ. Pauperrima autem erat *piscatorum* conditio: vid. Virg. *Æn. xii. 517* sqq. *Theocrit. Id. 21.* ibique *Harles.* qui et de instrumentis piscatoriis exponit. *Durus*, robustus et la-

boriosus, qui graves labores peragit. *Omnis vita rustica dura est. Linum, retia piscatoria. Decipere*, suaviter pro, capere. *Virgil. Georg. i. 139: fallere aves visco.* Verbum proprium est, *inescare, δελιάζειν.* *Salientes* a natura piscium. Confer *Art. Amat. i. 763.* et infra xiii. 923.

588. *Census*, divitiæ, opes, reditus, quia bona civium Romanorum in census deferebantur. *Studium*, vitæ genus, ut i. 694. ubi de venatu. *Jucunde successor et heres*, tanquam magnarum facultatum. *Jucunde* et illud, *nihil mihi reliquit præter aquas.*

593. *Addiscere*, discere aliquid præter id, quod jam tenemus. Simile est *addocere artes* apud *Horat.* *Nautarum* est, regere navem, nôsse sidera et portus. *Regimen*, gubernaculum, clavus. Jam sidera illa memorat, quæ præ cæteris nautas olim ducebant. *Olenia capella*, *Amalthea*, cujus lacte *Jovem* nutritum ferunt. Ea inter sidera relata locum suum habet in humero sinistro *Heniochi* sive aurigæ. *Hygin. Poet. Astr. ii. 13.* Vocatur *sidus pluviale*, et *Fast. v. 113. signum pluviale*, quia pluviam nunciat. *Taygete*, una ex *Pleiadibus.* *Hyades* stellæ

Flectere : et Oleniæ sidus pluviale capellæ, 594
 Taygetenque, Hyadasque oculis Arctonque notavi,
 Ventorumque domos, et portus puppibus aptos.
 Forte petens Delon, Chiæ telluris ad oras
 Applicor, et dextris adducor litora remis ;
 Doque leves saltus ; udæque innitor arenæ, 599
 Nox ubi consumpta est. Aurora rubescere primum
 Cæperat : exurgo, laticesque inferre recentes
 Admoneo, monstroque viam, quæ ducat ad undas.
 Ipse quid aura mihi tumulo promittat ab alto

in capite Tauri, quæ quum oriuntur et occidunt, largos imbres cient. Gellius N. A. xiii. 9. Quare *Hyades* sic dictæ, ἀπὸ τοῦ ἕειν. *Arcton*, Ursam borealem, *Cynosuram*, vel *Helicen*. *Ventorum domos*, regiones, unde spirant.

597. *Delon*.] Delos insula maris Ægæi. *Diæ*, verum esse non potest. *Dia* enim est eadem quæ *Naxos* (Plin. H. N. iv. 12.) in quam deferri *Bacchus* volebat, vers. 636. 690. Difficile est verum nomen hic reponere, quoniam nescimus, unde *Accetes* solverit, nec cæteri auctores aliquid certi suppeditant. In hymno *Homeric*. et ab *Hygin*. nullus locus commemoratur. Apud *Apollod*. *Bacchus* ex *Icaria* in *Naxon* transferri vult ; nautæ autem eam insulam præternavigantes *Asiam* petunt, ut prædam ibi vendant. Per *Asiam* *Heynius* intelligit *Asiam* proprie dictam, *Lydiæ* partem. At, qui, relicta *Icaria*, *Naxon* præternavigant, ii non deferuntur cursu in *Lydiam*, sed magis magisque ab ea discedunt. Revocavi antiquiorem lectionem eamque plurimorum codicum, *Chiæ*. Non autem intelligi. *Chios* insula celebris prope *Ioniam*. Quanquam enim *Lydus Delon* petens commode ad dexterum ejus litus appellere potuisset, non tamen *Naxon* ad dexteram ha-

buisset, sed e regione et longe remotam. Sed cogitandum videtur de *Ceo*, quam *Romani* nonnulli et *Ceam* dixerunt, et *Ptolem*. *Κίαν*, ut adeo forte et h. l. e consilio nonnullorum *Cia* rescribendum sit. Ea quinque millia passuum distabat ab *Helena*, quemadmodum hæc a *Sunio* totidem passus. *Plin*. *Hist. Nat.* iv. 12—20. Idem tradit, eandem et *Hydrussam* (ὕδρῳσσαν,) aquis abundantem, *Græcis* esse dictam. Ei igitur bene convenit, quod *Accetes* mox narrat, se *laticis inferendi* causa huc appulisse. *Ovidius* igitur, qui hæc suo modo exornavit, eum finxit e sinu *Saronico* solvisse. *Tellus*, etiam de insula dicitur poetis. Vid. *Heynius*, ad *Virgil*. *Æn.* iii. 73. in *Varr.* lect. *Adducere litora remis*, per metonymiam pro, *adducere remos, navem ad litora*. In vulgata *adducor litora remis* subauditur præpositio *ad*. *Saltus do*, exilio e nave in litus. *Leves*, ut *Horat.* II. *Sat.* vi. 98. *levis exilit*.

603. *Promittere* de bonis prognosticis, ut *denunciare* de malis *Virgil*. *Georg.* i. 453. *Sociorum* duodecim nomina habet *Hygin*. eadem fere, quæ h. l. *Noster* ea per totum locum disposuit, ne uno loco cumulata tædium afferrent. Erant autem illi secundum *Homer.* hymn. et alios piratæ ;

Prospicio ; comitesque voco, repetoque carinam.
 Adsumus en, inquit sociorum primus Opheltes ;
 Utque putat, prædam deserto nactus in agro, 606
 Virginea puerum ducit per litora forma.
 Ille, mero somnoque gravis, titubare videtur, [que :
 Vixque sequi : specto cultum, faciemque, gradum-
 Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam. 610
 Et sensi, et dixi sociis : Quod numen in isto [est.
 Corpore sit, dubito ; sed corpore numen in isto
 Quisquis es, o faveas ; nostrisque laboribus adsis.
 His quoque des veniam. Pro nobis mitte precari,
 Dictys ait ; quo non alius consendere summas
 Ocior antennas, prenoque rudente relabi. 616
 Hoc Libys ; hoc flavus, proræ tutela, Melanthus ;

neque piratica antiquissimis temporibus infamis erat. Secundum Serv. ad Virgil. *Æneid.* i. 71. *dormientem in litore rapiunt* ; sed apud Apollod. et Hygin. ipse conduit navem, ut Naxon deferatur. *Puerum.* Apud Homer. *νεηνίη ἀνδρὶ ἐοικώς.* Euripides, in *Bacchis*, versu 353. *θηλόμορφος ξένοσ.* Talis etiam in monumentis præsentatur. Confer iv. 18 sqq. *Mero somnoque gravis*, qui crapulam nondum edormivit. Homer. *Il. A.* 225. *οἶνοβαρήσ.* Heroid. xiv. 33 : *Cibo vinoque graves somnoque jacebant. Titubare* et lingua et pes ebriorum dicuntur. *Titubare videtur.* Vacillare mero somnoque simulabat se Bacchus, ne a nautis Deus esse cognosceretur.

609. *Specto cultum, faciemque, etc.]* Dii, quando formam humanam sumpserant, incesso, voce, oculis aliisque rebus declarabant, aliquid divini inesse sibi. Virg. *Æneid.* i. 327 ; v. 647 : de Iri in anum mutata, *Divini signa decoris Ardentesque notate oculis, qui spiritus illi, Qui vultus vocisque*

sonus, vel gressus eunti. Sed quærere libet, quomodo *titubanti gradus* divinus esse potuerit. *Quod numen, etc.* Gubernator in hymno Homeri : Ἡ γὰρ Ζεὺς ὅδε γ' ἐστίν, ἡ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων, Ἡὲ Ποσειδάων, ἐπεὶ οὖ θνητοῖσι βροτοῖσιν Εἶκελος.

614. *Pro nobis mitte precari.]* Accetis socii putantes se puerum, non Bacchum cepisse, non modo nolunt ipsum precari, ut sibi veniam, sed Accetis quoque preces ægre ferunt. Quare Bacchum iridentes atque contemnentes in delphinos omnes fuerunt conversi.

615. *Dictys ait ; quo non, etc.]* Non nuda nautarum nomina ponit, sed aspergit aliquid de singulorum virtutibus. *Dictys* laudatur ab agilitate, qua excellere laudi ducebatur nautis. *Antenna*, ligna illa transversa in malo, unde suspenduntur vela.

617. *Flavus*, qui habet flavos, i. e. pulchros capillos, de quibus ad ii. 319 et 749. Sic *ξανθὸς Μενέλαος* apud Homer. Cur autem pulchritudinem in hoc nauta laudaverit, non

Hoc probat Alcimedon ; et, qui requiemque modumque

Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus ;
Hoc omnes alii : prædæ tam cæca cupido est ! 620

Non tamen hanc sacro violari pondere pinum
Perpetiar, dixi ; pars hic mihi maxima juris ;

Inque aditu obsisto : furit audacissimus omni
De numero Lycabas, qui Thusca pulsus ab urbe

Exilium, dira pœnam pro cæde, luebat. 625
Is mihi, dum resto, juvenili guttura pugno

Rupit ; et excussum misisset in æquora, si non
Hæsissem, quamvis amens, in fune retentus. [chus,

Impia turba probant factum : tum denique Bac-
Bacchus enim fuerat, veluti clamore solutus 630

Sit sopor, aque mero redeant in pectora sensus,

video. Si, quum *Melanthus* nigrum notet, ludere voluit, lusus ille ineptus est. *Melanthus*, Hygin. *Melas*, quod forma quidem, non autem significatione differt. *Proræ tutela*, id est, proreta, *πρωράτης*, custos et gubernator, in prora navis. Alibi *tutela navis* est simulacrum Dei tutelaris in puppi collocatum. Vide Virgil. *Æneid.* x. 171.

619. Erat *Epopeus κελευστής*, *pausarius*, hortator remigum, qui remigibus *modum* dabat, et nunc pergere jubebat, nunc *cessare* ab opere, atque etiam canendo *animum* addebat defatigatis. Modum autem dabat vel *voce*, et interdum quidem satis acerba (Senec. *Epist.* 56.) vel portisculo, id est, malleolo, quem manu tenebat ; vide Gronovii *Observat.* iv. 26. et Drakenb. ad *Silium Italicum*, vi. 366. Locus elegans in eam rem est apud Xenoph. *Œcon.* xxi. 3. *Cæca*, temeraria, insana, quæ excæcat animum, quo minus videat, quid sit pium aut impium. Hyginus addit, eos propter

VOL. III.

formam constuprare Bacchum voluisse. Apud Homerum vinculis eum ligare volunt, sed illa sponte cadunt de manibus.

621. *Pondus*, quidquid imponitur navi corpus : xv. 694. sic est *onus* de corpore Dei navem premente. *Navis violatur* pondere, quia res impia est, Deum vi abductum in ea retinere. *Pars hic*, etc. Erat *Acœtes* gubernator navis. Homer. d. l. versu 15. Hygin. d. l. *Pars hic mihi maxima juris*. *Maxima*, inquit, *pars* hujus navis est mea.

626. *Juvenili*, adeoque forti. x. 675. *jecit juveniliter*, summa vi. *Rupit*, de conatu capiendum, rumpere voluit. Hygin. nil definit, *injuriam ab iis passus est*.

630. *Solutus sopor.*] *Solvitur* somnus, quum depellitur, fugit. *A mero*, post merum digestum. *Quo me deferre paratis*. Servius d. l. *experrectus in nave, quo duceretur, interrogavit. Responderunt illi, quo vellet. Liber ait, ad Naxum, insulam sibi sacram.*

D d

Quid facitis? quis clamor? ait: qua, dicite, nautæ,
 Huc ope perveni? quo me deferre paratis?
 Pone metum, Proreus, et quos contingere portus
 Ede velis, dixit; terra sistere petita. 635
 Naxon, ait Liber, cursus advertite vestros.
 Illa mihi domus est; vobis erit hospita tellus.
 Per mare fallaces, perque omnia numina jurant
 Sic fore; meque jubent pictæ dare vela carinæ.
 Dextera Naxos erat: dextra mihi lintea danti, 640
 Quid facis, o demens? quis te furor, inquit, Acæte,
 Pro se quisque, tenet? lævam pete: maxima nutu
 Pars mihi significat; pars, quid velit, aure susurrat.
 Obstupui; capiatque alius moderamina, dixi:
 Meque ministerio scelerisque artisque removi. 645
 Increpor a cunctis; totumque immurmurat agmen.
 E quibus Æthalion; Te scilicet omnis in uno
 Nostra salus posita est, ait: et subit ipse; meum-
 Explet opus; Naxoque petit diversa relictæ. [que

634. *Proreus* Græcis est is, quem Ovid. versu 617. *proræ tutelam* dixit. Ab Hygino in antiquo exemplari abfuit hoc nomen; itaque nonnulli putârunt, Nostrum ex nomine officii fecisse nomen proprium. Vid. Munker. ad Hygin. *Naxon*, vide ad ver. 577. *Naxos* insula est Ægæi Cycladum clarissima, quæ et *Dionysias* dicta fuit, ut inquit Solinus, vel quod hospita Baccho fuerit, qui Dionysius cognominatur, vel quod vini fertilitate alias Cycladas vincat; unde Virgilius, *Æneid.* iii. 125: *bacchutamque jugis Naxon*.

637. *Domus*, patria, *hospita*, benigno vos hospitio excipiet. Contra *inhospita tecta*, i. 218. ubi vide not.

638. *Per mare* jurare solebant nautæ. *Omnia numina*, bene notat levitatem nautarum. In externa proræ

parte *pingebatur* aut Deus navis tutelarior, aut aliud quoddam insigne, unde navi nomen esset, I Trist. x. 2; hinc *picta carina*. Sed interdum totam adeo navem pingebant.

642. *Pro se quisque*, καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος, quantum quisque potest. De formula *quis furor*, vide ad 531. *Quisque, tenet*. Nostri Regii, *timet*; errore facili; nam quid timendum fore crederent a juvene quem non agnoverant, isti nautæ perfidi? *Aure*, paulo insolentius, in aurem.

645. *Ministerium*, voc. nauticum. Virgil. *Æneid.* vi. 302. *velis ministrat*. Sic et Tacit. Mor. Germ. 44. *Artem* Lenzius interpretatur de fraude. *Æthalion*. Hyginus, *Ethalides*. *Explet meum opus*; vices meas peragit. *Diversa*, loca opposita, contrariam cœli partem spectantia.

Tum Deus illudens, tanquam modo denique
 fraudem 650

Senserit, e puppi pontum prospectat adunca.
 Et flenti similis; Non hæc mihi litora, nautæ,
 Promisistis, ait; non hæc mihi terra rogata est:
 Quo merui pœnam facto? quæ gloria vestra est,
 Si puerum juvenes, si multi fallitis unum? 655
 Jamdudum flebam: lacrimas manus impia nostras
 Ridet; et impellit properantibus æquora remis.
 Per tibi nunc ipsum, nec enim præsentior illo
 Est Deus, adjuro, tam me tibi vera referre,
 Quam veri majora fide: stetit æquore puppis 660
 Haud aliter, quam si siccum navale teneret.
 Illi admirantes remorum in verbere perstant;
 Velaque deducunt; geminaque ope currere tentant.
 Impediunt hederæ remos, nexuque recurvo

652. *Non hæc mihi, etc.*] Non hæc mihi litora promisistis, quæ non sunt litora, sed mare: non hæc terra, quæ non est terra, sed aqua, mihi rogata est. Burm. Lenzius vero putat, eum prospexisse jam Delon propinquam. Hanc interpretationem adjuvat Schepperi conjectura: *portum pro pontum. Quæ gloria, etc.* ut Tibul. I. viii. 49. *puero quæ gloria victo? Juvenes dici solent nautæ et remiges.*

658. *Præsens Deus*, qui nobis auxilio suo adest. Sed h. l. ambigue dictum videtur, et simul de præsentia corporis capiendum. Conf. xiv. 679. *Veri fide*, ut Heroidd. xvi. 60. *Veri vix habitura fidem*: vide Heinsium.

662. *Remorum in verbere.*] Pergunt verberare mare (*τῶπτειν ἕλα* Homer.) remis. Similiter piscator *verberat amnem funda*, Virg. Georg. i. 141. *Vela deducunt* ex antennis, ubi, quamdiu opus iis non erat, ligata pendebant, ut *gemina ope*, velis remisque, *currant.*

Lenzius contra: contrahunt vela, antea expansa, tanquam in vado essent, et geminatis viribus remos movent.

664. *Impediunt hederæ remos.*] In hymno Homeri, vinum fluit per navem, mox in velo expanditur vitis, malum cingit hederæ, scalmique omnes coronis ornantur. Hyginus: *remos in thyrsos mutavit, vela in pampinos, rudentes in hederam.* Hæc igitur auctor quisque suo modo exornavit, omnium copiosissime Seneca, (Æd. 451—456. ubi etiam mare in pratium mutatur. Similia phœnomena leguntur, iv. 394: Claudian. x. 188. *Venerè adventante*, et xxiv. 366. Baccho per æquora rubra navigante, ubi nostrum locum respexit, in quo omnia fere Bacchi insignia ostenduntur. *Impediunt*, cingunt, ut sup. ii. 433. Hederæ brachiis suis, sive claviculis, quas plurimas inter folia emittit, omnia amplectens bene *serpere* dicitur, eique *nerus* tribuuntur. *Serpit* adeo

Serpunt; et gravidis distinguunt vela corymbis.
 Ipse, racemiferis frontem circumdatus uvis, 666
 Pampineis agitât velatam frondibus hastam.
 Quem circa tigres, simulacraque inania lyncum,
 Pictarumque jacent fera corpora pantherarum.
 Exiluere viri; sive hoc insania fecit, 670
 Sive timor; primusque Medon nigrescere pinnis

circum tempora, Virgil. Ecl. viii. 13. Noster vi. 128. *Nexiles hederæ*. Ejus racemi in orbem circumacti, ut, in vite, *corymbi*. *Gravidi*, ut *gravidæ aristæ*, i. 110. *Distinguunt*, per intervalla ornant. Plin. V. Ep. vi. 16: *Xystus distinctus buxo*. *Distringere* huic loco aptius quam *distinguere*, pro *ornare*, existimo. Caput Bacchi plerumque hederâ cinctum, interdum tamen et pampinis, ut monumenta antiqua docent. Itaque *uvæ* in hoc miraculo offendere non debent. *Umbris*, quod Burmanno placet, nunc nimis foret poeticum, nec quisquam facile *racemiferas* dixerit umbras. *Agitat*, more Bacchantium jactat. *Pampineis agitât velatam*, etc. Thyrsi descriptio et periphrasis. Catullus, de Nuptiis Pelei et Thetid. 257: *Horum pars tecu quatiebant cuspidè thyrsos*.

668. *Quem circa tigres*, etc.] Tigres, lynces et pantheræ significant terrificas species, imagines et phantasmata quæ ebriorum oculis et animis observantur. *Tigres et pantheræ*, a Baccho in India devictæ junguntur ejus curru, iisque addebantur etiam *lynxes*. Bene *inania* de hac illusionè miraculosa: iv. 404. *falsa sævarum simulacra ferarum*. *Pictæ*, maculosæ. Sic *pieturatæ aves*, Claudian. 40. 3; *lynxes Bacchi variæ*, Æneid. i. 323.

670. *Exiluere viri*, etc.] Seneca, qui hunc locum respexit, omnes nautas una mutatione complectitur. *Brachia prima cadunt prædonibus*, *Illisum-*

que utero pectus coit, *Parvula dependet lateri manus* *Et dorso fluctum curvo subit*, *Lunata scindit cauda mare*. Sed Noster plures nautas separatim et in actu quodam in novam formam trans-euntes ostendit, atque ita per partes et in pluribus transformationibus delphinorum formam naturamque describit, de qua vide ii. 265. Ex hac fabula delphinus vocatur *Tyrrhenus piscis*, Seneca, Agam. 451. *Sive hoc—timor*. Scriptores utroque trahunt. In hymn. Homer. quum unus in leonem mutatus impetum in reliquos faceret, hi metu perterriti prosiliunt in mare et delphini fiunt. Etiam apud Hyginum et Servium leonibus et pantheris repente procurrentibus terrentur. Sed alteram causam Apollodorus habet, *ἑμμανεῖς γενόμενοι*. Apud Aglaosthenem, Bacchus comites suos symphoniam canere jubebat, qua audita, Tyrrheni saltare incipiebant, saltantesque in mare se projiciebant inscii. Etiam ab Apollodoro *βοῆ ἀνλῶν* commemoratur. *Pinnæ (Finnen)* instrumenta natandi piscibus loco manuum et pedum datæ. Tales pinna delphini in ventre habent duas, *nigra* cute obductas, sed et dorsum, in quo una pinna sesquipedalis, nigrum colorem refert, quemadmodum venter album. Hoc nomine deceptus Lactantius, in Argument. nobis narrat, nonnullos in *aves* esse mutatos. *Depresso*, quum antea erecto, ut humo, fuisset. *Flecti* quoad *curvamina*, quia delphinus corpus repandum.

Corpore depresso, et spinæ curvamina flecti
 Incipit: huic Lycabas, In quæ miracula, dixit,
 Verteris? et lati rictus, et panda loquenti
 Naris erat, squamamque cutis durata trahebat. 675
 At Libys, obstantes dum vult obvertere remos,
 In spatium resilire manus breve vidit; et illas
 Jam non esse manus, jam pinnas posse vocari.
 Alter ad intortos cupiens dare brachia funes, 679
 Brachia non habuit; truncoque repandus in undas
 Corpore desiluit: falcata novissima cauda est;
 Qualia dividuæ sinuantur cornua Lunæ.
 Undique dant saltus; multaque aspergine rorant;
 Emerguntque iterum; redeuntque sub æquora
 rursus; 684
 Inque chori ludunt speciem; lascivaque jactant
 Corpora; et acceptum patulis mare naribus efflant.

673. *In quæ miracula*, in quam mirram horrendam faciem verteris. Virgil. Georg. iv. 441: *Omnia transformat sese in miracula rerum*. Noster, iv. 590: *teque his—exue monstris*. Jam Scal. reprehendit Ovid. quod *squamas* tribuerit delphino.

676. *Obvertere remos* idem quam, *inhibere remis*, *πρὸ μὲν κρούσασθαι*, converso remigio retrorsum ire, quod facere solent fugam meditantés. *Obstabant* enim remi, ut navis cœptum cursum tenere non posset: *obvertere navem* vertit Cicero illud Arateum, *ἀνακόπτειν νῆα*.

678. *Jam pinnas*.] Nostri Regii habent *pennas*: parvi refert, nam *pinnas* piscium pro *pennis* piscium accipi posse nequaquam dubium est.

679. *Funes*, retinacula ancorarum. *Tortos funes* dixit Virg. Æneid. iv. 575. *Dare*, extendere, porrigere. *Trunco*, sine manibus. *Falcari* et

sinuari, curvari in formam falcis et sinus. Hæc verba quum et ipsa similitudini inserviant, similitudo, quæ aspergitur, commode abesse poterat. *Novissima*, extrema pars caudæ. *Dividua luna*, quum dimidius ejus orbis cernitur: vide Heins. Ab hac lunæ phasi fluxit verbum *lunari*, curvari. *Lunata cauda* delphinis tribuitur a Seneca.

683. *Undique dant saltus*.] Amant delphini non solum *saltus* et altissimos et velocissimos, verum etiam ejusmodi *lusus*, quales hic describuntur. *Lasciva*, quia in chori speciem ludunt. *Lascivi* autem dicuntur chori et saltationes propter motum molliorem. Tibull. II. i. 88: *Noctis currum sequuntur lascivo Sidera fulva choro*. In capite foramen habent quo *acceptum mare*, haustam aquam marinam efflant, quod idem et balænas maximo cum strepitu facere sciunt.

De modo viginti, tot enim ratis illa ferebat,
 Restabam solus; pavidum gelidumque trementi
 Corpore, vixque meum firmat Deus, Excute, di-
 cens,

Corde metum, Diamque tene. Delatus in illam,
 Accensis aris, Baccheia sacra frequento." 691

"Præbuimus longis," Pentheus, "ambagibus
 Inquit, "ut ira mora vires absumere posset. [aures,"
 Præcipitem famuli rapite hunc; cruciataque diris
 Corpora tormentis Stygiæ demittite nocti." 695

Protinus abstractus solidis Tyrrenus Acœtes

Clauditur in tectis; et, dum crudelia jussæ

Instrumenta necis, ferrumque ignisque parantur,

Sponte sua patuisse fores, lapsasque lacertis

Sponte sua, fama est, nullo solvente, catenas. 700

Perstat Echionides; nec jam jubet ire, sed ipse

687. *Viginti.*] Hyginus duodecim habet. *Vix meum*, vix memorem mei, exanimatum. Similiter Græci utuntur suo ἐμός. Monente Heinsio *firmat*, animum mihi addit. *Diam tene*, tene viam quæ ducit ad Diam. *Dia*, Naxos, quam Strongylem, dein Dian, mox Dionysida, etc. appellârunt. Plin. lib. IV. cap. 22. *Accendi*, caleferi. Ita *accensæ undæ*, Silius, v. 605; ubi vide Drakenb. Hinc et *uræ* dicuntur *accendi*, in quibus sacra fiunt. Tura autem dari Baccho solebant, iv. 11. Fit ergo Acœtes *famulus sacrorum* Bacchicorum, versu 574. In hymno Homericò Deus eum retinet, facitque πανόλιον.

692. *Præbuimus longis*, etc.] Vide ad ver. 577. Sine nexu grammatico, e natura iræ, mox convertitur ad famulos. *Præcipitem rapite*, maxima cum vi et celeritate auferte. *Demittite nocti*. Virgilius *demittere orco* dixit Æneid. ix. 527; et *demittere*

corpora nocti, Æneid. x. 662. Sed Noster *demittere Stygiæ nocti*, ex cujus imitatione Silius Italicus, v. 241: *damnavit Stygiæ nocti*. Apud Euripidem, eum vult ligare ad præsepe; sed insaniam correptus, loco Bacchi, taurum alligat.

696. *Solida tecta*, carcer bene munitus. Sic iv. 645. *solida mania*; et vi. 573. *mænia solido saxo*. *Crudelia*, crudelitati inservientia. Ex *instrumentis necis* ardentes laminæ commemorantur a Cic. Verr. v. 63. quo etiam h. l. *ferrum et ignis* respicere videntur. *Nullo solvente* otiosum videtur Capoferreo, quia præcessit *sponte sua*, quod ideo mutat in *innocuis*. Male. Solet Noster passim ita redundanter loqui, ut i. 90. *quæ vindice nullo*, *Sponte sua*, *sine lege*, et versu 100. *Ipsa per—se*, ubi vide notam. Et nunc quidem illud *sponte sua*, in quo vis miraculi, urgentum erat.

701. *Perstat Echionides.*] Exitus

Vadit, ubi, electus facienda ad sacra, Cithæron
Cantibus et clara bacchantum voce sonabat.

Ut fremit acer equus, quum bellicus ære canoro
Signa dedit tubicen, pugnæque assumit amorem :
Penthea sic ictus longis ululatibus æther 706
Movit, et audito clangore recanduit ira.

Monte fere medio est, cingentibus ultima silvis,
Purus ab arboribus, spectabilis undique campus.
Hic oculis illum cernentem sacra profanis 710
Prima videt, prima est insano concita motu,
Prima suum misso violavit Penthea thyrsu
Mater : “ Io, geminæ,” clamavit, “ adeste sorores :
Ille aper, in nostris errat qui maximus agris, 714
Ille mihi feriendus aper.” Ruit omnis in unum
Turba furens : cunctæ coeunt, cunctæque sequuntur

Pentheï, quem apud Euripid. vers. 1023—1151. nuncius narrat. *Cithæron* electus ad orgia celebranda, quia Bacchus amat montes, unde ipse ὄρειος. *Cithæron*, mons Bœotiæ, de quo Virg. *Æn.* iv. 303 : *Thyus, ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron;* et Seneca, *Œd.* 487 : *sacer et Cithæron sanguine inundavit.*

704. *Fremit*, hinnit. *Acer*, ferox, generosus. *Longis*, diu continuatis uno tenore. *Ictus*, motus. Vide ad ix. 583. Apud Eurip. 910 sqq. insania injicitur Pentheo, ut duos soles, duasque Thebas cernere sibi videatur, atque ita Bacchico habitu vestitus ludibrio spectantium exponitur. Eum auctorem sequuti sunt alii, etiam poetæ Latini, Pacuv. et Virg. *Æneid.* iv. 469. Ab his Noster discedens *ira* potius eum motum usque ad finem servat. *Clangore*, nempe cymbalorum.

708. *Monte medio.*] Describitur

Cithæron, ad cujus radices vallis erat opaca pinibus. Euripid. *Bacch.* ver. 1050. Dianæ hanc silvam sacram fuisse, Pseudo-Virg. *Cid.* 108. memorat. *Purus* et καθαρὸς dicitur locus ab arboribus nudus. Liv. xxiv. 14; *purus et patens campus. Spectabilis*, qui totus spectari potest, oculis patet.

710. *Hic oculis illum*, etc.] Secundum Euripid. 1040 sqq. ex arbore spectantem conspiciunt Cadmi filiæ lapidibusque petunt et thyrsis; tum, arbore eruta, delapsum lacerant. *Profanis*, non initiatis, ἀβακχεύουσιν, Eurip. ver. 472. *Insano concita motu*, θεοῦ πνοαίσιν ἐμμανής, ibidem, versu 1092. *Mater* erat sacerdos Bacchi; Euripid. 1112. *Ille aper.* Pentheus matri Bacchi furore correptæ *aper* esse videtur, sed apud Euripid. *leo*; Apollod. omnino θηρίον. *Prima* cum vi repetitum; nam id quoque Bacchi opus, quod mater *prima* fecit ista.

716. *Cunctæ coeunt, cunctæque sequuntur* dedit Heinsius ex altero Pa-

Jam trepidum, jam verba minus violenta loquentem, 717

Jam se damnantem, jam se peccâsse fatentem.
 Saucius ille tamen, “ Fer opem, matertera,” dixit,
 “ Autonoe; moveant animos Actæonis umbræ.”
 Illa, quid Actæon, nescit; dextramque precanti
 Abstulit: Inoo lacerata est altera raptu.
 Non habet infelix quæ matri brachia tendat;
 Trunca sed ostendens disjectis corpora membris,
 “ Aspice, mater,” ait: visis ululavit Agave; 725
 Collaque jactavit, movitque per aera crinem;
 Avulsumque caput digitis complexa cruentis
 Clamat, “ Io comites, opus hæc victoria nostrum
 est.”

Non citius frondes autumnno frigore tactas, 729

tavino; malit tamen *rabidaeque sequuntur*. Schepper. *fremituque*. Quæ lectio non displicet; hanc confirmare videtur Euripides versu 1129; quem loc. Noster expressit, *ὄχλος τε πᾶς Ἐπεΐχε Βακχῶν ἦν δὲ πᾶσ' ὁμοῦ βοή*. Cæterum *cunctæ coeunt* languet post antecedentia.

719. *Fer opem, matertera.*] Apud Euripid. primam matrem implorat, quod sane veri est similis, præsertim quum mater agmen mulierum duceret, primaque in filium impetum faceret. Verba ejus ver. 1118 sunt, *Οἰκτερε ὦ, ὦ μήτηρ, μέ, μηδὲ ταῖς ἐμαῖς Ἀμαρτίαισι παῖδα σὸν κατακτάνης*. Sensus eorum et vim angoris Noster paulo ante, *Jam trepidum—fatentem*, bene et per gradationem expressit; et matrem mox versu 724, multo gravius, quam verbis, movere vult, *Trunca*, etc. *Actæonis*, dilaniati et ipsius, *umbræ* hic bene adhibita.

721. *Dextram* protendere solent precantes. Verba *Non habet*, etc.

referuntur ad antecedentia *dextram precanti*. *Disjectis* non erat sollicitandum ab Heinsio; Eurip. 1134. quælibet *διοσφαίριζε σάρκας*, tanquam pilam jactavit, ita ut pars sub saxis jaceret, pars in densis frondibus silvæ, neque facile reperiri posset.

726. *Collaque jactavit.*] Bacchantes solebant et caput et comam, quam promissam atque solutam gerebant, jactare. Eurip. ver. 493: vide Barnes. ad ver. 150. et Virgil. *Æneid.* vii. 394. *Avulsum caput*. Hinc intellige Horat. Serm. II. iii. 303. Codex Regius B. *opus hoc victoria nostra est. Opus nostrum*. Eurip. ver. 1177: *Ἐμόν, ἐμόν τὸ γέρας*. Et Bacchum vocat *καλλίνικον*, pulchræ *victoriæ* auctorem.

729. *Frondes.*] Folia. *Autumno*, autumnali. *Tactas* eleganter, paululum morsas. Auson. Id. viii. 10: *Mordeat autumnas frigus subtile pruinas*. Et sæpe *autumnus dies, autumnna tempestas*. *Male*, non satis firmiter, ut

Jamque male hærentes alta rapit arbore ventus,
 Quam sunt membra viri manibus direpta nefandis.
 Talibus exemplis monitæ nova sacra frequentant,
 Turaque dant, sanctasque colunt Ismenides aras.

Horatius, libro I. Sat. iii. 31 : *et male
 laxus In pede calceus hæret. Alla,
 tantum ornat. Quam sunt, etc.* Mu-
 lieres id effecere non robore suo, sed

Deo ἐπιμάριον addente earum mani-
 bus. Euripid. 1126.

733. *Ismenides.*] Thebanæ, ab Is-
 meno, fluvio Bœotix, in qua Thebæ.

N. B. Argumentum hujus libri quarti Metamorphoseon
relatum invenies in serie CANTERI, supra pag. 53.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER QUARTUS.

FAB. I.

AT non Alcithoe Minyeïas orgia censet
Accipienda Dei; sed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat esse Jovis; sociasque sorores
Impietatis habet. Festum celebrare sacerdos,

1—415. *At non Alcithoe Minyeias.*] Tractârunt hanc fabulam etiam Ælianus V. H. iii. 42. atque e Nicandro et Corinna Anton. Lib. x. Ac hi quidem aliud facinus addunt, quod unum de mulieribus illis Plutarch. Quæst. Græc. tom. vii. Opp. p. 197. Reisk. narrat. Hanc quoque fabulam apud nos elegantissimis carminibus imitati sunt poetæ summi, *Lafontaine* et *Voltaire*: ambo laude digni; sed prior antiquitatis sincerum saporē magis redolet. *Minyeias*; sic recte emendârunt Scaliger et Heinsius hoc nomen, quod jam Lactantii tempore corruptum erat; in ejus enim Argumento est Minei filia. *Minyeides* quæ fuerint, non certo definiri potest, quum patronymica sæpe nepotibus, pronepotibus et omnino posteris tribuantur. Si Plutarchum et Anton. audias, fuerunt Minyæ filia. De Minya autem ejusque genealogia, vid. Pausan. Bœot. p. 783. Fuit filius Chrysæ, filiumque habuit Orchomenum, conditorem Orchomeni urbis. Sed nihil

ille de his mulieribus. Æliano dicuntur *Μινύων θυγατέρες*, ut fuisse dicantur e populo Minyarum, id est, populo Minyæ imperio subjecto; Pausan. d. l. et Corinth. p. 178. Nomina earum varie exhibentur. Nostro una est *Alcithoe*, altera *Leuconoe*; tertiam non nominat. A Plutarcho vocantur *Leucippe*, *Aristippe*, *Alcithoe*; ab Æliano, *Leucippe*, *Arsippe*, *Alcathoe*: quæ varietas vel librariis debetur, vel, ut sæpe in mythis factum, ipsis auctoribus. Fuisse autem illæ (quod et Ælianus tradit) mulieres honestæ videntur maritorumque amantes, quæ domi rei familiari operam dare mallent, quam nova sacra frequentare. Hinc, ut sacris illis honos accederet, pœna ficta est, quam Bacchus ab istis sumpserit. De *Orgiis* vide ad iii. 518. *Accipere*, celebrare. Eodem sensu *capere orgia*, Virg. Æn. vii. 403. *Temeraria*, impia in Deum, etiam vi. 32.

4. *Sacerdos*, Tiresias. Bacchantes *pellibus*, cervorum et damarum tegi solebant, quæ dicebantur *nebrides*;

Immunes operum dominas, famulasque suorum,
 Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas, 6
 Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos,
 Jusserat; et sævam læsi fore numinis iram
 Vaticinatus erat: parent matresque nurusque;
 Telasque, calathosque infectaque pensa reponunt;
 Turaque dant; Bacchumque vocant Bromiumque
 Lyæumque, [matrem.
 Ignigenamque, satumque iterum, solumque bi-
 Additur his Nyseus, indetonsusque Thyoneus, 13

nam νεβρός est hinnulus: vide Schol. Eurip. ad Phœn. ver. 798. *Tegere*, verbum proprium in sacris, quum vel caput velatur sertis, vel in Bacchanalibus corpus nebridibus. *Crinales vittæ*, vittæ, quibus crines coercebantur. Bacchantes enim, ut modo vidimus, passis capillis currere solebant. Etiam apud Virgil. *Æneid.* vii. 403. hæc orgia sic indicuntur, *Solvite crinales vittas*. *Serta*, frondes pampineos aut hederaceos. *Læsi*, spreti.

10. *Telasque, calathosque.*] En jam tertio animadvertimus, vide lib. i. 193. et iii. 530. hoc quantitatis mendum non extare in nostris Codicibus qui habent *Et telas, calathosque*. Recentiores editores, auctoritate Virgilii freti, qui aliquando τὸ *que* cæsurae vicem gerens longum fecit, illud in Ovidium sine metri jactura intulerunt. Quamobrem vulgatam lectionem non mutavimus. Vide ad iii. 350. *Calathi* erant in vasis muliebribus, fiscellæ e viminibus factæ, quæ ab ima parte angustæ, paulatim se in latitudinem laxabant, Græce τάλαιοι. Etymol. M. τάλαιος, καλαθίσκος, κόφινος. Speciem *calathi* dat Spanhem. ad Callim. p. 652. In eo *pensa* sua reponere lanificæ. *Infecta*, pro imperfecta, paulo insolentius dictum. Sic et vi. 202. *Reponunt*, etc. Re-

lictis rebus omnibus accurrunt. Expressit Euripides, in Bacchis, versu 117. ubi ruunt ἀφ' ἰστών, παρὰ κερκίδων, a telis et a radiis.

11. *Bacchumque vocant*, etc.] Argumentum recenset hymnorum, quibus celebraverint Bacchum. Hymni enim complectebantur nomina, virtutes et res gestas Deorum: vid. Orpheus, hymn. 51. ubi eadem fere nomina. Et habemus hic locum classicum de Baccho, quocum cf. III. Fast. 713; Horat. ii. Od. 16; Senec. *Ædip.* ver. 404 sqq. *Bromius*: vide ad iii. 528. *Lyæus*, qui curas solvit, a λύειν. *Ignigena*, πυρογενής. De hoc et de sqq. duobus ver. vid. iii. 309 sqq. et quæ nos et ibi et ad versum 253, notavimus. Nomen autem *bimater* ab ipso Ovidio signatum videtur. Græcis hanc ob causam διθυρος dictus a multis creditur: vide Mureti Var. Lect. xix. 1.

13. *Nyseus* a *Nysa*, monte et urbe Indiæ, ubi educatus. iii. 314. *Thyoneus* ἀπὸ τοῦ θύειν, a furendo, unde et Bacchantes *Thyades*. Schol. Apollon. ad Argon. i. 636. *Indetonsus* pro *intonsus*, ἀκυρεκόμης, frequens et Apollinis et Bacchi epitheton, ob comam promissam, quam etiam in monumentis habent. *Longæ comæ* Bacchi, apud Martialem, iv. Epigr. 45:

Et cum Lenæo genialis consitor uvæ, [Evan ;
 Nycteliusque, Eleleusque parens, et Iacchus, et
 Et quæ præterea per Graias plurima gentes
 Nomina, Liber, habes : tibi enim inconsumpta ju-
 Tu puer æternus, tu formosissimus alto [ventas ;
 Conspiceris cœlo : tibi, quum sine cornibus adstas,
 Virgineum caput est. Oriens tibi victus, ad usque
 Decolor extremo qua tinguitur India Gange. 21

Decet intonsus crinis utrumque Deum,
 apud Tibullum, I. Eleg. iv. 38.

14. *Lenæus ἀπὸ τοῦ ληνῶς*, a torculari, a calcatorio. *Genialis uva*, quæ facit, ut genio indulgeamus, læti et hilares simus, egregium adeo uvæ epitheton, *genialis platanus*; xi. 95. Virgil. Georg. i. 302. *genialis hiems*, apta conviviorum hilaritati. *Nyctelius*, cujus sacra noctu celebrantur. Virgil. Georg. iv. 521. *nocturnus Bacchus*. *Eleleus*, *Iacchus* et *Evan* a vocibus Bacchantium. Scil. *Eteleus* a voce ἐλελεῦ qua procedentes ad Orgia celebranda, ad conferendam pugnam, utebantur. Vinum autem hortatur ac reddit hominem audacem ad omnia aggredienda; unde Horatius: *ad prælia trudit inermem*. *Iacchus ἀπὸ τῆς ἰακχῆς*, hoc est a clamore. *Evan* vox est qua Bacchus ipse significatur.

17. *Nomina, Liber, habes.*] Repente, veluti furore abreptus et ipse, Liberum alloquitur. Similiter Claudianus, xxxiv. 29; forte ex imitatione Nostri. *Inconsumpta, ἄφθορος*, perpetua, æterna. Tibul. I. iv. 37: *Solis æterna est Phæbo Bacchoque juvenus*. Dicitur *Juventas* Dea juventutis; hanc igitur vocem, magis poeticam, cum Heinsio servandam censeo. Additur *puer*, nam media est Bacchi ætas inter juvenem et puerum, Fast. iii. 773. Fuisse autem Bacchum *formosissimum*, docet Brukhuisius, ad Tibul. II. iii. 35. Hinc et *caudidus*

vocatur, apud Horatium, I. Od. xviii. 11; quo epitheto virgines fere insigniri solent. *Conspiceris*, pro *es*, non modo sonantius, sed etiam efficacius ad sensum. Nam *conspici* dicuntur, qui dote aliqua aut virtute insignes, aliorum oculos in se conversos tenent. *Cælo* Bacchus impositus post victorias partas, versu 613. Regius et Burmannus putant, Ovidium hic sequi eos, qui Solem et Bacchum eundem esse trãdebant; quam rationem sane Virgil. Georg. i. 5—7. sequutus est. *Cornua* parva dantur Baccho non tam a pictoribus, quam a poetis. Deponi poterant; hærebant enim non in capite, sed in filamine quodam. Erant autem cornua apud Veteres symbolum majestatis et potentia: vid. Th. Bartholin. de Unicorn. cap. 2 et 3. Hinc Bacchus *corniger*, *κεραῖος*, *κερασφόρος*, *ταυρόκερος*. De *virgineo capite* vide ad iii. 607. *Ad usque*. Usque ad eam terram, qua.

21. *Decolor extremo*, etc.] De expeditione Bacchi Indica, cujus crebra apud poetas mentio, vid. Nonni Dionysiaca et Diod. Sic. lib. iv. *Liber* pater primus omnium cum exercitu, in quo mulieres quoque erant furentes, in Indiam ingressus fuisse, eamque subegisse, ac gentem nulli unquam hominum obnoxiam, ac sola quiete contentam, cædibus libidinibusque vexâsse ac polluisse, indeque magnificentissimum triumphum reportâsse fertur. *Decolor* de colore vitiato et

Penthe tu, venerande, bipenniferumque Lycurgum
 Sacrilegos mactas ; Tyrrhenaque mittis in æquor
 Corpora : tu bijugum pictis insignia frenis 24
 Colla premis lyncum : Bacchæ Satyrique sequun-
 Quique senex ferula titubantes ebrius artus [tur ;
 Sustinet, aut pando non fortiter hæret asello.

deformi dicitur. H. I. color fuscus intelligitur. Fusci enim sunt Indi propter solis æstum: Tibul. II. vi. 12; vid. Brouckhus. ad Propert. IV. iii. 10. *Furvam gentem* Indos dixit Juvenalis, xii. 86. Nempe *furvos* dicebant recentiores, quos antiqui *fuscus*. *Decolor Indus* est etiam, vid. Trist. III; et *decolor India*, Senec. Hipp. 344. *Colorati Indi*, nempe Æthiopes, Virgil. Georg. iv. 293. *Tingitur*, exquisitius quam, irrigatur, et quod quinque et nostri Regii habent *cingitur*. India non cingitur Gange. Suadet Burmannus *finditur*, quia India in duas partes ab eo flumine dividitur. Hodie quidem, sed Ovidii temporibus *Ganges* erat terminus India; vide Q. Curtium, viii. 9; hinc *extremus Ganges* dicitur.

22. *Penthe tu.*] In laudibus Bacchi commemorari etiam solet poena, qua affecerat contemptores orgiorum suorum. *Venerande*, sancte; vox solennis in invocationibus Deorum. *Lycurgus*, Dryantis filius, Edonum in Thracia rex, cujus impietas et supplicium varie narratur: vid. Homer. II. Z. 130 sqq.; Schol. Hor. ad II. Od. xix; Hygin. fab. 132; Diod. Sic. iii. 64; Plutarch. de aud. poet. p. 6. ed. Krebs.; Apollod. III. v. 1. Apud Homerum, Bacchi nutrices cum *bipenni* persequitur, eamque ob causam a Jove excæcatur; juxta Hyginum vero, quum Bacchum de regno fugasset, pantheris objicitur ab eodem Deo, postquam insania correptus uxorem et filium interfecerat. *Bipennifer* vocatur etiam V. Trist. iii. 39.

Securiger, Senec. Ædip. versu 471. Apud Homerum d. I. fert *βουπλήγα*, quod, interprete Eustath. genus securis significat, quo tauri occidi solebant: *βουπλήξ δὲ—πέλεκυς βοός ἀνααιρετικός*. *Sacrilegos*, contemptores sacrorum et insolentes in Deum ipsum. *Tyrrhena corpora*, Tyrrhenos. Fast. iii. 723. *Tyrrhena monstra*. *Frenis pictis*, auro argentoque distinctis.

25. *Colla premis*, scilicet jugo. *Lynces*: vide ad iii. 668. *Satyri*, perpetui et fideles Bacchi comites: vide xi. 89; Trist. V. iii. 37. *Satyri* nihil aliud hominis quam figuram habent. In Æthiopia nascuntur, aduncis naribus, aspera cornibus fronte, pedes caprinos habentes. Illorum saltatione ac jocis et risu plurimum oblectabatur Bacchus. *Senex*, Silenus, Bacchi præceptor et perpetuus comes. In monumentis antiquis vel ferula nitens, vel asino insidens repræsentatur: vide Perizon. ad Ælianum, V. H. iii. 18; ubi ex utroque genere gemmæ. *Ferula*, *νάρθηξ*, baculus oblongus, cavus et recipiendo igni aptus, quo in primis Bacchus et ministri ejus uti solebant; vide Barnes. ad Eurip. Bacch. ver. 147. et Perizon. d. I. ubi ejus species expressa. Imitatus Nostrum est Claudianus, Rapt. Pros. i. 19: *Ebria Mæoniis fulcis vestigia thyrsis*. Virg. Æneid. iii. 659: *trunca pinus vestigia firmat*. *Artus*, pedes. *Non fortiter hæere*, non firmiter insidere. Cic. pro Dejot. 10: *Vir hæere in equo senex poterat*. Silenus asino hærens in monumentis tenetur a Fauno.

Quacunq̄ ingrederis, clamor juvenilis, et una
 Femineæ voces, impulsaque tympana palmis, 29
 Concavaque æra sonant, longoque foramine buxus.
 Pacatus, mitisque, rogant Ismenides, adsis;
 Jussaque sacra colunt: solæ Minyeïdes intus,
 Intempestiva turbantes festa Minerva,
 Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant, 34
 Aut hærent telæ, famulasque laboribus urgent.
 E quibus una levi deducens pollice filum,

30. *Concavaque æra*, cymbala ærea. *Longoque foramine buxus*. Periphrasis est tibiæ quæ ex buxo fieri solet. *Longo foramine* explicandum, longa serie foraminum, docent Noster xii. 158. *longave multifori*—*tibia buxi*; Horatius etiam, Art. P. 203. *tibia tenuis simplexque foramine pauco*; et Virgil. qui, Æneid. ix. 618. Phrygiæ tibiæ *biforem cantum* tribuit. Heinsius conjecturat *uncoque foramine*, quod multo durius foret altero. Immo lectio Heinsii, sensu carens, nostræ explanationi omnino repugnat.

31. *Pacatus* et *mitis*, vocabula solennia in invocationibus Deorum. *Rogant Ismenides*. Thebanæ matres, ut felix faustusque adsis, precantur.

32. *Solas* has Deo adversatas esse, monet etiam Ælianus. *Intus*; in ædibus, quum reliquæ mulieres in Cithærone bacchantur. *Turbare*, profanare quod, 390. substituitur. Cic. H. R. 16: *sacra ludosque conturbare*; Quinctil. Decl. 265. *publica sacra turbare*. *Intempestiva Minerva*, quum alieno tempore operam darent lanificio, cui Minerva præerat. Ælian. *αὶ μὲν περὶ τοὺς ἰστούς εἶχον καὶ ἰπορῶντο περὶ τὴν Ἐργάνην*. *Textis operari Minervæ* dixit Tibul. II. i. 65. *Aut ducunt*—*laboribus urgent*, triplex mulierum Græcarum opus. *Ducunt*

lanas. Vid. ad ii. 411. Plenius Claudian. xx. 385: *Vellera per tenues ferri producere rimas*. *Versari* a lanificis dicitur et *stamen*, filum, et *fusus*, ut 221; vii. 22; Tibul. II. i. 64: *Fusus appposito pollice versat opus*. *Hærent rei*, aut in re aliqua, qui sedulo eam tractant. *Hære in libris*, Cic. Attic. xiii. 4: *Hære in jure*. Orat. i. 38.

36. *Una*, Leucippe. *Deducere*: vide ad i. 4. *Levi pollice*, ut vi. 22. Hercules contra, Epist. ix. 77: *crassa robusto deducit pollice fila*. *Detinet*, lanificio occupatas retinet. Etiam ab Anton. vrr. *φίλεργοι*. *Opus levemus* ipse explicat, *quod tempora longa videri Non sinat*. Infra 295. sic *minuere laborem*. Virgil. Georg. i. 293. *texens mulier longum cantu solatur laborem*. Sed cum hoc loco confer in primis Georg. iv. 345. ubi Clymene inter sorores vellera carpentes Deorum amores narrat. *Vario sermone*, variis fabellis vicissim narrandis. *Vacuas*, non occupatas aliis rebus audiendis; iii. 319. *vacua Juno*. Sic sequitur longum episodium usque ad ver. 388: quo comode jocosæ aliquot et amatoriæ fabellæ intextuntur, quæ vix melius, quam a mulieribus confabulantibus, narrantur. Earum numerum auget *dubitatio primæ mulieris* et præteritio tertiæ 276—284.

Dum cessant aliæ, commentaque sacra frequentant,
 “ Nos quoque, quas Pallas, melior Dea, detinet,”
 inquit,

“ Utile opus manuum vario sermone levemus ; 39
 Perque vices aliquid, quod tempora longa videri
 Non sinat, in medium vacuas referamus ad aures.”
 Dicta probant, primamque jubent narrare sorores.
 Illa, quid e multis referat, nam plurima nôrat,
 Cogitat ; et dubia est, de te, Babylonia, narret,
 Derceti, quam versa squamis velantibus artus 45
 Stagna Palæstini credunt celebrasse figura ;
 An magis ut sumptis illius filia pennis
 Extremos albis in turribus egerit annos :
 Nais an ut cantu, nimiumque potentibus herbis,
 Verterit in tacitos juvenilia corpora pisces, 50
 Donec idem passa est : an, quæ poma alba ferebat,

45. *Dercetis* sive *Derceto* et alio nomine *Atergatis*, Dea Syriorum. Ei Venus læsa amorem juvenis ejusdam inspiravit, ex quo Semiramis enixa præ pudore se in lacum præcipitavit, in quo in piscem mutata juxta Ascalonis stagnum colebatur, ejusque imago ex parte hominem, ex parte piscem referebat. Diod. Sic. iii. ; Plin. H. N. v. 32. *Filia* ejus Semiramis a columbis educata credebatur. *Versa squamis*, in squamas, ut alibi, *mutatus tauro*. *Velare* de plumis et squamis dicitur. *Palæstini*, Syri ; nam Syriæ pars erat Palæstina. *Celebrat locum is*, qui frequenter in eo versatur.

47. *An magis ut sumptis*.] Semiramis, *Dercetis* Deæ filia, miro quodam modo a columbis lacte coagulato e proximis pastorum mapalibus raptò nutrita fuit, unde et *Semiramis* fuit appellata ; nam, Syrorum lingua, semiramides vocantur columbæ, quas Syri, ut Deos, colebant. *Sumere peu-*

nas aut *alas*, pro in avem mutari, amat Ovid. v. 288 ; xi. 789 ; XII. i. *Albis in turribus*. Noster, Trist. I. ix. 7 : *Aspicis, ut veniant ad candida tecta columba ; Accipiat nullas sordida turris aves ;* itemque Martial. Epigr. xii. 31 : *Quæque gerit similes candida turris aves*. Amant autem columbæ loca altiora. Ex his fabulis Syri et pisces et columbas in Deorum numero habebant. Hygin. f. 197.

49. *Nais*.] De *Naide* hac nihil certi commemorari potest. Lactant, in Arg. eam ait similiter cecidisse in piscem. *Cantu et herbis* utebantur veneficæ, vii. 98. *De potentibus herbis*, vide ad i. 522. *Tacitos*, mutos, ἄλοπαç, ut qui pulmonibus, arteria et gutture careant. *An, quæ poma alba*. *Mori arboris* est periphrasis. *Morus* enim arbor fructus primum albus, deinde nigros Pyrami ac Thisbes sanguine effectos fert.

Ut nunc nigra ferat contactu sanguinis arbor.
 Hæc placet; hanc, quoniam vulgaris fabula non est,
 Talibus orsa modis, lana sua fila sequente :

“Pyramus et Thisbe, juvenum pulcherrimus alter,
 Altera, quas Oriens habuit, præolata puellis, 56
 Contiguas tenere domos, ubi dicitur altam
 Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.
 Notitiam, primosque gradus vicinia fecit;
 Tempore crevit amor: tædæ quoque jure coissent,
 Sed vetuere patres: quod non potuere vetare, 61

54. *Lana sua fila sequente* eleganter, dum lana deducitur in fila; *sequi* de rebus ductilibus. Vide ad Plin. VII. Ep. ix. 11.

55. *Pyramus et Thisbe* Babylonii, triste amoris infelicissimi exemplum, quorum sanguine mori poma aspersa nigrum contraxerunt colorem. Cæterum a nullo alio scriptore antiquo tractata est hæc fabula, et, nisi facta ab Ovidio, certe ut *non vulgaris* et ex Oriente translata, diligenter exornata. Valde autem afficit animos legentium. *Ætas* amantium, castus eorum amor, durities parentum, error quo trahuntur, tristes denique eorum exitus, multum valent ad commovendum animum. Omnia inter se conspirant ad fidem faciendam, atque ad naturæ veritatem moresque amantium notata sunt.

57. *Contiguas domos.*] Ex hoc versu apparet, has domos habuisse communem parietem, quas, qui distincte loqui volunt, *continuas* (quod etiam h. l. est in Varr. lect.) aut *continentes* dicunt. *Contiguæ* enim aut *attiguæ* eæ etiam dici possunt, quæ se invicem attingunt. Hoc nunc præstat, quia versu 66. demum monetur, has domos *communem parietem* habuisse. *Altam coctilibus muris.* *Babylonia*, Juven. x. 171. vocatur a *figulis munita*. Similiter et Noster eam circumloquitur; ejus enim maxime memorabiles *muri*,

a Semiramide excitati, et in miraculis mundi adeo numerati: *coctiles*, quia instructi erant latere coctili, bitumine interliti. Habebant altitudinem centum cubitorum, unde *urbs alta*: vide Curt. V. i. 24 sqq. et qui ibi laudantur ab Interpp. Alias *ultæ urbes* sunt celebres et valentes opibus. De altitudine murorum et turrium variant Interpretes; vid. Farnab. ad hunc locum.

59. *Primos gradus*, scilicet amoris, quod haud dubie subintelligendum est e versu sequenti, nisi malis cum aliis *notitiam primosque gradus* per *Hendiadyn* exponere, primos gradus *notitiæ*.

60. *Tædæ—coissent*, matrimonium quoque iniissent. Satis enim notum, in nuptiis *tædas* præferri solitas sponsis. Hinc *tæda* poetis de ipsis nuptiis, de ipso matrimonio ix. 721; xv. 826. *Coire*, ut *συνερχεσθαι*, de conjugibus. Jam *coissent jure tædæ* fere dictum est, ut ibid. 15. *sociata fædere lecti*, et infra vii. 403. *thulami fædere jungit*. Ros. Schirach. hic aliquid humani passus est. Quum enim verba ita jungeret, *tædæ quoque coissent*, idque *jure*, fieri haud poterat, quin ad interpretationem durissimam deferretur; *tædas* enim de amore accipit, qui se conjunxisset jure.

61. *Patres* possent esse omnino *pa-*
 F f

Ex æquo captis ardebant mentibus ambo.
 Consciis omnis abest; nutu signisque loquuntur:
 Quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis.
 Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim, 65
 Quum fieret paries domui communis utrique:
 Id vitium nulli per secula longa notatum,
 Quid non sentit amor? primi sensistis amantes;
 Et vocis fecistis iter; tutæque per illud
 Murmure blanditiæ minimo transire solebant. 70
 Sæpe, ut constiterant, hinc Thisbe, Pyramus illinc,
 Inque vicem fuerat captatus anhelitus oris;

rentes, ut alibi *fratres* pro fratribus et sororibus, *reges* pro rege et regina; vide Bentl. ad Horat. I. Sat. v. 100. Rectius tamen nunc sensu vulgari capies; namque versu 153 Thisbe ait, *miseri, meus illiusque, parentes*, ubi soli patres intelliguntur, qui duriores fere matribus in ejusmodi rebus esse solent. Post *patres* posui interpunctionem maximam, quam vir doctus apud Clarck. ad Hom. II. Γ. 39. et alius in Observatt. Miscel. Vol. II. t. i. p. 34. suasit. In vulgata lectione falsa est sententia. *Ex æquo*, ambo pariter, unus æque ac altera; ix. 719. Plin. Paneg. 83. de marito ac conjuge, *probatu ex æquo*. *Captus* de amante. *Nutu*, etc. Venus docet vel viro *coram nutu conferre loquaces*, *Blanda-que compositis abdere verba notis*. Tibul. I. ii. 22. *Quoque magis*, etc. Sententia amoris naturam bene adumbrans, verbisque tropicis expressa similitudinem involvens. *Tegitur*, celeri cogitur. *Tectus magis*. *Magis* hic *eo magis* intelligendum; vide Drakenb. ad Livium. i. 25. *Æstuat*, calorem efficit.

65. *Fissus erat tenui rima*.] Ut solertiam amantium notaret, hæc de *rima* pluribus persequutus est. Pro-

peritius. II. xiii. 72: *nunc licet per rimosas mittere verba fores*. Pro eo Noster mox jucunde, *vocis facere iter*. Et *ducere* et *agere rimam* Latinum est; vide Ciofan.

68. *Quid non sentit amor*.] Parenthesis est, rationem continens, cur amantes primi rimam illam notârint. Virgilius de Didone: *Quis fallere possit amantem*. *Tutæ*, quæ non interciperentur, ut literæ. *Murmur* solenne de submissis et lenibus amantium confabulationibus. Art. Amat. ii. 723. *murmur amabile*. *Minimo* et 83 *parvo*, ut xi. 187. *vox parva*.

72. *Captatus anhelitus oris*.] *Anhelitus oris* est ipsum illud murmur *minimum*, idque *captabatur* auribus. Heroid. xix. 53. *captare voces auribus*; iii. ex. P. iv. 19. *captata per aurem*. *Invidia* eleganter tribuitur rebus inanimis, quæ prohibent aliquid fieri. Sic libro x. 642. *Detulit aura, preces ad me non invida blandas*; sic Rem. Am. 103. *durum limen*, quod excludit amantem; et Art. Amat. iii. 150. *crudelis janua*. Plerumque acerbius amantes in ejusmodi obstacula invehere solent; sed nostri amantes leniore sunt ingenio, quod et ipsum eos commendat.

“Invide,” dicebant, “paries, quid amantibus ob-
stas ?

Quantum erat, ut sineres nos toto corpore jungi ?
Aut hoc si nimium, vel ad oscula danda pateres !
Nec sumus ingrati : tibi nos debere fatemur, 76
Quod datus est verbis ad amicas transitus aures.”

Talia diversa nequicquam sede loquuti,
Sub noctem dixere, Vale ; partique dedere
Oscula quisque suæ, non pervenientia contra. 80

Postera nocturnos Aurora removerat ignes,
Solque pruinosas radiis siccaverat herbas ;
Ad solitum coïere locum : tum murmure parvo
Multa prius questi, statuunt, ut nocte silenti
Fallere custodes, foribusque excedere tentent ; 85
Quumque domo exierint urbis quoque claustra re-
linquant :

Neve sit errandum lato spatiantibus arvo,
Convenient ad busta Nini, lateantque sub umbra
Arboris : arbor ibi, niveis uberrima pomis,
Ardua morus, erat, gelido contermina fonti. 90

78. *Sedes.*] Locus, ubi stabant. *Diversa*, opposita. *Nequicquam* pertinet ad votum illud, ut latius paries pateret. *Pars*, nempe parietis.

81. *Postera nocturnos Aurora*, etc.] Sic libro vii. 100. *Postera depulerat stellas Aurora micantes*. Hic elegantior *nocturnos ignes*, nam stellæ sunt cæli faces. *Custodes*, janitores.

86. *Urbis claustra* ex uno Bononiensi dedit Burmannus pro *tectu*. Etiam si nostri Regii habeant *tecta*, consentimus tamen Burmanno ; nam *tectu* de domibus, non de urbibus quæ clausæ non tectæ sunt. Quod ad *septa*, rarius est ; at Lucretius : *na-*

turæ portarum claustra et *vitæ claustra* ; Juvenalis Satyr. viii. *laxarant portarum claustra* ; Statius, Thebaidos x. 644. *Thebarum claustra*. Infra viii. 70. *portarum claustra*. *Bustum*, sepulcrum, monumentum sepulcrale, *τύμβος*. Sic *bustum Sardana-pali*, Catulli, aliorum apud Cic. *Proprie bustum locus*, in quo cadaver combustum et sepultum ; vide Kirchm. de Funeribus Roman. lib. III. cap. i. init. Miror tamen a Nostro *busta* hic commemorata, quum Romæ meretrices fere ad *busta* commorarentur, unde *bustuaria mœche*.

90. *Fons* hic memoratur propter versum 93.

Pacta placent ; et lux, tarde decedere visa
 Præcipitatur aquis, et aquis nox surgit ab îsdem.
 Callida per tenebras, versato cardine, Thisbe
 Egreditur, fallitque suos ; adopertaque vultum
 Pervenit ad tumulum ; dictaque sub arbore sedit.
 Audacem faciebat amor : venit ecce recenti 96
 Cæde læna boum spumantes oblita rictus,
 Depositura sitim vicini fontis in unda.
 Quam procul ad lunæ radios Babylonia Thisbe
 Vidit ; et obscurum trepido pede fugit in antrum ;
 Dumque fugit, tergo velamina lapsa relinquit. 101
 Ut lea sæva sitim multa compescuit unda,
 Dum redit in silvas, inventos forte sine ipsa
 Ore cruentato tenues laniavit amictus.
 Serius egressus, vestigia vidit in alto 105
 Pulvere certa feræ, totoque expalluit ore
 Pyramus : ut vero vestem quoque sanguine tinctam
 Repperit ; “ Una duos nox,” inquit, “ perdet a-
 [mantes ;

91. *Lux pro sole. Decedere* solenne de occidentibus sideribus. *Pu- tant sumptum a præsidibus provincia- rum post expletum tempus a munere suo abeuntibus. Immo a militibus translatum ; vide ad ii. 114 sqq. Præ- cipitatur*, prona via descendit in ocea- num ; ii. 67 sqq. *Virgil. Æneid. ii. 9 : nox cælo præcipitat. Porro, nox surgit*, quia poetæ ei non minus, quam Soli, decursum per cælum tribuunt, ita quidem, ut vel ab Oriente surgens Solis currum persequatur, vel, Sole in oceanum se præcipitante, ab eadem illa parte occidentali surgat. *Lactan- tius in Argumento narrat, eos matu- tino tempore ibi convenisse.*

93. *Venus favet, si reserat fixo dente puella fores, docetque, pedem nullo ponere posse sono ; idque docet non*

nisi eos, quos *Non vetat obscura sur- gere nocte timor*, ut ait *Tibul. I. ii. 18 sqq.* Ejus rei hic habemus exem- plum, atque etiam ejus, quod idem de potentia Cupidinis ait : *Hoc duce custodes furtim transgressa jacentes Ad juvenem tenebris sola puella venit.* Vide *Tibul. II. i. 75. Versato cardine.* Alibi *furtim verso aut tacito cardine clam egredientes fores aperire dicun- tur, Tibul. I. ii. 10 ; vi. 12.*

97. *Cæde boum.] Sanguine boum cæsorum, ut supra iii. 143. cæde fera- rum. Deponuntur omnia, quæ finiun- tur, quibus quis liberatur ; vide viii. 47.*

100. *Nostris Regii habent timido ; videant Critici, an trepido nimiam agitationem notat ac minus conveniat puellæ. Noster, i. 506. penna trepi- dante.*

E quibus illa fuit longa dignissima vita !
 Nostra nocens anima est : ego te, miseranda, pere-
 In loca plena metus qui jussi nocte venires ; [mi,
 Nec prior huc veni ! nostrum divellite corpus, 112
 Et scelerata fero consumite viscera morsu,
 O quicumque sub hac habitatis rupe, leones !
 Sed timidi est optare necem." Velamina Thisbes
 Tollit, et ad pactæ secum fert arboris umbram ;
 Utque dedit notæ lacrymas, dedit oscula vesti :
 " Accipe nunc," inquit, " nostri quoque sanguinis
 haustus ;"

Quoque erat accinctus, demittit in ilia ferrum :
 Nec mora ; ferventi moriens e vulnere traxit. 120
 Ut jacuit resupinus humi, cruor emicat alte ;
 Non aliter, quam quum vitiato fistula plumbo
 Scinditur, et tenues stridente foramine longe
 Ejaculatur aquas ; atque ictibus aera rumpit.
 Arborei fœtus aspergine cædis in atram 125
 Vertuntur faciem ; madefactaque sanguine radix
 Pœniceo tinguit pendentia mora colore.

Ecce, metu nondum posito, ne fallat amantem,

116. *Pactæ arboris*, ad quam venire constituerant.

118. *Haustus sanguinis*, profluentem sanguinem : vii. 333 ; xiii. 331. *Traxit e vulnere*, quo celerius, sanguine emisso, expiraret. *Fervens vulnus* eleganter, vulnus, ex quo ebullit sanguis calidus. Quod Virgil. *Æneid.* iv. 689. dixit, *stridit vulnus*, id Noster similitudine illustrat.

121. *Humi.*] Nostri Codices, *humo*. Non tanti fecerunt grammaticæ regulas scriptores antiqui, ut ab ea nunquam recederent ; quod jam observavimus in Cæsare nostro. Ita hoc loco *humo*, pro *humi*, non est inso-

litum. *Vitari*, scindi ; supra, *vitium* parietis, rima. *Ejaculatus* sanguis etiam vi. 260. describitur partim iisdem, partim aliis verbis. Nam, quod hic est, *ictibus aera rumpit*, id ibi non minus ornate, *terebrata prosilit aura*. Mox, *Arborei fatus—colore*, idem bis rursus dixit.

128. *Fallere amantem*, formula solennis de puellis, quæ non præsto sunt ad dictum locum, se frustra expectari sinunt. *Oculis animoque req.* summum desiderium exprimit. Plin. VI. Ep. x. 2 : *illum animus, illum oculi requirebant*. Similiter *animo oculisque sequi*, infra xii. 529. *Gestit ver-*

Illa redit ; juvenemque oculis, animoque requirit ;
 Quantaque vitârit narrare pericula gestit. 130
 Utque locum, et versam cognovit in arbore formam,
 Sic facit incertam pomi color, hæret : an hæc sit,
 Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
 Membra solum, retroque pedem tulit ; oraque buxo
 Pallidiora gerens, exhorruit, æquoris instar, 135
 Quod tremit, exigua quum summum stringitur aura.
 Sed, postquam remorata suos cognovit amores,
 Percutit indignos claro plangore lacertos ;
 Et laniata comas, amplexaque corpus amatum,
 Vulnera supplevit lacrimis, fletumque cruori 140
 Miscuit, et gelidis in vultibus oscula figens,
 “ Pyrame,” clamavit, “ quis te mihi casus ademit ?
 Pyrame, responde : tua te, carissime, Thisbe
 Nominat, exaudi ; vultusque attolle jacentes.”
 Ad nomen Thisbes oculos, jam morte gravatos,
 Pyramus erexit, visaque recondidit illa. 146
 Quæ postquam vestemque suam cognovit, et ense

bum delectum ex moribus puellæ servatæ.

133. *Tremebunda*, etc.] Vide ad iii. 125. *Ora gerens* nec Heinsio nec Schirachio satis Latinum videtur. Sed si Horat. I. Od. viii. 10. recte dixit, *brachia livida gestare* ; Noster autem, ii. 585. *pectora nuda gerere* ; Virgil. *Æneid.* i. 315. *virginis os habitumque gerens*, cur, quæso, improbemus *pallida ora gerere* ? *Buxus* pallore notabilis originem dedit proverbio, *buxo pallidior* : cf. xi. 417. *Exhorruit*, *æquoris instar*. Tremor ille gelidus, qui perstringit membra exhorrescentium, suaviter comparatur cum tremulo mari, quum *summum*, superficies, *exigua aura*, leni vento, strin-

gitur. Singula verba delecta sunt. Etiam *exhorrescere* de mari paululum commoto ponitur ; vide Virg. *Georg.* iii. 198.

138. *Percutit.*] Quidam, *perculit*. At *percellere* est, in terram dare, evertere : *percutere* autem, verberare, plangere ; vide Burmannum late de discrimine horum verborum disputantem. *Indignus*, ut i. 509. *Clarus*, ut ii. 625. *Vulnera supplevit lacrimis*, nil esse potest, nisi, quod sequitur, *fletumque*, etc. *Vultus jacentes*, languentes, vel quiescentium, vel, ut h. l. morientium oculi, qui et *graves* aut *gravati* dicuntur. *Ad nomen*, ut iii. 245.

Vidit ebur vacuum; “Tua te manus,” inquit,
 “amorque
 Perdidit, infelix! est et mihi fortis in unum
 Hoc manus; est et amor, dabit hic in vulnera vires.
 Prosequar extinctum; letique miserrima dicar 151
 Causa, comesque tui: quique a me morte revelli
 Heu! sola poteris, poteris nec morte revelli.
 Hoc tamen amborum verbis estote rogati,
 O multum miseri, meus illiusque, parentes, 155
 Ut, quos serus amor, quos hora novissima junxit,
 Componi tumulo non invideatis eodem!
 At tu, quæ ramis arbor miserabile corpus
 Nunc tegis unius, mox es tectura duorum,
 Signa tene cædis; pullosque, et luctibus aptos 160

148. *Eburnæ* vaginæ magno olim in honore. Homer. Od. Θ. 404. Virgil. *Æneid.* ix. 305. *In vulnera*, scilicet infligenda. Sæpe sic in ad designandum propositum.

151. *Prosequar* e Sixti codice prætuli τῶ *persequar*, quum illud etiam Burm. placeret. Qui enim alterum comitatur, is eum *prosequi* potius dicitur quam *persequi*. Etiam 550 cum multis sic corrigendum. *Quique revelli*. Hoc acumen abhorret a natura desperantis.

156. *Serus* dedi ex uno Moreti. Elegans hæc lectio etiam Heynio, ad Tibul. I. ii. 89. videbatur, si *serum amorem* interpreteris, qui diu jam viguit, non nuper demum natum. Ego vero intelligo extremum; ultima enim et extrema *seru* dici solent, ut docuit Bruckhus. ad Propert. I. xv. 21. Atque ita bene convenit alteri, *hora novissima*. *Componi* nunc simpliciter, condi. Alibi *componere*, ut περιστῆλειω, omnem curam exprimit, quam pollinctores impendunt cadaveribus. *Non invidetis, μὴ φθονεῖτε*, sinite,

permittite. *Invidere* omnino, non tribuere. Horat. II. Sat. vi. 83. *neque sepositi ciceris invidit*, largiter apposuit. Virg. *Æn.* iv. 350: *Quæ invidia est? quid impedit, quo minus fiat? Aliter* Schirach. “Non invidetis unum nobis tumulum, adeoque conjunctos eodem sepulcro condatis.”

160. *Pullosque, et luctibus aptos.*] Codex Regius B. a prima manu *nigrosque et luctibus aptos*; glossa est: nam vox *pullus* magis moro convenit quam niger; præterea *pullus* color, non niger omnino, in luctibus adhibebatur, et hoc confirmant quæ mox dicit Cl. Gierig. *Pullos* dixit, non nigros, propter pullam lugentium togam. *Aptare*, prætere enses pectori. *Tetigere*. Pro eo, ver. 373; x. 489. *Vota suos habuere Deos*. Duo mororum genera sunt, quorum alterum baccas albas, alterum nigras fert, quanquam prius genus Veteribus notum fuisse non constat. Si cædes illa prope morum facta erat, aut facta fingebatur, facilis erat sententia illa

Semper habe fœtus, gemini monumenta cruoris.”
 Dixit; et aptato pectus mucrone sub imum
 Incubuit ferro, quod adhuc a cæde tepebat.
 Vota tamen tetigere Deos, tetigere parentes:
 Nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater; 165
 Quodque rogis superest, una requiescit in urna.

Desierat; mediumque fuit breve tempus; et orsa
 Dicere Leuconoe: vocem tenuere sorores. [est
 Hunc quoque, siderea qui temperat omnia luce,
 Cepit amor Solem: Solis referemus amores. 170
 Primus adulterium Veneris cum Marte putatur
 Hic vidisse Deus: videt hic Deus omnia primus.
 Indoluit facto; Junonigenæque marito
 Furta tori, furtique locum monstravit: at illi
 Et mens, et quod opus fabrilis dextra tenebat, 175

poetica, fœtus arboris nigros lugere
 illam cædem.

167. *Medium tempus.*] Intervallum.
 Plin. VII. Epist. xxvii. 13. *exiguum
 temporis medium.*

168. *Leuconoe*, soror altera, plures
 fabellas narrat, de Martis et Veneris
 adulterio, vers. 167—189; de amori-
 bus Leucothoes et Solis, vers. 190—
 255; de Clytie vers. 256—270. Ac
 prima quidem non pertinebat ad consi-
 lium Leuconoes, quæ *Solis* tantum
amores referre volebat; verum hos
 inde repetiit. Potuisset eam verbo
 tangere; sed, quæ Superis tantopere
 placuerat, et cum ab his, tum a mor-
 talibus oblectationis causa sæpe ad-
 hibebatur (Virg. Georg. iv. 345.) eam
 nec ab hoc suo opere abesse petulan-
 tia poetæ voluit, nec ab Art. Am. ii.
 561 sqq. Auctor ejus est Homerus,
 Od. Θ. 266 sqq. ubi Demodocus ci-
 tharædus, festum celebrare jussus,
 eam Phæacensibus canit: cf. Hygini
 fab. 148. Lucian. Dial. Deor. 17.

Improbat fab. Plato, Rep. III. Hey-
 nio, in libro *Antiqu. Aufsaetze* i. p.
 161. orta videtur ex Cosmogonia, in
 qua conjunctio elementorum et inde
 orta rerum harmonia, amore Martis et
 Veneris earumque filia Harmonia, ad-
 umbrata sit. Ex historia rem expe-
 diri vult Palæph. cap. 63.

170. *Cepit amor Solem.*] Ludit rur-
 sus verbis, *Solis, Solem; vidisse, videt.*
 De Sole *omnia vidente*, vide ad i. 769.
Junonigena, Vulcanus, quem Juno
 vel ex Jove, vel sine patre concepit.
 Videtur Ovid. ipse hoc voc. fecisse, ut
anguigena, iii. 531; *aurigena*, v. 250;
draconigena, Fast. iii. 865. *Furtu tori.*
 Homer. λέχος δ' ἤσχυνε καὶ εὐνήν
 ἠφαιστου.

175. *Mens excidit* ei, qui obstupes-
 cit, ut mente privatus, amens vide-
 atur. Conf. ii. 601. ubi *vultus, plec-
 trum* et *color* Apollini excidunt. Ex-
 ornavit autem Noster sic Homeri θυ-
 μαλγέα μῦθον ἀκουσε.

Excidit : extemplo graciles ex ære catenas,
 Retiaque, et laqueos, quæ lumina fallere possint,
 Elimat : non illud opus tenuissima vincant
 Stamina ; non summo quæ pendet aranea tigno :
 Utque leves tactus momentaque parva sequantur,
 Efficit ; et lecto circumdata collocat apte. 181
 Ut venere torum conjux et adulter in unum,
 Arte viri, vinclisque nova ratione paratis,
 In mediis ambo deprensi amplexibus hærent.
 Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas, 185
 Admisitque Deos : illi jacuere ligati
 Turpiter, atque aliquis de Dîs non tristibus optat
 Sic fieri turpis. Superi risere ; diuque
 Hæc fuit in toto notissima fabula cœlo.

Exigit indicii memorem Cythereia pœnam ; 190

176. *Graciles, tenues.* Ipse mox describit tenuitatem ex Homero : 'Ἡντ' ἀράχνια λεπτά, τὰ γ' οὐ κέ τις οὐδέ ἴδιον. *Retiaque, etc.* Apud Homerum facit δεσμούςς, inde Noster tria fecit, *catenas, retiâ, laqueos, ex ære.* Hygino, *ex adamante, i. e. ex ferro.* *Laqueos, quæ,* consueto poetarum more, qui relativum sæpe accommodant remotiori nomini.

178. *Elimat.*] Id est, perficit lima. *Utque leves, etc.* Ut levibus tactibus et momentis parvis moveantur.

183. *Arte viri, dolo mariti Venereis.* Homer. *περὶ δολόεντα τέτυκτο,* et omnem dolum *περὶ δέμνια χεῖεν.* Lemnius vituperat Lucianus, quod ipse adulterium manifestârit. *Lemnius ;* Vulcanus, qui dum matris auxilio occurreret adversus Jovem, ῥιφθεῖς ποδός, ut ipse narrat, Iliad. A. præcipitatus a Jove de cœlo, in Lemnum insulam decidit, ubi eum Sinties receperunt. *Admisit,* ut apud Horatium, Art. Poet. initio, *admissi risum teneatis?*

VOL. III.

187. *Aliquis de Diis, etc.]* Conf. Art. Amat. ii. 285. Sed ille *aliquis de Diis non tristibus* (quod, nunc satis venuste, per *λιτότητα* est jocantibus et ridentibus) fuit Mercurius, ut diserte tradit Homerus, versu 338. Et apud Lucianum Mercurius ipse, 'Εγὼ μὲν ἐφθόνονν τῶν Ἄρει. *Risere, ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνώπρω γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν.*

190. *Exigit indicii, etc.]* Venus ulciscitur Solis proditionem, dum ei injicit Leucothees amorem, quæ vitiata, terræ defoditur a parente, sed a Sole in virgam tuream mutatur. Quæ fuerit illa Leucothea, docetur ver. 219 sqq. Auctor fabulæ Hesiodus, ut ex Lactantii Argum. apparet. Nec in se memorabilis est, nec tractationis luminibus commendata. *Memor* referendum erat ad *Cythereiam* ; sed et Virgil. Æneid. i. 4. *memorem Junonis ob iram.* Pœna testatur, memorem esse aliquem delicti. Quam varie *lædere* in re amatoria dicatur, admonitum est ad i. 608. Sensus :

G g

Inque vices illum, tectos qui læsit amores,
 Lædit amore pari: quid nunc, Hyperione nate,
 Forma, calorque tibi, radiataque lumina prosunt?
 Nempe tuis omnes qui terras ignibus uris,
 Ureris igne novo; quique omnia cernere debes,
 Leucotheen spectas; et virgine figis in una, 196
 Quos mundo debes, oculos; modo surgis Eoo
 Temperius cælo; modo serius incidis undis;
 Spectandique mora brumales porrigis horas.
 Deficis interdum; vitiumque in lumina mentis 200
 Transit; et obscurus mortalia pectora terres.
 Nec, tibi quod Lunæ terris propioris imago
 Obstiterit, palles: facit hunc amor iste colorem.
 Diligis hanc unam: nec te Clymeneve, Rhodosve,
 Nec tenet Æææ genetrix pulcherrima Circes, 205
 Quæque tuos Clytie, quamvis despecta, petebat
 Concubitus; ipsoque illo grave vulnus habebat
 Tempore. Leucothee multarum oblivia fecit,
 Gentis odoriferæ quam formosissima partu

qui occultos amores indicavit, eum vicissim amore injecto cruciat. Ludit Ovidius verbis. Similiter mox versu 195. *qui terras ignibus uris, Ureris*, etc.

195. Verba *quique—spectas* frigida; et sequentia, *et virgine—oculos*, intoleranda videntur Schirachio, idque jure. Nempe argutatus est in accommodanda amoris vi ad Solis naturam. Tum, nec longior hæc apostrophe, nec quæ ei insunt, puellæ confabulari conveniunt.

198. *Temperius* (maturius) antiqui dixerunt, *temporius* recentiores: vide Manut. ad Cic. IX. Epist. xvi. *Porrigitis*, longas facis brevissimas brumæ horas. Romani quum ab ortu Solis usque ad occasum XII horas numerarent per totum annum, tempore

brumali eas habebant brevissimas. *Porrigere*, extendere. Hor. III. Od. xvi. 40. *parva vectigalia porrigam*. *Vitium luminis* est pallor, isque color amantium. Art. Amat. i. 729. Inde acumen hoc. Sol autem pallidus et obscurus inter mala præsagia referebatur. Virg. Georg. i. 464 sqq. Sic *terret mortalia pectora Lunæ imago*, luna ipsa.

204. *Clymene*, mater Phaëthontis, de qua i. 756. *Rhodos*, filia Nepetuni, quæ ex compressu Solis septem filios, Heliades a patre dictos, peperit. *Ææa*, Colchica, ab *Æa*, Colchidis urbe, *Circe*, soror Acetæ, Colchorum regis, *Ææam* insulam incolens. Mater fuit *Persa*, Oceani filia, quæ cum concubuit Sol: vide Homeri Od.

Edidit Eurynome ; sed, postquam filia crevit, 210
Quam mater cunctas, tam matrem filia vicit.

Rexit Achæmenias urbes pater Orchamus ; isque
Septimus a prisci numeratur origine Beli.

Axe sub Hesperio sunt pascua Solis equorum :

Ambrosiam pro gramine habent ; ea fessa diurnis

Membra ministeriis nutrit, reparatque labori: 216

Dumque ibi quadrupedes cœlestia pabula carpunt,

Noxque vicem peragit ; thalamos Deus intrat
amatos,

Versus in Eurynomes faciem genetricis ; et inter

Bis sex Leucotheen famulas ad lumina cernit 220

Levia versato ducentem stamina fuso.

Ergo ubi, ceu mater, caræ dedit oscula natæ ;

“ Res,” ait, “ arcana est ; famulæ, discedite ; neve
Eripite arbitrium matri secreta loquenti.” 224

K. 135 sqq. *Clytie*, Oceani et Tethyos filia, de qua Noster mox plura. *Ipsaque illo*, etc. Locum esse sanum, nec desiderare manum medicam, apparet e ver. 234 sqq.

210. *Eurynome*.] Oceani et Tethyos filia (Hesiod. Theog. versu 358.) *Achæmenes* primus Persarum rex ; vide Herodotum, VII. ii. *Orchamus*, conjux *Eurynomes*, et Persarum rex. *Prisci Beli*. Codices Regii nostri habent a *prisco*—*Belo*. *Prisci* enim et *antiqui*, monente Burmanno, poetis dicuntur auctores et conditores gentium regnorumque. Hoc additamento Leucotheen a generis antiquitate commendare voluit. Plures *Belos* antiquitas habet, de quibus vide Perizon. Orig. Babyl. Is, qui Babylona condidisse credebatur, et a Babyloniis summa religione colebatur, ὁ ἀρχαῖος, et *antiquus* dicebatur. Verbis *Quam mater*, etc. exornavit illud Horat. I. Od. xvi. 1: *O matre pulchra*

filia pulchrior. Similis comparatio, ii. 722 sqq.

214. *Axis* alias cœlum, nunc terra. De *ambrosia* istorum equorum, vide ad ii. 120. Ibi stant ad præsepia, hic errant in pascuis. *Reparat*, reficit. *Carpere pabula*, iis vesci, etiam Fast. iv. 750. *Vicem peragit* e re militari ductum.

218. De *thalamis*, vide ad ii. 737. De mutatione hac vide ad iii. 273. *Amatos*, in quibus habitabat amata. *Ad lumina*. Sueton. Cæs. 37: *Ascendit Capitolium ad lumina*. Similiter Græce πρὸς φῶς. *Levia* ; sic plerique e castigatioribus ; Heinsius conjecturat *tenuia* ; Gronovius, *mollia*, quod Burmannus intelligit de vestibus mollibus, de quibus Luc. vii. 25.

224. *Eripite*.] Sensus: non eripite matri potestatem secreta loquendi. *Arripere arbitrium* absolute quidem dici potest, sed non seq. dativo. *Remotis arbitris* passim occurrit, quum

Paruerant; thalamoque Deus sine teste relicto,
 “ Ille ego sum,” dixit, “ qui longum metior an-
 num;

Omnia qui video; per quem videt omnia tellus;
 Mundi oculus: mihi, crede, places.” Pavet illa;
 metuque

Et colus et fusus digitis cecidere remissis.

Ipsa timor decuit: nec longius ille moratus, 230

In veram rediit faciem, solitumque nitorem.

At virgo, quamvis inopino territa visu,

Victa nitore Dei, posita vim passa querela est.

Invidit Clytie, neque enim moderatus in illa

Solis amor fuerat, stimulataque pellicis ira 235

Vulgat adulterium; diffamatumque parenti

Indicat: ille ferox, immansuetusque precantem,

Tendentemque manus ad lumina Solis, et, Ille

Vim tulit invitæ, dicentem, defodit alta [arenæ.

Crudus humo; tumulumque super gravis addit

Dissipat hunc radiis Hyperione natus; iterque 241

Dat tibi, quo possis defossos promere vultus.

omnes abire jussi sunt, nec quisquam admittitur, qui sermonem audiat. *Sol metitur annum*, quia homines ejus decursu annum definiunt. Commendat se Sol, ut Apollo i. 512 sqq. Jupiter i. 594. *Mundi oculus*. Macrob. i. Saturn. xxi: *Solem Jovis oculum appellat antiquitas*. *Et colus*, etc. Conf. 175.

230. *Decuit*.] Mox versu 330. *sed et erubuisse decebat*; vi. 18. *decor adfuit arti*; vii. 733. *quam sic dolor ipse decebat*. Adde viii. 25 sqq. x. 585. *Posita querela*, sine querela.

234. *Neque enim*, etc.] Vide versum 258; *Lactant*. in *Arg. qua nondum satiatus erat Sol*. *Ira in pellicem concepta*; vide Burm. *Diffamatum*, vulgatum, verbum novum.

239. *Defodit*, etc.] Supplicium frequens temeratae virginitatis, quo Romani etiam in virgines Vestales animadverterunt. BURM. *Crudus*; crudelis, immitis. Hoc loco Farnabius quoque suspicatur allusum ad supplicium Vestalium.

241. *Dissipat*.] Monet vir doctissimus in *Miscell. Observ. vol. II. tom. i. p. 35*. Solem hic officium præstare, quod cum omnibus radiis præstare nequeat. At in mythis non queritur, quid ex legibus naturæ fieri poterit; sed illæ novantur et Dii omnia possunt. *Phaethontei ignes*, fulmen quo Phaethon necatus. Vide lib. ii. 396.

Nec tu jam poteras enectum pondere terræ [cebas.
 Tollere, nympha, caput; corpusque exsangue ja-
 Nil illo fertur volucrum moderator equorum 245
 Post Phaëthonteos vidisse dolentius ignes.
 Ille quidem gelidos radiatorum viribus artus,
 Si queat, in vivum tentet revocare calorem;
 Sed, quoniam tantis fatum conatibus obstat,
 Nectare odorato sparsit corpusque locumque, 250
 Multaque præquestus, “ Tanges tamen æthera,”
 Protinus imbutum cœlesti nectare corpus [dixit.
 Delicuit, terramque suo madefecit odore;
 Virgaque per glebas sensim radicibus actis
 Turea surrexit, tumulumque cacumine rupit. 255
 At Clytien, quamvis amor excusare dolorem
 Indiciumque dolor poterat, non amplius auctor
 Lucis adit; venerisque modum sibi fecit in illa.
 Tabuit ex illo dementer amoribus usa,
 Nympharum impatiens; et sub Jove, nocte dieque,
 Sedit humo nuda, nudis incompta capillis; 261
 Perque novem luces, expers undæque cibique,

251. *Tanges æthera*, quia thus, quod adoletur, sursum tollitur.

253. *Deliquescere* nunc de corpore crasso, quod transit in tenue plantæ.

256. *Clytie in heliotropium*.

258. *Modum*, finem. Propert. II. xii. 30: *Verus amor nullum habere novit modum. Dementer amoribus uti*, insano amore flagrare. *Nympharum*. Cod. noster Regius A habet *Silvarum*. Hæc lectio, si quibusdam aliis Codicibus fulciretur, non insulsa foret; nempe Nymphæ, pro silvis quas illæ habitant, possunt accipi. *Nympharum impatiens*, reformidans consuetudinem Nympharum, ut supra *viri impatiens*. Contra *pati* de eo, qui amat consuetudinem aliorum, iisque obsequitur.

Terent. Andr. I. i. 35. *facile omnes perferre ac pati. Sub Jove, ὑπὸ Διός*, sub dio.

262. *Per novem luces*; vide ad x. 73. *Rore jejunia pascere*, exquisitius quam rore vesci, rore pasci. *Euntis*, per cœli ambitum decurrentis. *Hæsisse*, nempe radicibus, quod additum i. 551: ix. 351. *Pallor* et mortuis tribuitur, et viridibus herbis. Virg. Ecl. vi. 54; *viridis pallor*, Cul. 142. Idem color *exsanguis* dicitur. Inde impeditior hæc et argutior formula *partemque*, etc. qua pars Nymphæ in calamum viridem transiisse indicatur. De *lurido* vide ac i. 147. ubi *Lurida miscent aconita novercæ. Flos Heliotropium*, inquit Plinius, se cum sole

Rore mero, lacrimisque suis jejunia pavit ;
 Nec se movit humo : tantum spectabat euntis
 Ora Dei ; vultusque suos flectebat ad illum. 265
 Membra ferunt hæsisse solo ; partemque coloris
 Luridus exsanguis pallor convertit in herbas :
 Est in parte rubor ; violæque simillimus ora
 Flos tegit : illa suum, quamvis radice tenetur,
 Vertitur ad Solem, mutataque servat amorem.

Dixerat ; et factum mirabile ceperat aures. 271
 Pars fieri potuisse negant ; pars omnia veros
 Posse Deos memorant : sed non et Bacchus in illis.
 Poscitur Alcithoe, postquam siluere sorores ;
 Quæ, radio stantis percurrens stamina telæ, 275
 “Vulgatos taceo,” dixit, “pastoris amores
 Daphnidis Idæi, quem Nymphæ pellicis ira
 Contulit in saxum : tantus dolor urit amantes !

Nec loquor, ut quondam naturæ jure novato

circumagit ; abeuntem sequitur, tantus est amor sideris ! *Suum* a se amatum.

270. *Vertitur ad Solem.*] Mane spectat ortum Solis, vespere occasum Sic *vertitur ad Solem*, πρὸς ἥλιον ἑρέπειται, et inde *heliotropium*. Lactant. Argum. *cursum servat Dei*. Ex hac floris natura, fabula nasci potuit. *Ceperat aures*, attentas reddiderat puellas, easque admiratione impleverat. Hinc illæ disputationes, quales etiam viii. 614 sqq. varietatis causa interponuntur. *Bacchus*, num *Bacchum* ?

274. *Poscitur* non modo is, qui ad canendum, dicendum, narrandum excitatur, sed et ad quem ordo narrandi venit, licet a nemine sollicitetur. *Alcithoe*, tertia soror, de *Salmace* fonte et *Hermaphrodito* narrare incipit. Sed præteritione rhetorica utens, alios quosdam mythos breviter attingit. Veteres in texendo stamina ad perpendiculum

extendere solebant. Hinc *stans* tela ; alibi *pendula*.

277. *Daphnis*, Mercurii filius, pastor Siculus, a Pane musicen edoctus, bucolicorum carminum inventor. Hunc amabat Nymphæ quædam ea lege, ne cum alia rem haberet. Sed vino quondam inebriatus cum regina Sicula concubuit. Hinc Nymphæ ira oculis est privatus. Sic fere rem narrat Diodorus Siculus, iv. 87 ; Ælianus, V. H. x. 18 ; Servius, ad Virg. Ecl. v. 20. Hujus Daphnidis laudes multis pastoriis carminibus materiam præbuerunt. Theocrit. Id. I. vii ; Virgil. Ecl. v. Hinc *vulgatos amores*. Sed Noster, alios haud dubie sequutus auctores, eum facit *Idæum*, quem Nymphæ in saxum mutat. *Contulit*, convertit. *Urere* de omni affectu ; est enim omnino cruciare.

279. *Novato jure*, novis et inauditis naturæ legibus. *Ambiguus*. Vide ad

It does not follow that bird comeded him with either Phygian or the [Cretan] Idæus. Idæus signifies any ordinary mountain.

Ambiguus fuerit modo vir, modo femina, Scython.

Te quoque, nunc adamas, quondam fidissime
parvo, 281

Celmi, Jovi; largoque satos Curetas ab imbri,
Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores,
Prætereo; dulcique animos novitate tenebo.

Unde sit infamis; quare male fortibus undis
Salmacis enervet, tactosque remolliat artus, 286

Discite: causa latet: vis est notissima fontis.

Mercurio puerum diva Cythereïde natum

ii. 8. *Scython*: De *Scythone* fabula ignorata.

282. *Celmus*, aut *Celmis*, nutritius Jovis, cui, dum *parvus* erat, et *fidus* et admodum gratus fuit. Sed quum postea vulgasset, Jovem esse mortalem, in *adamantem* ab eo versus est. *Curetes* iidem, qui *Corybantes*: vide Hygini fab. 139. ibique Munker. Erant antiquissimi Cretæ incolæ. Ex imbribus procreati dicebantur. Sed pleaque de iis ignota sunt. *Ab, ex.*

283. *Crocus*, adolescens, quem amabat *Smilax*. Ambo in flores cognominis mutati sunt. Multi legunt *Milace*. Salmasius, in exercit. ad Plin. 733. docet differre *Smilacem* et *Milacem*. Vide tamen Munker. ad Lactant. Argum. *Tenebo*, oblectabo. *Novitas*, nondum vulgata fabula; novæ autem fabulæ *dulces* sunt, libentissime audiuntur. Horat. A. P. 223. *grata novitate morari spectatores.*

285. *Infamis* apud Veteres *Salmacis*, fons Cariæ, hoc nomine, quod ex eo bibentes, eoque se lavantes effeminet, molliatque: conf. xv. 319. Causam hujus infamiæ quæsiverunt multi. Vitruvio, ii. 8. credibile videtur, Caras barbaros et efferatos dulcedine hujus fontis allectos esse, ut ex montibus ad eum decurrerent, ibique, quum in unam societatem coaluissent, paulatim molliores mores assumerent. Ex

mente autem Sexti Pompeii nequitia puerorum puellarumque, promiscue in hoc se fonte lavantium, originem infamiæ dederat. Ab effeminatis accolarum moribus hanc infamiam poetas transtulisse ad fontem, monet Strabo, lib. xiv. Aucta est fabula eo, quod vicina erant Veneris et Mercurii templa, quæ *Hermaphroditum* genuerunt. In Anthol. p. 130. extat epigramma elegans, quod omnem ab hoc fonte infamiam amolitur. Noster rem rursus ex fabulis repetit. *Male fortes* dictum, ut 187. *non tristis*; *male* enim sæpe negat, ut *male sanus, male sobrius. Remolliat*, molliat. Vix hoc compositum sic apud antiquiorem scriptorem occurrit. Secundum Vitruv. *venereo morbo implicabat* (in venerem proclives reddebat) eos, qui inde biberant. Pro eo mox, *molles et impudicos reddere*. Sic et apud Strabonem d. l. *μαλακίζειν* capies. Quam vim autem Noster h. v. subjecerit, ex versu 385. apparet, facere semivirum. *Latet*, nempe vulgo. Ergo Alcithoe eam vult explicare. *Vis*, natura mirabilis.

288. *Mercurio puerum.*] Hunc puerum, a parentibus *Hermaphroditum* dictum, Hyginus, fab. 271. in ephebis formosissimis recenset. *In qua*, etc. Plin. V. Ep. xvi. *filia patrem exscripserrat*, veluti ad imaginem patris picta erat.

Naides Idæis enutrivere sub antris ;
 Cujus erat facies, in qua materque paterque 290
 Cognosci possent : nomen quoque traxit ab illis.
 Is, tria quum primum fecit quinquennia, montes
 Deseruit patrios ; Idaque altrice relicta
 Ignotis errare locis, ignota videre
 Flumina gaudebat, studio minuente laborem. 295
 Ille etiam Lycias urbes, Lyciæque propinquos
 Caras adit : videt hic stagnum lucentis ad imum
 Usque solum lymphæ : non illic canna palustris,
 Nec steriles ulvæ, nec acuta cuspide junci ; 299
 Perspicuus liquor est : stagni tamen ultima vivo
 Cespite cinguntur, semperque virentibus herbis.
 Nympha colit : sed nec venatibus apta, nec arcus
 Flectere quæ soleat, nec quæ contendere cursu ;
 Solaque Naiadum celeri non nota Dianæ.
 Sæpe suas illi fama est dixisse sorores : 305

292. *Fecit quinquennia.*] *Facere annos*, phrasis in titulis sepulcralibus obvia, notante Burmanno. *Altrices et nutrices* dicuntur terræ, in quibus quis educatus est. *Ex more Ovidiano* debebat esse, *montibusque relictis*, sed variavit orationem. *Flumina* diserte commemorantur propter fab. seq.; *studium*, cupiditas visendi loca ignota, quæ etiam v. *gaudebat* exprimitur. *Minuente*. Hoc verbum additum, quia puer ille non nisi quindecim annorum. *Laborem*, molestias itinerum.

297. *Videt hic stagnum*, etc.] *Vitruvius*, dicto loco ; *est ejus fontis potestas perlucida*. Id exornavit Noster : cf. v. 588 ; Claud. xxxv. 114 sqq.

302. *Nympha colit : sed nec*, etc.] Sequitur locus satis venustus, qui egregie pingit ingenium et studium puellæ mollis, id unum agentis, ut

placeat. Contrarii mores Daphnes, i. 475 sqq. et Callistûs, ii. 411 sqq. *Oppositio est in apta et quæ soleat*, quorum illud ad naturam, hoc ad exercitationem referendum. *Contendere cursu cum feris*, quod et ipsum venatricis est. Plin. Paneg. 81 : *certare cum fugacibus feris cursu*. Horat. i. Ep. xviii. 51 : *cursu superare canem, vel viribus aprum*. Inde et subjicitur *celeri non nota Dianæ*. Nimis ferme cumulavit verba.

305. *Jucundum est, quod sorores ipsæ loquentes inducuntur, et quod verba earum a poeta repetuntur. Pictas*. Vide ad ii. 421. *Durus*, qui membra dura reddit, corroborat, ut *durum opus rusticorum*. H. l. cum respectu mollis vitæ, cui Nympha indulgebat. *Miscemus ea, quæ interrumpimus aliis rebus*. Plin. VIII. Ep. xxi. 2 : *distinguo graviora lusibus*.

“Salmaci, vel jaculum, vel pictas sume pharetras;
Et tua cum duris venatibus otia misce.”

Nec jaculum sumit, nec pictas illa pharetras:
Nec sua cum duris venatibus otia miscet:
Sed modo fonte suo formosos perluit artus; 310
Sæpe Cytoriaco deducit pectine crines;
Et quid se deceat, spectatas consulit undas.
Nunc perlucenti circumdata corpus amictu,
Mollibus aut foliis, aut mollibus incubat herbis.
Sæpe legit flores: et tunc quoque forte legebat,
Quum puerum vidit; visumque optavit habere.
Nec tamen ante adiit, etsi properabat adire, 317
Quam se composuit, quam circumspexit amictus,
Et finxit vultum; et meruit formosa videri.
Tunc sic orsa loqui: “Puer o dignissime credi

311. *Cytoriaco.*] Explicat glossa C. R. B. superscripta inter lineas: *buxeo, quia in monte illo crescit. Cythorus, Paphlagoniæ mons, buxo abundans. Vide Virg. Georg. ii. 437. Formam poeta auget colendo; proprie pecten deducitur per crines, sed exquisitius, pectine deducere crines. Eleganter etiam Claudian. x. 102. de Gratia Veneris capillos pectente: Hæc morsu numerosi dentis eburno Mullifidum discrimen arat. Pectines autem radii textorii (vi. 132) et tibiæ (supra, versu 30) conficiebantur e buxo. Quid se deceat, quomodo et vultus fingendus et vestes componendæ sint, ut decor adsit.*

313. *Perlucenti amictu.*] Amor. III. i. 9. *vestis tenuissima, cultus amantis, nempe bombycina aut serica, qua trahebat caro, quæ denudabat feminas. Plin. Hist. Nat. vi. 17; xi. 23. Mollibus, etc. Anacr. iv. 1: 'Επί μυσίνας περιναῖς, 'Επί λωρίνας δὲ ποίαις Στορέσσας. Quum pue-*

rum, etc. Hic versus, sine causa, erat suspectus Heinsio.

317. *Nec tamen ante adiit, etc.*] Et hoc vere e moribus talis puellæ. *Componere et περιστέλλειν, decenter ornare, vestes in ordinem redigere. Eodem modo Plin. IV. Ep. ii. 3: Postquam se composuit et circumspexit habitum suum. Similem enim curam ornatui impendebant oratores ad dicendum prodituri. Hinc Gellius, N. A. i. 5. composite et circumspexite amictivi: vide Burmannum. Collocare vestem est ii. 733. Finxit vultum, ut subrideret et oculis blandiretur.*

320. *Tunc sic orsa loqui, etc.*] Oratio blanditiarum et insidiarum plena. Magna laus, si cognati nostra causa beati prædicantur. Virgil. *Æn. i. 605: Qui tanti talem genuere parentes? Sed hæc Nympha longius etiam progreditur, et ab his laudibus commode ad vota sua defertur. De eleganti vero repetitione longe, longeque Burmannus consulere jubet Bentlei. ad Hor. I.*

H h

Esse Deus; seu tu Deus es, potes esse Cupido;
 Sive es mortalis, qui te genuere beati,
 Et frater felix, et fortunata profecto,
 Si qua tibi soror est, et quæ dedit ubera nutrix.
 Sed longe cunctis, longèque potentior illis, 325
 Si qua tibi sponsa est, si quam dignabere tæda.
 Hæc tibi sive aliqua est, mea sit furtiva voluptas:
 Seu nulla est, ego sim, thalamumque ineamus eun-
 Nais ab his tacuit: pueri rubor ora notavit, [dem.”
 Nescia, quid sit amor; sed et erubuisse decebat.
 Hic color aprica pendentibus arbore pomis, 331
 Aut ebori tincto est, aut sub candore rubenti,
 Quum frustra resonant æra auxiliaria, Lunæ.
 Poscenti Nymphæ sine fine sororia saltem 334
 Oscula, jamque manus ad eburnea colla ferenti,
 “Desine, vel fugio, tecumque,” ait, “ista relinquo.”
 Salmacis extimuit, “Locaque hæc tibi libera trado,

Sat. vi. 18. *Thalamum*. Non hic agitur, ut Burmannus putabat, de furtivo coitu, sed de legitimo matrimonio, de quo *thalamus* et *tæda* etiam supra versu 60. et iii. 267.

329. *Ab his*, post hæc, ut iii. 273; viii. 611. *Ora rubor notavit* etiam vi. 46; Amor. III. vi. 78. Nempe rubor nota pudoris est. *Notare* igitur significantius est, quam *suffundi*. *Nescia, quid sit amor*; Codices nostri, *nescit quid sit amor*. *Erubuisse decebat*: de his verbis vide ad versum 230.

331. *Hic color*, etc.] Eadem similitudo, iii. 483. *Pomis*, pro quo Codex Regius B. habet *malis*. Huic consentit Heinsius, qui omnes vetustiores habere *malis* affirmat, et hanc causam dat recte, quod non omnia poma colorata sunt. *Ebori tincto*. Plenius Virg. *Æneid.* xii. 67: *Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur*. Luna, quum candida sit, tempore defectus

rubescit; qui Lunæ rubor etiam Am. II. v. 37. comparationi inservit. Persuasum autem erat superstitionis multitudini, tali tempore Thessalas veneficas id agere, ut carminibus suis Lunam de cælo deducant, illam vero laborare, i. e. contra niti, pugnare, laborantique homines posse succurrere, et *auxiliari* concentu strepituque *æris*, h. e. tubarum, cornuum et tintinnabulorum æneorum. Liv. xxvi. 5; Senec. Hipp. ver. 785 sqq.: vid. Cerda ad Virg. Ecl. viii. 69. Sed hæc tertia similitudo paulo altius repetita est, nec jucunda admodum.

334. *Sororia oscula* etiam ix. 538. Ipse explicat, ii. 431. Gierig admisit: *desine aut fugio*; nam, aiebat, interrogatio *desinis? an fugio?* incommoda satis est: cæterum hic quoque simplicitas pueri bene notata; sed ea nequeant versum ita claudicantem excusare.

Hospes," ait; simulatque gradu discedere verso.
 Tum quoque respiciens, fruticumque recondita silva
 Delituit; flexumque genu submitit: at ille, 340
 Ut puer, et vacuis ut inobservatus in herbis,
 Huc it: et hinc illuc; et in alludentibus undis
 Summa pedum, taloque tenus vestigia tinguit.
 Nec mora, temperie blandarum captus aquarum,
 Mollia de tenero velamina corpore ponit. 345
 Tum vero obstupuit; nudæque cupidine formæ
 Salmacis exarsit: flagrant quoque lumina Nym-
 phes;

Non aliter, quam quum puro nitidissimus orbe
 Opposita speculi referitur imagine Phœbus: 349
 Vixque moram patitur; vix jam sua gaudia differt:
 Jam cupit amplecti: jam se male continet amens.
 Ille, cavis velox applauso corpore palmis,
 Desilit in latices; alternaque brachia ducens
 In liquidis translucet aquis; ut eburnea si quis
 Signa tegat claro, vel candida lilia, vitro. 355
 "Vicimus! en meus est!" exclamat Naïs: et, omni

340. *Submittere genu* de procumbente in genu, quemadmodum *submittere latus* de bove procumbente, libro iii. 23. Absolute Virgil. *Æneid.* iii. 93: *Submissi petimus terram.*

341. *Ut rationem reddit, ut qui puer esset, neque adeo ulla insidias metueret. Vacua loca, non consita arbustis. Sic vacuum arvom, i. 533. Sed h. l. potius solitarium pratium intelligit, ubi nemo est, qui eum observet. Inobservatus etiam, ii. 544; Fast. iii. 111. Pueri lætius amoto passim custode vagantur.*

349. *Speculi imago, speculum, ut superius Luna imago, luna. Vixque —amens. Verbis, non rebus abundant hæc. Gaudium de Veneris usu*

frequentatur. ii. 863. vix cætera differt. Se continet, retinet. Male, vix.

352. *Cavis velox, etc.] Lætitiæ puerilis signum. Cavis graphice additum, propter corporis convexitatem, ix. 35. Similiter Virg. Æn. xii. 85: aurigæ, manibus lacessunt Pectora (e-quorum) plausa cavis. Ducere brachia de natante, ut Amor. II. iv. 29. de saltante. Ut eburnea, etc. Comparatio exquisita et rem egregie illustrans.*

356. *Vicimus vox eorum, qui jam sibi videntur compotes fieri voti. Mox in singulis verbis est vis ad declarandum Nymphæ furorem, omni, procul, jacta, mediis. Luctantia, venuste, quoniam repugnabat puer. Totus hic locus est specimen phantasæ*

Veste procul jacta, mediis immittitur undis ;
 Pugnacemque tenet ; luctantiaque oscula carpit ;
 Subjectatque manus, invitaque pectora tangit :
 Et nunc hac juveni, nunc circumfunditur illac. 360
 Denique nitentem contra, elabique volentem
 Implicat, ut serpens, quam regia sustinet ales,
 Sublimemque rapit ; pendens caput illa pedesque
 Alligat, et cauda spatiantes implicat alas :
 Utve solent hederæ longos intexere truncos : 365
 Utque sub æquoribus deprensus polypus hostem
 Continet, ex omni dimissis parte flagellis.
 Perstat Atlantiades ; sperataque gaudia Nymphæ
 Denegat : illa premit ; commissaque corpore toto
 Sicut inhærebat, “ Pugnes licet, improbe,” dixit,
 “ Non tamen effugies : ita Di jubeatis, et istum

Ovidianæ. *Subjectat manus*, scilicet, subter brachia pueri.

362. *Implicat.*] Quoniam idem verbum paulo post repetitur, propterea Heinsius alterutro loco *impedit* legendum censet. Sed alibi jam docuimus, Nostrum sæpissime intra paucorum versuum ambitum idem verbum repetere. In utroque loco Codices nostri Regii habent *implicat*. Cumulat rursus similitudines, e quibus prima, quæ ver. 713 sqq. repetita legitur, nunc quidem minus grata est. *Regia ales*, aquila. *Sustinet*, sursum tollit.

364. *Spatiantes*, longe extensas, longas, ut xiv. 630 : *spatiantia brachia arborum*. Expressus autem locus ex Virg. *Æneid.* xi. 751. De pugna aquilarum et serpentum, vide Plin. *Hist. Nat.* x. 4 : *Acrior est (aquilæ) cum dracone pugna. Eum rapit ubi cunque visum. Ille multiplici nexu ligat, ita se implicans, ut simul decidat. Pendere dicuntur aves volantes, hinc*

et quæ ab iis tenentur. *Intexere* eleganter de hedera truncum nexibus suis includente.

366. *Polypus*, piscis voracissimus. Insidiarum causa sæpe in scopulis, quorum colorem assumit, latitat, pisciculosque secure adnatantes pedibus, veluti reti implicat. *Ælian.* V. H. 1. I ; *Plin.* ix. 29 ; *Noster Halieut.* ver. 30 sqq. *Pedes* hic vocantur *flagella*, ab aliis *cirri*, *crines*, *brachia*.

369. *Commissa*, exquisitius quam *conjuncta*. *Diduci* recte dicuntur, qui divelluntur a complexibus. *Propert.* I. xiii. 14. *Suos*, propitios. *Dii* exaudiverunt preces. Sic et x. 489. *Supra* versu 164. *vota tetigere Deos. Facies*, corpus. Id eleganter dicitur *induci*, quum datur. *Etiam* vii. 624. *membris inducere formam. Conducto cortice* debemus Heinsio qui et *corticem*, generis feminini, et phrasin *conducere corticem* pluribus illustrat. *Conducere*, contrahere ; etiam *vulnera conducuntur*, quando coeunt.

Nulla dies a me, nec me diducat ab isto." 372

Vota suos habuere Deos; nam mixta duorum
Corpora junguntur; faciesque inducitur illis
Una: velut si quis conducta cortice ramos
Crescendo jungi, pariterque adolescere cernat.
Sic ubi complexu coierunt membra tenaci, 377
Nec duo sunt, et forma duplex, nec femina dici,
Nec puer ut possint; neutrumque, et utrumque
videntur.

Ergo ubi se liquidas, quo vir descenderat, undas
Semimarem fecisse videt, mollitaque in illis 381
Membra; manus tendens, sed jam non voce virili,
Hermaphroditus ait; "Nato date munera vestro,
Et pater, et genetrix, amborum nomen habenti:
Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde 385
Semivir; et tactis subito mollescat in undis."

Motus uterque parens, nati rata verba biformis
Fecit, et incerto fontem medicamine tinxit.

Finis erat dictis; et adhuc Minyeia proles
Urget opus, spernitque Deum, festumque profanat:
Tympana quum subito non apparentia raucis 391

378. *Nec duo sunt*, etc.] Similis lusus, iii. 352; sed et mox ver. 400 sqq. *Et forma*, sed tamen forma. Tales Hermaphroditos etiam artifices antiqui expresserunt, ut Polycles, auctore Plinio, xxxiv. 19 et 20. In iis dignitatem virilem venustatemque muliebrem miscere conabantur. Vide Winkelmann, H. A. p. 37. *Formam duplicem* illi effinxerunt mammis et virilibus, reliquis autem membris ad *mollitudinem* muliebrem. *Possint—videntur*; nostri Regii, *possit—videtur*; rectius forsitan, quia duo unum efficiunt.

388. *Incerto*, arcano. Vide ad librum ii. 122.

389. *Finis erat dictis*, etc.] Pœna, quam passæ sunt Minyides. In vespertiliones mutatae sunt. Apud Antonin. Bacchus, sumpta puellae forma, Minyadas hortatur, ut debitos Deo honores habeant; adversantibus illis, in leonem, taurumque mutatus, et aliis prodigiis se Deum ostendit. Signa, quæ hic jam commemorantur, propria sunt Baccho. Cf. iii. 664 sqq. *Urget*, lanificium. *Non apparentia*; quæ Mineides mente captæ sibi visæ sunt audire. *Obstrepuere*, strepitu suo turbârunt tam opus, quam sermones mulierum. De tibia hac vide ad iii. 533.

Obstrepuere sonis ; et adunco tibia cornu,
 Tinnulaque æra sonant : redolent myrrhæque, cro-
 Resque fide major ! cœpere virescere telæ, [cique ;
 Inque hederæ faciem pendens frondescere vestis.
 Pars abit in vites : et quæ modo fila fuerunt, 396
 Palmite mutantur : de stamine pampinus exit :
 Purpura fulgorem pictis accommodat uvis.
 Jamque dies exactus erat, tempusque subibat,
 Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem ;
 Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis. 401
 Tecta repente quati, pinguesque ardere videntur
 Lampades, et rutilis collucere ignibus ædes ;
 Falsaque sævarum simulacra ululare ferarum.
 Fumida jamdudum latitant per tecta sorores ; 405
 Diversæque locis ignes, ac lumina vitant :
 Dumque petunt latebras, parvos membrana per
 Porrigitur, tenuique inducit brachia penna : [artus
 Nec, qua perdiderint veterem ratione figuram,

393. *Myrrhæ*, quarum unguentis Bacchi crines delibuti. Vide lib. iii. 555.

394. *Cœpere virescere telæ*.] Ælianus, Varr. Hist. i. 1 : ἀφρω κίτροί τε καὶ ἄμπελοι τοὺς ἰστοὺς περιμίπρον. Sic, Venere adventante : *Mavoria* signa rubescunt *Floribus* et *subitis* animantur *frondibus* *hastæ* ; Claudian. x. 187. *Faciem*, formam. *Pendens* : vide ad 275. *Vestis*, textum, opus textile.

399. *Jamque dies exactus*, etc.] Egregia crepusculi descriptio. Brevius, xi. 596. *dubiæ crepuscula noctis* ; conf. et vii. 706. *dubia nox*, ut *dubius* et *quasi languidus dies*, Plin. VI. Ep. xx. 6. Varro de L. L. v. p. 44 : *Crepusculum* significat *dubium*. *Ab eo res dubiæ Creperæ* dictæ ; quod *crepusculum* *dies etiamnum sit*, an *jam*

nox, multis dubium. Apud Antoninum et Ælium. Minyades furore Bacchico correptæ Hippasum, Leucippes filium, tanquam hinnulum, dilaniant ; tum se in silvas, vel ad reliquas Bacchas proripiunt, a quibus propter admissum repulsæ, in varias volucrum species mutantur, in quibus etiam vespertilio. A Plutarcho, præter illud admissum, nihil de iis memoratur. *Falsa simulacra* : vide ad iii. 668.

403. *Collucere*, infinitivo, *ignibus* languet, et elisionem præbet ingratam.

405. *Per tecta*, in variis ædium partibus. *Jamdudum*, continuo. xi. 482. *Inducere* ; sic apud Hor. A. P. 2. *inducere plumas membris*. Quoniam vespertilionum forma nihil gratiæ habet, propterea Auctor eam paucis attingit, et quasi velat rem, *Nec, qui perdiderint*, etc.

scholarship derived from that family were called *ῥοδοδία* us, & the women *ῥοδία*, or *αἰοδία*, destroyers. This neglect of *Brigitte* worship was atoned for every year at *Brigitte*.

the festival of the *Agrionia* -

Scire sinunt tenebræ : non illas pluma levavit ;
Sustinuere tamen se perlucentibus alis ; 411
Conatæque loqui, minimam pro corpore vocem
Emittunt, peraguntque levi stridore querelas ;
Tectaque, non silvas, celebrant ; lucemque perosæ
Nocte volant ; seroque trahunt a vespere nomen.

II. Tum vero totis Bacchi memorabile Thebis
Numen erat ; magnasque novi matertera vires 417
Narrat ubique Dei ; de totque sororibus experts
Una doloris erat, nisi quem fecere sorores. [tem
Aspicit hanc natis, thalamoque Athamantis haben-
Sublimes animos, et alumno numine, Juno ; 421
Nec tulit, et secum : “ Potuit de pellice natus

411. *Sustinere se de avibus volan-*
tibus etiam viii. 148 ; x. 341. Querela
omnino de voce et cantu avium. Ho-
ratio, queruntur in silvis aves. Levis,
qui non multum exauditur. Sic levi-
ter dicere. BURM.

416—561. *Athamas et Ino.] Auctor*
fab. Pherecydes, quanquam Hom. jam
Od. E. 333 sqq. eam attigit. Tum
Tragici eandem certatim tractarunt,
Æschylus in Semele, Sophocles in Ino
et in Atham. Euripides in Ino, cujus
fragmenta restant. E mythicis eam
repetierunt Hygin. fab. 1. 2. 4 ;
Apollod. I. ix. 2 ; III. iv. 3. His
adde Pausan. Attic. p. 108. qui Atha-
manta narrat vel ira incensum, vel
furore correptum in suos sævisse. Me-
morant eam etiam Scholiastæ Pindari
Argum. Isthm. Apollonii, iii. 1239 ;
Lycophr. 229. Sed in multis ejus
partibus auctores variant. Noster in
hoc tractando mytho ingenium et
inventionem satis nobis approbavit.
Eandem Noster, et Fast. vi. 485
sqq. ; sed ex parte aliter retulit.
Memorable, celebre. Celebrabatur
Bacchus sermonibus omnium. Novi.
Vide ad iii. 520. Matertera, Ino,

Semeles soror et conjux Athamantis.
Vires, potentia, quam declaraverat
puniendis suis contemptoribus. Illas
vires Ino maxime narrat, quia hoc suo
alumno (iii. 313.) superbiebat. Sor-
res, Agave, Autonoe, Semele, omnes
calamitatibus notabiles.

420. *Aspicit hanc, etc.] Ad Juno-*
nis iram rem refert etiam Apollod.
nempe quia Bacchum educaverat Ino.
Conf. Fast. d. 1. Hic alia modo causa
addita. Quam illa ira et altius repe-
tenda, iii. 258. Jovem contra sub-
stituit Hygin. fab. 2. Aspicit: gra-
vius, ii. 470: Obvertit sævam cum
lumine mentem. Sublimes animi, su-
perbia. Claudian. xx. 101. sublimes
mole, fastu inflati. Superbos sæpe de-
bellant Dii in mythis.

422. *Nec tulit, et secum, etc.] De*
soliloquio tali vide ad iii. 262. ubi
simile, quod conferas. Expressit hoc
quoque Virgil. Æneid. i. 39 sqq. ;
vii. 286—403: priore loco, Pallasne
exurere classem Argivum—potuit ; Ast
ego, quæ Divum incedo regina, etc.
posteriore, Mars perdere gentem Ini-
manem Lapithum valuit ; Ast ego
magna Jovis conjux, etc. Sed h. 1.

Vertere Mæonios pelagoque immergere nautas,
 Et laceranda suæ nati dare viscera matri,
 Et triplices operire novis Minyeïdas alis : 425
 Nil poterit Juno, nisi inultos flere dolores ?
 Idque mihi satis est? hæc una potentia nostra est ?
 Ipse docet, quid agam ; fas est et ab hoste doceri ;
 Quidque furor valeat, Penthea cæde satisque
 Ac super ostendit : cur non stimuletur, eatque 450
 Per cognata suis exempla furoribus Ino ?”

Est via declivis, funesta nubila taxo ;
 Ducit ad infernas per muta silentia sedes.
 Styx nebulas exhalat iners ; umbræque recentes

commode et graviter Bacchi, de *pellice* nati et *novi* Dei, potentiam secum comparat. Etiam sqq. personæ et tempori accommodata sunt. *Mæonios*. iii. 583. *Viscera*, carnes, corpus. iii. 711 sqq. Sed formula *operire novis alis* non satis convenire videtur iratæ. Gravius res exprimenda fuisset. *Juno* cum vi ; involvit enim ea, quæ iii. 265 sqq. diserte addita sunt. Acerbe *nisi inultos flere dolores*.

430. *Ire per exempla*, idem pati aut facere, quod alii. A. A. iii. 87 : *Ite per exemplum, genus o mortale, Deorum*, imitamini Deas. II. Trist. 168 : *Per tua perque sui facta parentis eant, æmulentur facta*. V. Trist. iii. 27 : *Me quoque, si fas est exemplis ire Deorum* (idem pati,) *Ferrea sors premit*. Quamquam *exemplum* interdum et pro supplicio ponitur. Phædr. III. vi. 20 : *Iustoque vindicavit exemplo impetum* ; nempe quia pœna propter exemplum est necessaria. Gell. N. A. vi. 14.

432. *Est via declivis*, etc.] *Juno*, ut ii. 509. auxilii petendi causa in æquora, sic nunc ad inferos descendit. Sedebat enim ei tunc quoque sententia : Superos si flectere nequeo, Acheronta movebo. Voluisse autem Ovi-

dium inferorum quoque descriptionem operi suo inserere, non mirum videri debet. Sed pro consilio paucis defunctus est, neque adeo satis distinxit Erebi partes, quod fecit Virg. *Æn.* vi ; Cf. idem Georg. iv. 469 sqq. ; Cul. 218 ; Tibul. I. iii. 65 ; Silius, xiii. 526 ; Senec. Herc. Fur. 689. *Viam* illam arboribus consitam finxit, partim caliginis efficiendæ causa, partim propter luci Averni faciem, per quem et ipsum aditus ad inferos. In hunc usum in primis apta *taxus*, arbor in Arcadia, Gallia et Germania olim frequens, veneni præsentissimi. Dioscorid. iv. 75 ; Jul. Cæs. B. G. vi. 31. Hinc *funesta*, quæ funera facit, letifera. Burmannus mallet *quæ mæsta*. Hujus arboris umbra via ad inferos reddebatur *nubila*, obscura, tristis metaphora a cælo nubibus obducto petita, ut xiv. 514. *antra nubila silva*. *Ducit*. Deest *quæ*, ut i. 169. Non igitur erat, cur Burm. versum super. tentaret. *Muta*, alta. Alibi *taciturna silentia* : vide ad ii. 66.

434. *Styx* non objicitur nobis in ipso aditu ; est enim intimus fluviorum infernalium ; sed *nebula* tantum ejus commemorantur, late illæ spar-

Descendunt illac, simulacraque functa sepulcris.
 Pallor, Hiemsque tenent late loca senta; novique,
 Qua sit iter, manes, Stygiam quod ducit ad urbem,
 Ignorant; ubi sit nigri fera regia Ditis.
 Mille capax aditus, et apertas undique portas
 Urbs habet: utque fretum de tota flumina terra, 440
 Sic omnes animas locus accipit ille; nec ulli
 Exiguus populo est, turbamve accedere sentit.
 Errant exsanguis sine corpore et ossibus umbræ;
 Parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni;

sæ. *Iners* egregie pingit lenta Stygis fluenta. Styx enim, limo plenus et turbidus, tarde aquas suas volvit, paludique similior est, quam fluvio. Horat. II. Od. xiv. 17: *flumine languido Cocytos errans*. Noster, iv. Pont. x. 61. *pigra palus*. *Recentes*, quæ modo excesserunt corpore, mox *novi manes*. *Simulacra εἰδωλα*, corpora illa vana, de quibus ad versum 443. *Functa sepulcris*, sepulta et humata. *Manes sepultos*, Virg. *Æn.* iv. 34. Inhumatis non licebat transire Stygem.

436. *Pallor, Hiemsque.*] Virg. etiam Luctum, Curas, Morbos eo collocat. *Pallida regna inferorum*, *Æn.* viii. 244. *Loca senta*, inculta et aspera, in quibus *novi*, adeoque regionis illius ignari, *manes* vix iter investigare possunt, quod ducit, etc. *Qua sit iter*. Heinsius conjecturat *qua fit iter*, et delet versum sequentem, ut hoc dicatur, iter totum obsideri a novis manibus. Burmannus contra monet vocabulum *novi* postulare sequentia. *Stygia urbs*, sedes inferorum ad Stygem, quæ quum habeat muros, portas, regiam, forum, recte dicitur *urbs*. *Nigri fera regia Ditis*. Epist. ii. 72. *nigri regia cæca Dei*; Virg. *Æn.* vi. 127. *atri janua Ditis*. Omnia, quæ ad Plutonem inferosque pertinent, *nigra et atra*. Horat. I. Od. xxiv.

VOL. III.

18. *niger grex* de manibus. *Capax, ἄδης πολυδέκτης* et *πανδοκεύς*. Non male capacitas illa illustratur similitudine, quæ etiam viii. 835. legitur. *Apertas*. Virg. *Æn.* vi. 127: *Noctes atque dies patet atri janua Ditis*. *Locus accipit ille*. Nam omnes eodem cogimur. Virg. *Æneid.* ii. 716: *Hanc ex diverso sedem veniemus in unam*.

443. *Errant exsanguis.*] Ex opinione Veterum, animæ, deposito hoc corpore terrestri, umbratico quodam et tenui indutæ incedunt, quod caret et sanguine et corpore, i. e. carne, et ossibus. Homer. Od. A. 218. *Maxime exsanguis* dicuntur, quoniam in sanguine vita est.

444. *Parsque forum, etc.*] De negotiis manium. Frequentes congregantur alii in foro, alii in regia Plutonis; illi litigandi causa (IV. Trist. x. 88.) hi salutatum veniunt, more Romano. Apud Homerum, in Od. A. 567 sqq. umbræ ad Minois tribunal causas agunt, et Orion pergit feras agitare in retia. Etiam Plato Rep. lib. x. p. 620. fingit animas defunctorum eadem, quæ in priore vita tractassent, probare studia. Confer et Virg. *Æneid.* vi. 651 sqq. *Imus tyrannus*, rex inferorum. Hor. I. Od. x. 19: *Superis Deorum gratus et imis*.

I i

Pars alias artes, antiquæ imitamina vitæ. 445
 Sustinet ire illuc, cœlesti sede relictâ,
 Tantum odiis iræque dabat! Saturnia Juno.
 Quo simul intravit, sacroque a corpore pressum
 Ingemuit limen; tria Cerberus extulit ora,
 Et tres latratus simul edidit: illa sorores 450
 Nocte vocat genitas, grave et implacabile numen.
 Carceris ante fores clausas adamante sedebant;
 Deque suis atros pectebant crinibus angues:
 Quam simul agnôrunt inter caliginis umbras,
 Surrexere Deæ: sedes scelerata vocatur. 455
 Viscera præbebat Tityos lanianda; novemque

445. Alii, *alias artes*, repete *celebrant*, id est, exercent, idque faciunt ad imitationem. *Antiquæ*, pristinæ, prioris, *vitæ*. Non dubito, cum Schirachio, quin reddendus Nostro sit versus ab Heinsio et Burmanno ejectus, *Exercent. Aliam partem sua pœna coercent*. Nam primum affirmat quidem Heinsius se id fecisse auctoritate optimorum Codicum, verum non nominat illos Codices. Deinde plenior fit sensus servato hoc versu. *Coercent*, castigat, *sua*, propria et merita pœna. *Sustinemus*, quæ inviti facimus. *Dare*, inservire.

449. *Ingemuit*, crepuit. *Gemitus*, omnis sonus, quem res inanimatæ dant, dum calcantur, pulsantur, franguntur. *Cerberus* hic ante fores, ut Tibul. I. iii. 71. ad exemplum prisce ævi, ubi maximi canes ad regiarum ædium fores excubias agebant. Apud Virgilium, versu 417. trans Acherontem antrum habet, unde *latratu trifauci personat*. *Et tres*, etc. Commode laudatur a Burmanno; Lucianus, in Hermotimo: *Καὶ φωνὰς τρεῖς ἄμα ἤφει*.

451. *Nox* Furias uno partu edidit. *Grave*, noxium et sæviens. *Implacu-*

bile, quod non sinit se exorari: *ἀμείλιχον ἦτρον ἔχουσα*. Homer. Il. i. 568. *Numen* collective de tribus. *Carceris*, tartari, quo detinentur scelerati. *Ante fores*, ubi earum sedes: vid. Heyn. ad Æneid. vi. 280. *Adamante*, ferro, ferreis claustris. Nam *ἀδάμας* proprie de ferro. Fast. iii. 805. *ex adamante securis*. Quidquid durum et satis munitum est, *adamantinum* Græcis et Latinis dicitur: vide Græv. ad Hesiod. Scut. ver. 136. *Furiæ* temporis fallendi causa *angues*, quos pro crinibus, aut crinibus implexos (Virg. Georg. iv. 482) habebant, *pectebant*, ut solent otiosæ crines curare. ii. 12. *Fœda* imago.

454. *Quam*—*umbras*, ut Æneas Didonem Virgil. vi. 452. ubi *caliginis* illius ratio describitur. *Surrexere* in honorem advenientis Deæ. *Sedes scelerata*. Virgil. Æn. vi. 563. *sceleratum limen*; Tibul. *At scelerata jacet sedes in nocte profunda*.

456. *Viscera præbebat*, etc.] De pœnis infernalibus. Fons et fundus harum fabularum est Homeri Od. A. 575 sqq. Conf. Noster ib. 175 sqq. Lucret. iii. 995 sqq. de vivis hæc capienda esse monet, ut Tantalus sit imago

Jugerbis distentus erat: tibi, Tantale, nullæ
 Deprenduntur aquæ; quæque imminet, effugit
 arbor:

Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum:
 Volvitur Ixion, et se sequiturque fugitque: 460
 Molirique suis letum patruelibus ausæ,
 Assidue repetunt, quas perdant, Belides undas.
 Quos omnes acie postquam Saturnia torva
 Vidit, et ante omnes Ixiona; rursus ab illo 464
 Sisyphon aspiciens; "Cur hic e fratribus," inquit,
 "Perpetuas patitur pœnas? Athamanta superbum
 Regia dives habet, qui me cum conjugè semper
 Sprevit?" et exponit causas odiique viæque;
 Quidque velit: quod vellet, erat, ne regia Cadmi

hominis superstitiosi, Tityos libidinosi; Sisyphus hominem designet, qui imperia frustra ambiat; per Furias autem intelligendam esse impiorum conscientiam. *Tityos*, Terræ filius, qui vim intulerat Latonæ, Jovis pellici, in tartara detrusus viscera, jecur, *lanianda*, devoranda, *præbebat* duobus vulturibus. Jacebat autem humi prostratus, vastumque ejus corpus novem jugerum spatium implebat.

457. *Distendi*, verbum elegans, quod de longo agrorum tractu proprie usurpatum, hic ad amplitudinem corporis declarandam translatum est. Virgil. et Tibul. in hac re, *porrigi*. Heyne in libro *Antiq. Aufs.* i. p. 56. monet, Tityon fuisse heroa, cujus bustum magno fuerit ambitu, et ad quod vultures versati sint. *Tantalus*, Jovis filius, sive quia Jovis arcana vulgaverat, sive quia Diis apud se cœnantibus Pelopem filium coctum apposuerat, in inferno eam, quæ hic attingitur, pœnam luit.

459. *Urges*, pro volvis magnam indicat vim, qua nititur contra onus. Infra, xiii. 26. *saxum grave Sisyphon*

urget. *Ruiturum*, eleganter, quod ubi montis cacumen attingit, e manibus elapsum in vallem redigitur, de novo volvendum. *Sisyphus*, rex Corinthi, astutia et latrocinii insignis.

460. *Ixion*, rex Thessaliæ. *Se sequitur fugitque* argute de eo, qui ad rotam alligatus assidue volvitur. Similter ib. 175. argute de Sisypho *saxum volvensque petensque*.

462. *Repetere* nunc est, sæpe petere, quod docuit Gronov. ad Senec. Œd. 61. et ad Herc. Fur. 770. *Belides*, quinquaginta filiæ Danai, neptes Beli. Danai frater fuit Ægyptus, qui totidem habuit filios, quos matrimonio sibi junctos trucidarunt Belides.

464. *Ante omnes Ixiona*, nam is Junoni vim inferre voluerat; illa vero nubem ei objecit, quacum coit. Hinc intellige, ix. 123. *E fratribus*, nam Athamas frater Sisyphi erat. *Superbum*, insolentem in ipsos Deos. *Regia eum habet*, habitat in regia. *Dives*, magnifica, egregie instructa. Commode autem a *Sisypho* transitus fit ad intineris consilium.

469. *Ne regia Cadmi* domus, e qua

Staret; et in facinus traherent Athamanta sorores.
 Imperium, promissa, preces confundit in unum,
 Sollicitatque Deas. Sic hæc Junone loquuta,
 Tisiphone canos, ut erat turbata, capillos 473
 Movit, et obstantes rejecit ab ore colubras.
 Atque ita, "Non longis opus est ambagibus," inquit.
 "Facta puta, quæcunque jubes: inamabile regnum
 Desere; teque refer cœli melioris ad auras."

Læta redit Juno; quam cœlum intrare parantem
 Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris. 479
 Nec mora; Tisiphone madefactam sanguine su-
 Importuna facem; fluidoque cruore rubentem [mit
 Induitur pallam; tortoque incingitur angue;
 Egrediturque domo. Luctus comitantur euntem,
 Et Pavor, et Terror, trepidoque Insania vultu.

Ino, floreret. *Stant* quæ dignitatem et fortunas suas tuentur. *Sorores*, Furia: vide Heinsium. *Confundere*, plura simul proferre aut agere. Sic et *miscere*. Plin. V. Ep. viii. 11: *ut dissimilia confundam misceamque*.

473. *Turbata*, quippe pectendo capillos in os dependentes occupata. De formula *ut erat turbata*, vide ad ii. 272; Tibul. I. iii. 91; ad puellam, *qualis eris, longos turbata capillos. Obstantes*, super os dependentes. *Rejecit*, in tergum projecit. Imitatus est Claudian. in Rufin. i. 42: *Alecto—obstantes in tergum reppulit angues. Atque ita*, etc. Alias Diu minores aliquid facere jussi non respondent, sed statim exeuntur mandata. Ab hac lege recedit Tisiphone. *Inamabile*, ἀνέπαστον, ἀτερπές, detestabile, odiosum. Virg. Georg. iv. 479. *pallus inamabilis*.

479. *Iris*, Thaumantis filia, Junonem ex inferno redeuntem *lustrat*, id est, purgat, aquis suis. Cornibus enim suis aquam haurire credebatur.

i. 271. *Roratis aquis*, rore, aqua quatenus infunditur: Vide ad i. 371.

480. *Nec mora; Tisiphone madefactam*, etc.] In omni hoc loco usque ad versum 510, concertavit cum Virgilio, Æneid. vii. 341 sqq. et vide, quam tetram atque abominabilem Furiam ingenium ejus nobis exhibeat. Apud Virgil. Alecto non nisi *Gorgonæis infectu venenis*, id est, anguibus, iter ingreditur. *Importuna*, sæva. *Pallam cruentam* Tisiphoni dat etiam Virgilius, Æneid. vi. 555: quemadmodum Homer. II. Σ, 538. Discordiæ et Tumultui, εἶμα δαφνοειδὸν αἵματι φωτῶν. *Incingitur*, cingitur. Apud Virgilium, Æneid. vii. 345. Alecto curæ sunt bella, insidiæ, iræ, sed hoc loco in comitatu ejus, tanquam personæ, res, quas efficiunt Furia, *Luctus*, *Pavor*, etc. Sic Homer. II. Δ. 439; O. 119; *Pavor* et *Terror* personæ sunt, quæ comitantur Martem. Conf. Claudian. xxviii. 322. Ad insaniæ naturam additum *trepido vultu*.

Limine constiterat : postes tremuisse feruntur
 Æolii ; pallorque fores infecit acernas ; 486
 Solque locum fugit : monstris exterrita conjux,
 Territus est Athamas ; tectoque exire parabant.
 Obstitit infelix, aditumque obsedit Erinnyis ;
 Nexaque vipereis distendens brachia nodis, 490
 Cæsariem excussit : motæ sonuere colubræ ; [sæ
 Parsque jacent humeris ; pars circum tempora lap-
 Sibila dant, saniemque vomunt, linguasque corus-
 Inde duos mediis abrumpit crinibus angues ; [cant.
 Pestiferaque manu raptos immisit : at illi 495

485. *Postes tremuisse.*] Tremor signum advenientium Deorum ; ix. 782 : *et templi tremuere fores. Postes Æolii*, regjæ quam habebat Athamas, filius Æoli. *Acerna* ligna non adeo vilia erant, ut Burmannus sibi persuaserat, qui præfert hoc loco *eburnas. Acernæ mensæ*, quibus Plin. xvi. 15. primam post citreas gloriam tribuit, in supellectile regum et beatissimorum hominum commemorantur a Nostro, xii. 254. et ab Horat. II. Serm. viii. 10. Itaque priscis illis et a luxu remotis temporibus solia adeo regum fiebant ex hoc ligno. Fast. iii. 359. *acernum Numæ solium*. Excellentissimum aceris genus est flavum et crispo macularum discursu.

487. *Sidera fugere*, id est, se nubi- bus tegere, finguntur, quando res abominabilis geritur, ne aspectu ejus offendantur. x. 448. *Monstra*, Furia, Luctus, etc. *Exterrita*, consternata et mente dejecta. Verbum proprium de iis, qui monstris et furiis terrentur ; vid. Heynius ad Virgil. Æneid. iv. 450. et Georg. iii. 434. Burmannus, ad Phædr. iii. fab. 3. monet, summa cum judicii elegantia Poetam majorem dedisse feminæ terrorem, quam viro, qui constantiores esse soleant : verb. enim *terreri* minus significare arguitur.

Sæpe Ovid. repetit simplex ubi compositum præcessit : i. 158 ; ix. 503. Codices nostri Regii habent *est territa* ; quam lectionem, etiamsi adversa opinio sit Burmanni et Gierig, potiolem judico et melius ingenio Ovidiano consentaneam : nempe hujuscemodi repetitio, *monstris est territa conjux, Territus est Athamas*, non rara certe apud Nostrum. *Nexaque vipereis*, etc. Brachia circumligata viperis e capite dependentibus, ita, ut illæ *nexus* et *nodos* facerent. *Excussit*, movit ; itaque substituitur *motæ*. Illa autem excussio signum iræ. i. 179. Jam sequitur horrenda imago.

493. *Saniem.*] *Sanies* de omni humore vel corrupto, vel sædo, nominativum de veneno. Virg. Æn. ii. 221.

494. *Inde duos mediis*, etc.] Hæc sumpta e Virgilio, Æneid. vii. 346—356. ubi res copiosius tractata, et nonnulla iisdem verbis expressa. Nonnulli habent *duas—raptas—at illæ*. Sæpe *anguis* et *serpens* genere feminino capitur. Vid. Heinsius, ad hunc locum, et Burmannus ad i. 438. *Graves animas*, pestiferum halitum. Virgil. d. l. 351 : *vipeream inspirans animam. Vulnera ferre*, infligere. *Membris*, corpori. *Divos*, sævos. Proprie Furijæ dicuntur *Diræ*, 'Αραι.

Inosque sinus, Athamanteosque pererrant;
 Inspirantque graves animas: nec vulnera membris
 Ulla ferunt; mens est, quæ diros sentiat ictus.
 Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni,
 Oris Cerberei spumas, et virus Echidnæ; 500
 Erroresque vagos, cæcæque obliviam mentis, [rem;
 Et scelus, et lacrymas, rabiemque, et cædis amo-
 Omnia trita simul; quæ sanguine mixta recenti
 Coxerat ære cavo, viridi versata cicuta:
 Dumque pavent illi, vertit furiale venenum 505
 Pectus in amborum; præcordiaque intima movit.
 Tum face jactata per eundem sæpius orbem,
 Consequitur motos velociter ignibus ignes.
 Sic victrix, jussique potens, ad inania magni

499. *Monstra veneni*, horrendum venenum. *Echidna*, Chrysaoris filia, peperit Cerberum. *Errores vagi*, deliria; venena, quæ efficiunt errores, scelus, rabiem, etc. Hanc mixturam debemus ingenio Ovidii. Similis tamen phantasia apud alios, ut Virgil *Æneid.* viii. 431. ubi Cyclopes Jovis fulminibus admiscent sonitum, metum, iras. *Cæca*, perturbata; nam ratio et memoria in furiosis sopiuntur.

504. *Cicuta*, calamus istius plantæ tripedalis. Eo utitur loco instrumenti ad miscendam venena. Similem præparationem, vid. vii. 262 sqq. ubi *Medea arenti ramo olivæ* sic utitur. Etiam sqq. e Virg. 374. expressa, *penitusque in viscera lapsum Serpentis furiale malum, totamque pererrat*. Vocabul. *furiale* frequentat Ovidius.

508. *Consequitur*, etc.] Versus difficilis, qui valde torsit ingenia Intt. Accursius emendabat *motis velociter ignibus ignes*, id est, rotata face et commotis ejus ignibus ignes consequitur. x. 7: *nullosque invenit motibus ignes*. Lenzius putat, voc. *ignis* du-

plici sensu positum esse, ita ut *moti ignes* sint interni ignes veneno effecti, quos *Furia ignibus*, jactatione fati, magis excitaverit. Me vero non pœnitent amplecti interpretationem viri docti in Bibliotheca Figur. ex qua orbis ille continuus, quem ignes celeriter moti in aere faciebant, oculis subjicitur. Propter celeritatem motus scintillæ se videbantur attingere et continuum orbem facere, quemadmodum pruna in tenebris celeriter circumacta circulum ignitum oculis objicit. Similiter apud Claudianum, R. P. ii. 25. hasta quam Minerva in gyrum movet, *instar silvæ habet*, quia hasta celeri motu quasi multiplicatur. Ingeniose quidem illum orbem notavit, sed alieno loco.

509. *Jussi potens*, postquam effecerat, quod ipsi jussum erat. Sic *voti potens*, de quo ad ver. 325. *Inania*, in quibus non nisi inanes umbræ versantur. Virgil. *Æn.* vi. 269: *Perque domos Ditis vacuas, et inania regna. Recingitur*; domi mulieres sedebant discinctæ.

Regna redit Ditis, sumptumque recingitur anguem.

Protinus Æolides media furibundus in aula 511
 Clamat: "Io! comites, his retia tendite silvis:
 Hic modo cum gemina visa est mihi prole læna."
 Utque feræ, sequitur vestigia conjugis amens,
 Deque sinu matris ridentem, et parva Learchum
 Brachia tendentem, rapit, et bis terque per auras
 More rotat fundæ; rigidoque infantia saxo 517
 Discutit ossa ferox: tum denique concita mater,
 Seu dolor hoc fecit, seu sparsi causa veneni,
 Exululat; passisque fugit male sana capillis;
 Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis,
 Evoe, Bacche! sonat. Bacchi sub nomine Juno
 Risit: et, "Hos usus præstat tibi," dixit "alum-
 nus." 523

Imminet æquoribus scopulus: pars ima cavatur

511. *Protinus Æolides, etc.*] Jam ad fab. ipsam redit. Hygin. fab. iv. ex Euripide narrat, in venatione filium ab Athamante esse interfectum. Apud Apollodorum, filium pro cervo habet. A Nostro Fast. d. l. *imago falsa* tantum commemoratur. *Learchi* cædes apte et ad commiserationis et ad horrois sensum narrata.

518. *Concita, in furorem adacta.*

519. *Sparsi causa veneni.*] Locum esse sanum credo cum Burmanno; sed paulo subtilius ille sensum repetit e scitis philosophorum, qui *causam* et *materiam* distinxerint, ut *causa* esset operatio divina, venenum *materia*. Imo *causa veneni* videtur esse venenum ipsum, quatenus causa erat istius furoris. Similiter, ii. 836. *causa amoris*. Lenz. *causam* explicat auctorem, ut Furia intelligatur. Idem dubitat, an hic versus profectus sit ab Ovidio, quia causa furoris dubia esse non potuerit. Apparet tamen, quid auctor sequutus

sit his verbis. Nempe indicare voluit, atrociam istius facinoris tantam fuisse, ut vel solus matris *dolor* sine veneno accepto furorem efficere potuerit. *Exululat*, etc. Bacchari incipit quemadmodum et alibi furiosæ Bacchis assimilantur. Hinc commode sarcasmus a Junone adhibetur. *Sonat*, clamat. *Sub nomine*, audito nomine. iii. 245. sic ad *nomen*. *Usus* possis mercedem pro tuis in eum meritis interpretari. Malim tamen *hos lusus* legere. *Lusus Bacchantium* dixit Curtius. IX. x. 25.

524. *Imminet æquoribus, etc.*] Hanc fabulæ partem, quæ ad Ino et Melicertam pertinet, Noster, Fast. vi. 493—550. non modo copiosius retulit, sed etiam, ut Matutam et Portunum Romanorum inde efficeret, longe aliter. Ino cum filio natat in Italiam, ibi incidit in Bacchas, a quarum furore Herculis interventu liberatur, et e vaticinio Carmentæ naturam induit divi-

Fluctibus, et tectas defendit ab imbris undas :
 Summa riget, frontemque in apertum porrigit æ-
 Occupat hunc, vires insania fecerat, Ino ; [quor.
 Seque super pontum, nullo tardata timore,
 Mittit, onusque suum : percussa recanduit unda.
 At Venus immeritæ neptis miserata labores, 530
 Sic patruo blandita suo est : “ O numen aquarum,
 Proxima cui cælo cessit, Neptune, potestas ;
 Magna quidem posco ; sed tu miserere meorum,
 Jactari quos cernis in Ionio immenso ; 534
 Et Dis adde tuis : aliqua et mihi gratia ponto est ;
 Si tamen in dio quondam concreta profundo
 Spuma fui, Graiumque manet mihi nomen ab illa.”
 Annuit oranti Neptunus ; et abstulit illis

nam. *Scopulus*, Moluris nomine, unus ex Scironiis, qui certe consecratus fuit Leucothææ et Palæmoni : vid. Pausan. Attic. p. 108. Apud Lucianum, D. M. 9. Ino ab Athamante ex summo Cithærone, ubi protenditur ad mare, fugatur in pelagus. *Tectas defendit*, e copia poetica, defendit. *Imbres*, tempestates. Virg. *Æn.* i. 163. *scopuli, quorum sub vertice late Æquora tuta silent.* E tali autem scopulo facilis saltus in mare. *Onus suum.* Secundum Apollod. hunc filium suum mortuum gestabat, conjectum nempe in ferventem lebetis aquam. Etiam apud Eurip. *Med.* 1286. cedit in mare propter impiam liberorum cædem, ubi vid. Schol. De spuma alibi usurpatur *albescere*. Plin. V. Ep. vi. 24 : *ex edito desiliens aqua albescit.* Sed et verba *incandescere*, et *recandescere* eodem sensu poni, docet Schwarz. ad Plin. Pan. xxx. 3.

530. *At Venus immeritæ, etc.*] Quoniam Ino Veneris ex Harmonia neptis, propterea hæc e fictione Ovidii inter-

cedit. Apud Lucianum, dicto loco, *Neptunus* sponte, in Bacchi gratiam, iis divinitatem tribuit. *Immeritæ*, insontis, quæ talem sortem non meruerat. *Labores*, miseram sortem, angorem animi, ex insania ortum. *Jactari* ventis et undis nautæ alias dicuntur. *Ionium* absolute dicitur, etiam ubi *immensum* aut *magnum* additur. Verum Moluris, pars montis Geraniæ in finibus Megaridis, imminet non *Ionio*, sed sinui Saronico. Itaque aut *Ionium* alio sensu posuit (Schol. Euripid. ad Phœn. ii. 6.) aut alios auctores sequutus est.

536. *Si tamen in dio, etc.*] Circa Saturni genitalia in mare projecta orta est *spuma* (ἀφρός) alba, unde Venus (Ἀφροδίτη, Ἀφρογενής) prodiit. Hesiod. *Theog.* 188—200. Sic hic mythus grave momentum in his precibus ministrat. *Concreta.* Hesiod. ἐθρέφθη, pro ἐπήχθη. *Profundum dium, ἄλς διὰ ; dius*, divinus, post Lucret. dixerunt multi. Et *dium* vocatur mare propter vastitatem.

Quod mortale fuit, majestatemque verendam
Imposuit; nomenque simul faciemque novavit; 540
Leucotheeque Deum cum matre Palæmona dixit.

Sidoniae comites, quantum valuere, sequutæ
Signa pedum, primo videre novissima saxo:
Nec dubium de morte ratae, Cadmeida palmis
Deplanxere domum, scissæ cum veste capillos: 545
Utque parum justæ, nimiumque in pellice sævæ,
Invidiam fecere Deæ: convicia Juno
Non tulit; et, "Faciam vos ipsas maxima," dixit,
"Sævitiæ monumenta meæ." Res dicta sequuta
est:

Nam quæ præcipue fuerat pia, "Prosequar," inquit,
"In freta reginam;" saltumque datura, moveri 551
Haud usquam potuit; scopuloque affixa cohæsit.
Altera, dum solito tentat plangore ferire
Pectora, tentatos sentit riguisse lacertos.
Illa, manus ut forte tetenderat in maris undas, 555

539. *Majestas verenda*, ipsa divinitas, et *imposuit* exquisitius, quam *edit*. ix. 268: *Ubi mortales Tiryntius Exiit artus — Cæpit — augusta fieri gravitate verendus*. Nomen iis, secundum Apollodorum, a nautis impositum, quibus cum tempestate luctantibus opem ferunt. Meminit hujus Deæ jam Homer. Od. E. 333. sqq.: *Κάδμου θυγάτηρ, καλλίσφυρος Ἴνώ, Λευκοθέη, ἣ πρὶν μὲν ἔην βροτῶς*, etc. Leucotheen Latini *Matrem Matutam*, *Palæmona Portunum* dixerunt: vid. Munker. ad Hygin. fab. ii. Cæterum hanc Inûs transformationem cecinit etiam Ramlerus carmine elegantissimo.

542. *Sidoniae comites*, etc.] Hanc appendiculam cæteri non habent, et adjecta videtur ab ipso Ovidio. Quum et comites mutandæ essent, facilis

VOL. III.

erat inventio. In litoribus enim et *saxa* esse et *aves* commorari solent. *Sidoniae*, mox *Ismenides*. *Deplanxere*, scilicet, se propter *domum*. Ita apud Græcos, *τίλλεσθαι, κόπτεσθαι, τύπτεσθαι τινά*, se, sua pectora, tundere propter aliquem. Tibul. I. vii. 28. *plangere Memphitem bovem*, ubi vide Heynium, in Obs. *Invidiam fecere*, conviciis et objurgationibus de fama ejus detraxerunt, odium ei conciliârunt.

550. *Nam quæ præcipue*, etc.] Quoniam in saxis partes memorabiles nullæ, ut has quoque transformationes cum varietate aliqua et copia referre posset, *gestus* diversos notavit, in quibus comites deprehensæ sint; in quo et ipso ingenium antiquioris sequutus est. Vide ad v. 182.

K k

Saxea facta manus in easdem porrigit undas :
 Hujus, ut adreptum laniabat vertice crinem,
 Duratos subito digitos in crine videres.

Quo quæque in gestu deprenditur, hæsit in illo. 559
 Pars volucres factæ ; quæ nunc quoque gurgite in
 Æquora destringunt summis Ismenides alis. [illo

III. Nescit Agenorides natam, parvumque nepo-
 Æquoris esse Deos : luctu serieque malorum [tem
 Victus, et ostentis, quæ plurima viderat, exit
 Conditor urbe sua ; tanquam fortuna locorum, 565
 Non sua se premeret ; longisque erratibus actus,
 Contigit Illyricos profuga cum conjuge fines. [tant
 Jamque malis annisque graves, dum prima retrac-
 Fata domus, releguntque suos sermone labores ;

561. Revocavi antiquiorem lectionem *summis*, quum Heinsius *sumptis* correxisset. Illud enim bene convenit voc. *destringunt*. Non merguntur illæ aves, sed *summis* tantum *alis destringunt*, radunt super ficiem maris. Supra, ver. 136: *æquor exigua quum summum stringitur aura*. xi. 733: *Stringebat summas ales miserabilis undas*.

562—602. *Nescit Agenorides natam*, etc.] Cadmus, Thebis relictis, ad Encheleas fugit, a quibus, monente oraculo, primum dux contra Illyricos, mox rex creatur. Apollod. III. v. 4; Pausan. Bœot. p. 719; Strabo, vii. p. 503. Sed apud Mythicos ad extremum mutatur in draconem. Euripid. Bacch. ver. 1328 sqq.; Hygin. fab. vi; Apollon. iv. 517; Nonni Dionys. lib. xlv. Atque ita eventum habuit oraculum supra iii. 98. ei datum. Aut Etymologia hanc fab. peperit, quia Cadmus ad Ἐγχελεῖς confugit, aut symbolica quædam imago, de qua ad versum 602. *Nescit*, unde solatium capere potuisset in

luctu. *Series illa malorum* in superioribus narrata, inde a iii. 138. *Victus*, fractus animo. *Ostentis*, quæ futura etiam mala portendebant. A Baccho ei apud Euripidem prædicitur ὄχλος μόχθων. *Exit*, immo ejectus est, vel quod Bacchum contempserat, Euripid. d. l. vel ab Amphione et Zetho, Syncel. p. 157. Etiam *locis Fortuna* quædam præerat, eorumque fata regebat. Confer vii. 576; x. 335; ibique notam. *Premeret*, vexaret. *Erratibus*, erroribus, nove dictum. *Erravit* autem per Macedoniam et Epirum. Apollodorus.

568. *Jamque*.] Nempe postquam aliquandiu regnaverat ibi, filiumque Illyricum genuerat; confer Apollod. *Graves*, defatigati. Etiam Græc. ἐμναυροῖς βεβαρημένοι. Horat. I. Sat. i. 4. miles annis gravis. *Retractant*, memoria et sermone repetunt. vii. 714. Eodem redit *relegere*; nam qui *relegit iter*, is eadem, qua venerat, via redit.

570. *Sacer*.] Marti erat consecratus, adeoque inviolabilis. Hinc Cad-

“ Num sacer ille mea trajectus cuspide serpens,”
 Cadmus ait, “ fuerit tum, quum Sidone profectus
 Vipereos sparsi per humum, nova semina, dentes?
 Quem si cura Deum tam certa vindicat ira, 573
 Ipse precor serpens in longam porrigar alvum.”
 Dixit; et, ut serpens, in longam tenditur alvum;
 Duratæque cuti squamas increescere sentit,
 Nigraque cæruleis variari corpora guttis:
 In pectusque cadit pronus; commissaque in unum
 Paulatim tereti sinuantur acumine crura. 579
 Brachia jam restant: quæ restant, brachia tendit;
 Et lacrimis per adhuc humana fluentibus ora,
 “ Accede, o conjux, accede, miserrima,” dixit;
 “ Dumque aliquid superest de me, me tange;
 manumque [anguis.”
 Accipe, dum manus est; dum non totum occupat
 Ille quidem vult plura loqui; sed lingua repente
 In partes est fissa duas: nec verba volenti 586
 Sufficiunt; quotiesque aliquos parat edere questus,
 Sibilat: hanc illi vocem Natura relinquit.
 Nuda manu feriens exclamat pectora conjux,
 “ Cadme, mane; teque his infelix exue monstris.

mus Martis ira transformatus exhibetur. Hygin. fab. vi. Dubitat autem Cadmus de eo, quod dubium ei esse non poterat, et quod nec Penthea latebat. iii. 531. *Nova*, inusitata.

573. *Cura Deum.*] Vide ad i. 48. *Certa*, inevitabili. *Porrige et tendi*, extendi, verba satis commoda ad exprimendam draconum formam.

576. *Duratæ*, ut iii. 675. *Guttæ*, maculæ. Virgilius, Georg. iv. 99. de apibus, *lita corpora guttis*. *Cæruleis*; subviridibus, qualis maris color. *Comitti in unum* exquisitius, quam, concrescere; elegantius etiam *sinuantur*

acumine, quam, fiunt acumen; id enim serpentes frequenter *sinuare*, curvare, solent.

583. *Dumque aliquid*, etc.] Expressa hæc videntur ex Euripideis, quæ servavit Hermogenes, p. 226 sqq.: vide Valken. Diatrib. Eurip. p. 12. Οἱ μοί δράκων μου γίγνεται τὸ γ' ἡμισυ. Τέκνον, περιπλάκηθι τῷ λοιπῷ πατρὶ. Confer ix. 386 sqq. *Fissa duas*. Vide ad iii. 34. *Volenti*, nempe loqui: vide ad ii. 128. Ergo *loquenti*, quod nonnulli habent, fluxit e correctione. *Quotiesque*, etc. Confer i. 637.

590. *His monstris*, hac horrenda

Cadme, quid hoc? ubi pes? ubi sunt humerique
manusque?

Et color, et facies, et, dum loquor, omnia? cur non
Me quoque, cœlestes, in eandem vertitis anguem?"

Dixerat: ille suæ lambebat conjugis ora;

Inque sinus caros, veluti cognosceret, ibat; 595

Et dabat amplexus, assuetaque colla petebat.

Quisquis adest, aderant comites, terretur: at illa

Lubrica permulcet cristati colla draconis,

Et subito duo sunt; junctoque volumine serpunt;

Donec in appositi nemoris subiere latebras. 600

Nunc quoque nec fugiunt hominem, nec vulnere
lædunt;

Quidque prius fuerint, placidi meminere dracones.

X IV. Sed tamen ambobus versæ solatia formæ

forma. Schirachius intelligit singula monstri membra, squamas, vultus, etc. Immo pluralis pro sing. iii. 673: *in quæ miracula verteris?* Miræ autem transformationes et *monstra* et *miracula* dici solent. ii. 367; ix. 666. *Ubi pes?* etc. Male in summa animi perturbatione singula membra recenset. *Eandem*, similem.

594. *Ille suæ lambebat conjugis ora.*] Etiam mutatis manent pristina studia: quanquam Cadmo annis gravi ista amoris signa jam desueta fuisse videntur. Paulo post, Heinsius, e vestigiis vetustorum Codicum, invexerat at illos (comites) *Lubrica permulcent cristati colla dracones*. Ita Harmonia serpens est, ante quam mutatur. Nos igitur revocavimus antiquam lectionem, quam flagitat contextus. Draco blanditur Harmoniæ. Eo terrentur comites; at illa vicissim blanditur, et inter illas blanditias subito mutatur. Codex Regius A, at illis *Lubrica perlucet*. Quæ lectio notanda et pretiosior vulgata. Uxor enim Cadmi ab

Diis petit ut *in eundem vertatur anguem*; et statim, voto Diis annuentibus, illis ambobus *lubrica perlucet colla*, etc. *Junctoque volumine*. Et xi. 64. Orpheus et Eurydice *conjunctis spatiantur passibus*; sic serpentes, qui se *volvendo* moventur, *juncto volumine serpunt*. *Appositi*, vicini. Subiere *Ma-luerat Heinsius repserere*, quia dubitabat an *subire in latebras* satis Latinum sit; et quidem insolens hæc constructio. Serpens Veteribus sæpe *placidum animal*. Itaque et genii boni hac figura exhibebantur. Apud Euripidem hi duo transferuntur a Marte in beatorum terram. Secundum Apollod. in dracones mutati a Jove mittuntur in Elysium. In Schol. Pindari P. iii. 153. curru anguibus juncto in Elysium abducuntur. Talis imago forte in monumento eorum apud Encheleas expressa peperit fabulam.

603—661. *Sed tamen ambobus*, etc.] Perseus, Jovis et Danaes filius, Acrisii, regis Argivorum, nepos, couditor Mycenarum, unus ex heroibus priscis, iti-

Magna nepos fuerat, quem debellata colebat 604
 India; quem positis celebrabat Achaïa templis.
 Solus Abantiades, ab origine cretus eadem,
 Acrisius superest, qui mœnibus arceat urbis
 Argolicæ; contraque Deum ferat arma; genusque
 Non putet esse Jovis: neque enim Jovis esse pu-
 tabat
 Persea; quem pluvio Danae conceperat auro. 610
 Mox tamen Acrisium, tanta est præsentia veri,

neribus longis laboribusque difficillimis susceptis inclaruit an. circiter 1348. a Chr. n.; sed res ab eo gestas ita fabulosa antiquitas pervertit, ut nihil certi hodie inde erui possit: vid. de eo Herodot. ii. n. 91; vii. 61. 150; Pausan. Corinth. pluribus locis. Earum rerum fabulosarum nonnullas, quoniam et ipsi transformationes insunt, post Bacchicâs laudes hinc narrare incipit. Ac primum quidem de *Atlante*, Iapeti filio, quem Perseus, quum requiem in regno ejus impetrare non posset, capitis Medusæ opera in montem cognominem mutavit. Atlantis, cœlum vertice sustinentis, jam meminerunt Homer. Od. A. 52. sqq. et Hesiod. Th. 517. Conf. Apollod. I. ii. 2; II. v. 11; Hygin. fabul. 150. ubi Atlas, Iapeti filius, dux Titanum cœlum oppugnantium, a Jove cœli fornicem humeris ferre cogitur. Nempe apparet, Atlantem, Iapeti filium, et Atlantem, Africæ montem, in hac fabula esse confusos. E schol. Hom. II. Σ. 486. apparet, Atlanticas fabulas tractatas esse ab Hellenico.

604. *Debellata*.] Nexus causa addit aliquid de Baccho, ejusque contemptore Acrisio. *Debellata*. Nam cum exercitu Bacchus penetravit ad Indos, triumphum de iis egit, magnamque inde gloriam deportavit. Diod. Sic. iv. 3; Pausan. p. 869; Curt. IX. x. 25. *Achata*, omnis Græcia.

606. *Abantiades*.] Ordo regum Argivorum est hic, Danaus, Lynceus, Abas, cujus filii Acrisius et Prætus. Pausan. Corinth. p. 145. Acrisius ex conjuge, quam alii Eurydicen, alii Aganippen vocant (vid. Munker. ad Hygin. fab. 63.) suscepit Danaen, quæ quomodo a Jove, in imbrem aureum converso, vitiata sit, atque Persea pepererit, satis notum est. *Ab origine—eadem*. Nempe Agenor, Cadmi pater, et Belus, cujus filius Danaus, fratres erant. Hinc, 771. Perseus, æque ac Cadmus, *Agenorides*. *Mœnibus arceat*. Confer iii. 559. *Genus, filius*. *Pluvium aurum* pro vulgari, pluvia aurea. Sine dubio Prætus, Danaen vitiaturus, aureos nummos in sinus ejus effudit, ut Lactantius, et alii monuerunt. Jucunde vim auri ex hac fabula demonstrat Horat. III. Od. xvi. Inde autem Perseus, χρυσόπαρος dictus.

611. *Præsens*, cujus vis et potestas statim sentitur, ut *præsens Deus, præsens venenum*. Eodem sensu nunc *præsens*. *Nepotem*, divinam nepotis originem. *Pænitet*. Etenim Bacchus matres Argivas in furorem conjecit, ut suos liberos in montibus devorarent. Apollod. III. v. 2. *Impositus cælo*. Bacchus, ubi matrem ex inferis reduxerat, cum ea sublimis abiit in cœlum. Diod. iii. 62; iv. 25: Apollod. III. v. 3.

Tam violâsse Deum, quam non agnôsse nepotem,
 Pœnitet: impositus jam cœlo est alter; at alter,
 Viperei referens spoliū memorabile monstri,
 Aera carpebat tenerum stridentibus alis. 615
 Quumque super Libycas victor penderet arenas,
 Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ:
 Quas humus exceptas varios animavit in angues;
 Unde frequens illa est, infestaque terra colubris.
 Inde per immensum ventis discordibus actus 620
 Nunc huc, nunc illuc, exemplo nubis aquosæ,
 Fertur, et ex alto seductas æthere longe
 Despectat terras; totumque supervolat orbem.
 Ter gelidas Arctos, ter Cancrī brachia vidit:
 Sæpe sub occasus, sæpe est ablatus in ortus. 625
 Jamque cadente die veritus se credere nocti

614. *Vipereum monstrum*, caput Medusæ, de quo ver. 770 sqq.: ὄφραρον πρότερον exponit. Memorabile, fama celebratum. Expressit autem h. l. Apollon. Rhod. iv. 1513. *Aera*, tanquam viam. *Carpebat*, volabat. Forte respexit Virg. Georg. iv. 310. *Tenerum*. Usitatus est *tenuem*. Sed et Virgil. Æneid. ix. 699. *tenerum aera*; et Lucret. i. 208. *tenerus auras*. Ad celeritatem itineris declarandam Perseo *alæ* datæ sunt, de quibus vide ad versum 666. Volans expressus etiam erat in Scuto Herculis. Hesiod. 216 sqq. *Penderet*. Vide ad ii. 708. *Libycæ arenæ* propter siccitatem: vide ad ii. 235.

617. *Gorgonei*, etc.] Sic et Apollon. iv. 15. Sed Nicander Ther. init. auctoritate Hesiodi, Titanum e sanguine venenatas bestias ortas esse canit. Sanguinem Typhonis substituit Acusilaus. Vid. Schol. Nicandri et Apollon. ad d. l. *Aninavit in angues*, breviter dictum, animavit et vertit in angues. *Infesta* nunc passive, quæ infestatur.

Vid. Gellius, N. A. ix. 12. Pomponius Mela, iii. 10: *Prima ejus Æthiopes tenent, media nulli; nam aut exusta sunt, aut arenis obducta, aut infesta serpentibus.*

620. *Inde per immensum*, etc.] Commode hæc usque ad versum 625. abesse possent; obsunt ergo brevitati, quæ eximia narrationis virtus. *Immensum*, ut alibi *Inane*, absolute de aere. Expressit autem Homerus, Od. E. 330 sqq.: ἀνεμοὶ φέρον ἐνθα καὶ ἐνθα. Ἄλλοτε μὲν τε Νότος Βορέη προβάλεσκε φέρεσθαι, Ἄλλοτε δ' αὐτ' Ἐὐρος Ζεφύρω, etc. *Seductas*, longe a se distantes.

626. *Cadente die*, tempore vespertino. *Proprie sol cadit*, occidit, sed apud poetas etiam *dies* et *lux*. *Vertur se nocti credere*, noctu iter facere, ne aberret a via. Constitit in occidentali Africæ parte, ubi Mauritania, Atlantis regnum. *Evocat* e regia Solis, in qua et vigil Aurora et currus *diurni*, id est, solares. ii. 106 sqq. *Vocari* ab aliqua re dicitur id, quod eam

Constitit Hesperio, regnis Atlantis, in orbe ;
 Exiguamque petit requiem, dum Lucifer ignes
 Evocet Auroræ, currus Aurora diurnos.
 Hic hominum cunctos ingenti corpore præstans
 Iapetionides Atlas fuit : ultima tellus 631
 Rege sub hoc, et pontus erat, qui Solis anhelis
 Æquora subdit equis, et fessos excipit axes.
 Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
 Errabant ; et humum vicinia nulla premebant. 635
 Arboreæ frondes, auro radiante virentes,
 Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.

sequitur. Virgil. Georg. i. 388: *Vocat pluviam cornix.*

630. *Cunctos hominum.*] Græco more. Liv. xxx. 9. *expediti militum.* Lectio Codicis B. *custos*, sola sincera mihi videtur : apud Homerum enim et cæteros poetas, reges sunt ποιμένες λαῶν, pastores, custodes populorum. Atlas, Iapeti filius, Mauritaniæ rex, quem, quum Astronomiæ esset studiosus, sphaeramque invenisset, cælum humeris sustinere poetæ finxerunt. Sic Cic. Tusc. v. 3 ; Isidor. lib. xiv. cap. 8. *Ultima.* Vide ad ii. 254. *Pontus æquora subdit*, subdit se, aquas suas, undis suis excipit equos. Virgil. Æneid. x. 103: *premit placida æquora pontus*, premit suas undas, ut quiescant. *Anheli equi* jam orienti Soli dantur a Virgilio, Georg. i. 250. *Fessi axes*, ut fessæ cursu naves. Plinius, V. Ep. vi. 14 : *auras spatium ipso lassas.*

635. *Errare verbum proprium* et elegans de gregibus et armentis, quæ pascuntur in prato. Virgilius, Georg. i. 15: *cui Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.* Priscis autem temporibus, *greges* et *armenta* maximæ ipsorum regum opes. *Vicinia nulla*, quia in extremo orbe terrarum ad Oceanum habitabat. *Premebant.* No-

stri Regii, *premebat vicinia* in feminino genere. *Premere* eleganter, pro *includere*, *coercere*.

636. *Arboreæ frondes*, etc.] Hæc sunt illa *aurea poma*, quæ alii Hesperidibus, Atlantis filiabus, tribuebant. Veterum alii citrea vel aurantia intelligenda esse putabant, Athen. lib. iii. p. 82 sq. alii oves præstantissimas colore rutilo ; poetis enim oves μήλα dicebantur. Diodor. iv. p. 233 ; Palæph. 19. Quum *poma aurea* his arboribus data essent, alii et *frondes ramosque* finxerunt ex eo eodem metallo. In Mauritania hortos illos collocarunt et alii, ut Plinius, Hist. Nat. v. 5. de Lixo, illius terræ urbe, *ibi et Hesperidum horti* ; nonnulli in Cyrenaica, Apollod. inter Hyperboreos, sed antiquiores in insula Oceani Occidentalis. Hesiod. Th. 215. πέρην κλυτοῦ Ὀκειανοῖο. Sic et Pherecydes : vid. Salmas. Exercitt. Plin. p. 207 et 671. *Auro radiante virentes* exquisite, aureæ. *Virere* bene delectum, quia et frondibus et metallis aptum. Claudian. xxxv. 291 : *Fulgentes viridi ramos curvata metallo.* *Auro* repetitur sic, ut ii. 107. Frondes ut *vestire*, ita et *tegere* arbores dicuntur.

“ Hospes,” ait Perseus illi, “ seu gloria tangit
 Te generis magni : generis mihi Jupiter auctor ;
 Sive es mirator rerum, mirabere nostras. 640
 Hospitium, requiemque peto.” Memor ille vetustæ
 Sortis erat : Themis hanc dederat Parnasia sortem ;
 “ Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
 Arbor : et hunc prædæ titulum Jove natus habe-
 Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas [bit.”
 Mœnibus, et vasto dederat servanda draconi ; 646
 Arcebatque suis externos finibus omnes. [rum,
 Hinc quoque, “ Vade procul, ne longe gloria re-
 Quas mentiris,” ait, “ longe tibi Jupiter absit.”
 Vimque minis addit ; foribusque expellere tentat
 Cunctantem, et placidis miscentem fortia dictis. 651
 Viribus inferior ; quis enim par esset Atlanti
 Viribus ? “ At quoniam parvi tibi gratia nostra est ;
 Accipe munus,” ait ; lævaque a parte Medusæ 654
 Ipse retroversus squalentia prodidit ora. [que
 Quantus erat, mons factus Atlas : jam barba comæ-

642. De *Themidis* oraculo vide ad i. 321. Themis autem cognata Atlanti ; ambo enim genus ducebant a Titanibus. *Titulum*, gloriam, hanc gloriosam prædam. Et eventum habuit hæc sors ; namque Hercules, *Jove natus*, illa mala abstulit : vid. ix. 190. Per *mœnia* Burmannus intelligit montes, qui munimen præstiterint. Fuerit sane Atlas immanis gigas, si montes transtulerit, iisque pomaria clauserit ! Nec quisquam montes facile dixerit *solidos*. De ædificiis legitur, iii. 696. *Draco* ille dictus est Ladon. Apollon. Rh. iv. 1396.

649. *Longe esse* aut *abesse* nobis dicuntur, quæ nobis nihil prosunt. Tibul. I. v. 2 : *At mihi nunc longe gloria fortis abest*. Ut ibi *gloria fortis*,

qua se fortem gloriabatur, sic nunc *fortia dicta*, quibus se fortem, intrepidum, declarabat, adeoque minacia. Plin. V. Ep. xx. 17. *vox parum fortis*. *Gratia* : sensus est, quoniam tu non curas meam gratiam inire, ego, *munere* dato, tuam inibo.

654. *Lava a parte*, qua clypeum gestare solebant ; confer versum 781. *Squalentia*, horrida propter serpentes. Senec. Med. versu 14. de Furiis, *Crinem solutis squalidæ serpentibus*. Vide ad i. 374.

656. *Atlas*, mons Mauritanæ Tingitanæ, cacumine nubes superans, ut cælum non modo attingere, sed sustinere adeo videatur. Hinc fluxit fabula. Herodot. iii. 2. Montes altissimi columnæ, *κίονες*, cœli dici so-

In silvas abeunt ; juga sunt humerique, manusque ;
 Quod caput ante fuit, summo est in monte cacu-
 Ossa lapis fiunt : tum partes auctus in omnes [men ;
 Crevit in immensum, sic Dî statuistis, et omne
 Cum tot sideribus cælum requievit in illo. 661

V. Clauserat Hippotades æterno carcere ventos ;
 Admonitorque operum cælo clarissimus alto
 Lucifer ortus erat : pennis ligat ille resumptis
 Parte ab utraque pedes ; teloque accingitur unco ;
 Et liquidum motis talaribus aera findit. 666

lebant. Pindar. Pyth. i. 36. Apud
 Homerum, Od. A. 52. Atlas cælum
 sustinens (ἐχων κίονας μακράς, αἰ
 γαῖαν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι)
 homo est, isque peritissimus rerum,
 ὀλοφθρων, qui et maris totius profun-
 ditates noverit. Hoc phantasma Hey-
 nius ad Apollod. III. x. 1. a monte
 ductum censet, cujus radices extremæ
 in maris fundum procurrant, cælo
 vertici incumbente. A poetis passim
 tanquam vastus gigas describitur, ut
 Virgil. Æneid. iv. 246. ubi ei caput,
 humeri, barba, tribuuntur. Conf. idem,
 viii. 136 sqq. et Silius, i. 201 sqq. :
Canet barba gelu, frontemque immani-
bus umbris Pineæ silva premit.

662—751. *Virgæ in curalia*, etc.]
 Legitur hæc metamorphosis etiam in
 Orphei carm. de Lapidibus, xv. 49
 sqq. quanquam cum varietate aliqua.
 Ibi enim mutatio fit statim post re-
 sectum et adhuc calidum Medusæ
 caput : sed Ovidius hæc conjungere
 maluit cum *Andromedæ* liberatione,
 quæ sane est pars gravissima fabulæ.
 Eam, quam Hygin. *notissimas histo-*
rias vocat, tractârunt Sophocles et
 Euripides. Inde pendet Eratosth. 15,
 16, 17. Vid. et Hygin. fab. 64. et
 P. A. ii. 9—11 ; Apollod. II. iv. 3 ;
 Schol. Lycophr. 836 ; Conon. 40.
Æterno carcere. Hæc vocabula valde
 offendunt Interpretes, sed sine causa.

Intelligatur nil aliud, nisi perpetua
 ventorum sedes, in quam, Æolo im-
 perante, reverti semper coguntur, ubi
 mandata executi sunt, et ad quam,
 tanquam ad carcerem, damnati sunt
 a Jove, quum antea libere vagarentur
 per orbem. Apud Virg. Æn. i. 52—
 63. *Æolus clauso ventorum carcere*
regnat, quæ verba Ovidius ante oculos
 habuit. Sic fere et vir doctus in Mis-
 cell. Obs. vol. VII. tom. ii. pag. 274.
Hippotades, Æolus, Hippotæ nepos.
Lucifer præclare *admonitor operum*
 quo oriente homines e somno excitantur
 et ad opus suum redire admonentur.
 Similiter Virg. Georg. iv. 186 :
Vesper admonet decedere campis. Æ-
 neid. xi. 183 : *Aurora referens opera*
atque labores. Tenendum etiam est
 hoc, *monitores* dictos esse, qui opus
 facientibus præessent, et facienda do-
 cerent. Corte ad Sallustium, Jug.
 lxxxv. 10.

664. *Ligat pennis pedes*, alligat pen-
 nas pedibus. *Parte ab utraque.* Vide
 ad xii. 272. *Talaria*, πτερύοντα πέ-
 διλα, πτερῶτὰ ὑποδήματα, et ga-
 leam Perseus adversus Medusam pro-
 ficiscens accepit vel a Mercurio, Hy-
 gin. fab. 64. vel a Nymphis prope
 Gorgonas habitantibus, Pausan. La-
 con. p. 251 ; Apollod. d. l. ; Hygin.
 P. A. ii. 12.

Gentibus innumeris circumque infraque relictis,
 Æthiopum populos, Cepheïa conspicit arva.
 Illic immeritam maternæ pendere linguæ
 Andromedan pœnas immitis jusserat Ammon. 670
 Quam simul ad duras religatam brachia cautes
 Vidit Abantiades; nisi quod levis aura capillos
 Moverat, et trepido manabant lumina fletu,
 Marmoreum ratus esset opus: trahit inscius ignes,
 Et stupet; et visæ correptus imagine formæ, 675
 Pæne suas quater est oblitus in aere pennas.
 Ut stetit; “O,” dixit, “non istis digna catenis,
 Sed quibus inter se cupidi jungantur amantes;
 Pande requirenti nomen terræque tuumque; 679
 Et cur vincla geras.” Primo silet illa; nec audet
 Appellare virum virgo; manibusque modestos

668. *Populis* per appositionem addit *arva*, more poetis familiari, de quo vide Heinsium et Burmannum. *Cepheum*, Phœnicis filium, Æthiopum regem faciunt etiam Euripid. apud Eratosth. cap. 15. et Apollod. d. l.; sed plures Joppensem, ut Pausan. p. 370. Strabo, xvi. et quos laudamus ad versum 688.

669. *Maternæ—linguæ.*] Cassiope, Cephei uxor, quum se formosissimam jactaret, Nereidum invidiam sibi conciliavit. Illæ vero impulerunt Neptunum, ut Cephei terras diluvio vastaret, a quo, Jove *Ammon* (cujus templum Æthiopicis vicinum) momente, liberari haud poterat, nisi Andromeda, scopulo alligata, ceto objiceretur; cui quidem oraculo paruit Cepheus, Æthiopum vi compulsus. Apollod. d. l. Apud Hygin. vero, Neptuno expostulante, Andromeda tam tristem sortem experta est. *Linguæ pœnas.* Vide ad vi. 213.

672. *Abantiades* nunc est Abantis

pronepos, Perseus. Mox bene *trepidus fletus*, e natura lacrymarum. Non igitur cum aliis *tépido* præferendum; tepor enim cerni non potest. Peccavit poeta jam eo, quod Persea ex alto æthere *fletum* vidisse finxit. *Manare* alibi cum accusat. vi. 312. ubi vide Heinsium. *Marmoreum opus*, marmoream statuam. *Trahit ignes.* Virgilius, Æneid. iv. 101: *Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem.* Cum hoc *stupore* cf. ii. 715—721. *Imago formæ*, forma.

681. *Appellare.*] Heinsius suadet *aspectare*. Dubitat an *appellare* dici recte possit, quæ respondeat *appellanti*. Sed *appellare* potest esse, auxilium petere, ut apud Cicer. Quint. 7; Verr. iv. 651: vide Ernesti Clav. Cic. h. v. Malim tamen per alloqui, aut colloqui interpretari. Bene autem notavit verecundiam virginis, in primis ex moribus Græcorum et Orientalium, apud quos *virginibus* cum *viris* nulla consuetudo.

Celâsset vultus, si non religata fuisset.

Lumina, quod potuit, lacrimis implevit obortis.

Sæpius instanti, sua ne delicta fateri

Nolle videretur, nomen terræque suumque, 685

Quantaque maternæ fuerit fiducia formæ,

Indicat: et, nondum memoratis omnibus, unda

Insonuit; veniensque immenso bellua ponto

Eminet; et latum sub pectore possidet æquor.

Conclamat virgo: genitor lugubris, et amens 690

Mater adest; ambo miseri, sed justius illa,

Nec secum auxilium, sed dignos tempore fletus,

Plangoremque ferunt; vinctoque in corpore ad-
hærent,

Quum sic hospes ait: " Lacrimarum longa manere

Tempora vos poterunt: ad opem brevis hora fe-
rendam est; 695

Hanc ego si peterem Perseus Jove natus, et illâ

Quam clausam implevit fœcundo Jupiter auro,

686. *Fiducia formæ*; ita lenissimo nomine peccatum matris designat.

688. *Bellua*.] Illa bellua fuit *cetus*, ut tradunt cæteri scriptores. Eratosth. *παραδεισαν τῆ κήρει βοράν*. Hygin. *ceto propositam*. Sed et Plin. v. 31. simpliciter *belluum* vocat: *In Phœnicio mari ante Joppem Paria, tota oppidum, in qua objectam belluæ Andromedam ferunt*. Vid. et ix. 5. Sed Pomp. Mela, I. ii. 20. memorat, illius ossa adhuc servari in urbe Joppensi, ibidemque veteres quasdam aras titulum Cephei, fratrisque Phinei, cum religione plurima retinere. Verum Pompon. sequitur, ut Is. Vossius monet, auctores Græcos, qui id scripserant, ante quam ossa Romam transferrentur. *Possidet*, premit corpore suo latum spatium. Plin. Hist. Nat.

IX. iii. s. 2. *balænus quaternum jugerum* commemorat.

690. *Genitor lugubris, etc.*] Pater tantum *lugubris*, mater vero *amens*; plus enim movebatur et ut mulier, et ut causa calamitatis. Sed Perseus, ut Brutus apud Livium, i. 59; *castigator inertium querelarum*.

697. *Quam clausam*.] Acrisius oraculo monitus erat, fore, ut filius, quem filia peperisset, ipsum interficiat. Id metuens Danaen subterraneo cubiculo inclusam custodiri jussit. Nihilo tamen minus vitiata est. Eurip. fragm. Danaes, ver. 6 sqq. tom. ii. pag. 409. ed. Lips. Apollod. pag. 89; Hygin. fab. 63. Nihil enim est tam *δυσφύλακτον, ὡς γυνή*, ut est apud Eurip. fragm. Danaes. Nescit tamen Heins. an *clausa*, absolute positum, sit satis

Gorgonis anguicomæ Perseus superator, et alis
 Ætherias ausus jactatis ire per auras ;
 Præferrer cunctis certe gener : addere tantis 700
 Dotibus et meritum, faveant modo numina, tento.
 Ut mea sit, servatâ mea virtute, paciscor.”
 Accipiunt legem, quis enim dubitaret ? et orant,
 Promittuntque super regnum dotale, parentes.
 Ecce velut navis, præfixo concita rostro, 705
 Sulcat aquas, juvenum sudantibus acta lacertis ;
 Sic fera, dimotis impulsu pectoris undis,
 Tantum aberat scopulis, quantum Balearica torto
 Funda potest plumbo medii transmittere cœli ;
 Quum subito juvenis, pedibus tellure repulsa, 710
 Arduus in nubes abiit : ut in æquore summo
 Umbra viri visa est, visam fera sævit in umbram.
 Utque Jovis præpes, vacuo quum vidit in arvo
 Præbentem Phœbo liventia terga draconem,

Latinum ; sed bene Burmann. monet, etiam, iii. Art. 415. Danaen *clausam* dici simpliciter. *Fœcundum*, fœcundans, ut i. 420. *vivax*, vitam dans.

701. *Dotibus*.] *Dos*, quidquid hominem aut rem aliquam commendat. Plin. I. Ep. xxiv. 5: *prædiolum, quod commendatur his dotibus*. Non ergo hic respici puto prisca tempora, quibus sponsus et sponsæ et parentibus ejus dotem afferre solebat.

703. *Accipere legem* formula solennis. Apollod. ἐπὶ τοῦτοις γενομένων ὄρκων. *Super*, insuper. *Dotale*, in dotem.

705. *Ecce velut navis*.] Non male delecta similitudo. Plin. Hist. Nat. IX. vi. 6. de balæna: *Eminebat dorso multum super aquas, carinæ vice inversæ*. Idem ibid. de orcis, *balenas incursu, ceu liburnicarum rostris, fodiunt*. *Sulcat* exquisitius, quam, findit. Vir-

gil. Æneid. v. 158. *sulcant vada salsa carina*. *Juvenes*, remiges.

708. *Balearica funda*.] Balearium insularum incolas fuisse peritissimos funditores satis notum. *Torto*, quod torquetur, mittitur e funda. *Pedibus*, etc. ut vim adderet corpori. Vide ad ii. 786. *In nubes* aut *ad astra abire* dicuntur omnino qui se attollunt in aera. Jam in pugna illa describenda, qua Perseus et ex aere et ex scopulo belluam aggreditur, plurimus est ; neque in ea poetæ phantasiâ desiderabis. Similitudo aquilæ hic melius adhibita, quam supra 362 sqq.

713. *Vacua* dici solent *arva*, quia non consita arbustis. *Præbentem*, etc. in sole jacentem. *Liventia*, cærulea, aut nigra. Heins. ad Silium, vii. 208. *In aversum* est notio primaria. *Serpens captus sinuosa volumina versat, et sibilat ore Arduus insurgens*. Virg. Æneid. xi. 755.

Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.

Litora cum plausu clamor superasque Deorum
Implevere domos: gaudent, generumque salutant,
Auxiliumque domus servatoremque fatentur 736
Cassiope, Cepheusque pater: resoluta catenis
Incedit virgo, pretiumque et causa laboris.

Ipsa manus hausta victrices abluit unda;
Anguiferumque caput dura ne lædat arena, 740
Mollit humum foliis; natasque sub æquore virgas
Sternit, et imponit Phorcynidos ora Medusæ.
Virga recens, bibulâque etiamnum viva medullâ,
Vim rapuit monstri, tactuque induruit hujus;
Percepitque novum ramis et fronde rigorem. 745
At pelagi Nymphæ factum mirabile tentant
Pluribus in virgis, et idem contingere gaudent;
Seminaque ex illis iterant jactata per undas.
Nunc quoque curaliis eadem natura remansit,

733. *Exigit ferrum*, qui id summis viribus transigit: vide Intt. ad Silium, i. 642. *Repetita*, sæpius petita. Sic frequenter Ovidius, v. 473. *repetita percussit pectora palmis*; vi. 20. *repetita vellera molliabat*; viii. 770. *repetita robora cædebat*. *Superas domos*. Clamor ascendit ad cælum. Nihil aliud. *Generum salutant* e formula solenni: *Salve gener*. Sic *regem, poetam, salutare*. *Pretium*, præmium.

739. *Ipsa manus*, etc.] Prope Joppen ostendebatur aqua rutila, qua, interempto ceto, cruorem abluisse Perseus credebatur. Pausan. Messen. p. 370. *Mollire*, exquisitius, quam, tegere. *Imponit ora*. In Orphei Lith. Perseus Medusæ cæde pollutus ad litus accedit, ut et piaculum abluat, et se refrigeret. Interea calidum adhuc caput imponit virgis, quæ sanguine saturantur. *Phorcynidos*, cujus pater

Phorcus. Hesiod. Th. 270. Dicebatur quoque *Phorcys*, *Phorcidos*; vide ver. 774.

743. *Viva* eadem quæ *recens*, nondum marcida, in cuius *medulla*, vasis, succi adhuc. *Rapuit vim*, illico experta est vim illam. *Induruit*, saxeam naturam accepit; sed duritiem Schirach. creat *to hujus*.

746. *Pelagi Nymphas* non ipse Ovidius addidit; sed et Orpheus in Lith. habet, quanquam ibi alia earum opera. Sanguinem enim, quo virgæ saturatæ, ita compingunt, ut lapis esse videatur. *Tentant*, admotis pluribus virgis capiti. *Iterant jactata*, repetitis vicibus spargunt. *Jactare*, serere, spargere.

749. *Curaliis* dedit Heinsius e Florentino S. Marci et Neapolitano pro *coraliis*, quia vetustiores Græci *κοιράλια* et *κοιράλλα* scripserunt. Regii nostri habent *coraliis*. Minime eadem na-

Duritiem tacto capiant ut ab aere; quodque 750
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.

VI. Dīs tribus ille focus totidem de cespite ponit,
Lævum Mercurio; dextrum tibi, bellica virgo;
Ara Jovis media est: mactatur vacca Minervæ;
Alipedi vitulus; taurus tibi, summe Deorum. 755
Protinus Andromedan, et tanti præmia facti

tura est iis, quæ tacto ab aere et a tacto Medusæ capite durescunt. Sed Ovidius quæ de curaliorum natura tradebantur, mytho accommodare voluit. De iis etiam Plin. Hist. Nat. XXXII. ii. 11: *Buccæ candidæ sub aqua et molles: exemptæ confestim durantur et rubescunt. Aiunt, tactu protinus lapidescere.* Verum hæc natura cortici tantum est, non interiori parti, quæ jum sub aqua dura reperitur. *Vimen, i. q. virga.* Claudian. x. 169 sq.: *Vimen erat, dum stagna subit. Processerat undis: genma fuit.* Hinc *lithophyta* dicta. Hodie curalia animalculis originem debere creduntur, quanquam eam opinionem impugnat Mullerus, quem vide ad Linnæi Systema Naturæ, tom. vi. p. 643 sqq.

752—802. *Medusæ caput.*] Inter pocula Perseus ipse narrat, qua arte Medusæ caput abstulerit. Est hæc fabula una ex antiquissimis, quam a Phœnicibus, qui Africam extremam adierant, haud dubie acceptam Græci Persei rebus inseruerunt. Narraverat eam Pherecydes; tractaverat etiam Æschyles in tragœdia *Phorcides*, qui idem, in Prometh. 798 sqq. de Gorgonibus earumque sororibus nonnulla habet. Nos eam haurimus ex Hesiodi Th. 270—285; Scut. Hercul. 216 sqq.; Eratosth. 22. quem transtulit Hygin. P. A. ii. 12; Apollon. II. iv. 2; Schol. Apollon. iv. 1515; Orphei carm. de Lapid. xv. 30 sqq. Studiose scriptores veteres quæsierunt, quid veri sub ea lateat: vid. Pausan. Corinth. p. 159.

ubi et suam et Procli sententiam affert. Ex Pausaniæ opinione, Medusa fuit regina eorum populorum, qui ad lacum Tritonidem in Africa habitabant. Ausa illa cum Perseo congregi, victa est et trucidata. Perseus admiratus ejus formam, caput ejus amputavit, atque secum in Græciam attulit, ubi sepultum est. Diodorus, lib. iv. censet, fuisse Gorgones feminas bellicosas in Africa, quemadmodum Amazones in Scythia; eas esse a Perseo debellatas. Aliam opinionem amplectitur Palæph. 32. aliam etiam Proclus, aliam rursus Didymus; sed omnes rem conjectura assequi conantur. Sacra fecit propter victoriam, quanquam et nuptias illa antecedere solebant. Fecit autem *Minervæ* et *Mercurio*, quibus eximie carus, et a quibus adjutus in expeditione contra Medusam, quod reliqui mythici diserte tradunt. *Focos, aras.* *Dexter* focus assignatur Minervæ. Ea enim Jovi præ cæteris liberis cara, summos honores consequuta est; eique etiam hoc datum erat, ut semper ad dextram patris sederet, nec unquam a latere ejus discederet. Horat. I. Od. xii. 9: vide Spanhem. ad Callimachum, h. Apollod. ver. 29. et Lavac. Pal. ver. 132. Eandem igitur dignitatem ei concesserunt et poetæ et artifices; namque etiam in nummis multis Jovi *συνθρονος* exhibetur. Cuique Deo certæ victimæ erant destinatæ, et cavebatur, ne *aliena hostia* quis placaretur. Plin. H. N. viii. 45.

Indotata rapit : tædas Hymenæus Amorque
 Præcipiunt : largis satiantur odoribus ignes ;
 Sertaque dependent tectis ; lotique, lyræque,
 Tibiaque, et cantus, animi felicia læti 760
 Argumenta, sonant : reseratis aurea valvis
 Atria tota patent, pulchroque instructa paratu
 Cephenum proceres ineunt convivia regis.
 Postquam epulis functi, generosi munere Bacchi

756. Copula et turbat sensum, quod etiam Heinsius sensit, qui eam mutat in *ut*, sed melius abesset, ut *prænia* per appositionem additum esset. *Indotata*, sine regno, quod doti promiserant parentes, versu 705. *Rapit*. Idem Heinsius ex uno Gronovii et Barberino præfert *capit*. Non arbitror, poetam alludere consuetudini Romanæ, qua nova nupta e gremio matris *rapi* simulabatur, quæ erat Constant. Fanens. opinio ; sed, si lectio sana, hoc verbum capio de ardore et festinatione, qua lætus Perseus, spreta dote, puellam ipsam sibi vindicat, et ad regiam Cephei ducit. Hinc etiam additur *protinus* et *indotata*.

758. *Præcipiunt*.] Pace recentiorum dicatur, *præcutiunt* est vox barbara cujus exemplum nullum in auctoribus reperitur ; quare *præcutit* quod vides in loco infra citato Propertii corrigendum est.—Schirachius, qui admisit *præcutiunt*, interpretatur vel quatiunt simpliciter, vel ante nuptias quatiunt. Melius Gesner. in *Thes.* inter præferendum ante sponsum et sponsam quatiunt. Debebat dicere *præferunt*, sed maluit illud, quia *quati* faces solebant. Propert. III. xiv. 16 : *Ipsæ Amor accensus præcutit ante faces*. Præferbant eas plerumque servi ; sed in his nuptiis id munus *Hymenæus* et *Amor* præstabant, quemadmodum in infastis Terei nuptiis Eumenides. vi. 429. *Ignes* et *pasci* dicuntur, et, quando id largius fit, *satiari*. Suffi-

mentis in ædibus accensis delectabantur lautiores in Oriente homines, forte valetudinis conservandæ causa. Eam in rem focus in medio tecto positus. Virgil. *Æneid.* vii. 13.

759. *Sertis* in omni lætitia, publica et privata, exornabant Veteres januas, maxime tamen in nuptiis : vide *Sagittar.* de Januis Vett. cap. 30. sect. 8 sqq. *Lotique*. Regii nostri habent et *ubique*, nec video quid mendi latere possit in hac lectione. Quid hic *loti* cum *lyris* et *tibiis*? Cl. *Gierig* interpretatur *loti*, tibiæ ex *loti* (vide infra) ; ita habemus in hoc versu *tibiis* et *tibiam*. Hanc repetitionem ingratam in mentem poetæ nostri, etsi paulo loquacioris, incidisse nunquam crediderim : vox *ubique* vim quandam habet ad consensum unanimem designandum. *Argumenta*, signa. Etiam apud Homer. II. E. 493. in nuptiis *ὑμέναιος, αὐλοὶ* et *φάρμαγγες*.

761. In *atriis* convivia habebantur. Vide Servium ad Virgil. *Æn.* i. 138 ; II. init. *Aurea*, vel omnino pulchra, vel instructa aureis ornamentis. *Patent*, quæ conspici possunt. *Paratu*, apparatu. *Cephenum*, etc. *Cephenes* sunt *Æthiopes*. Et legendum haud dubie *Cephenum*. Burmannus tamen *Cephenis* retinet, et cum *regis* conjungit.

764. *Postquam epulis functi*, etc.] Finitis demum epulis *vinum* sumebatur. *Generosum*, vini nobilissimi epitheton, ad ipsum Bacchum translatum.

Diffudere animos; cultusque habitusque locorum
 Quærit Abantiades; quærenti protinus unus 766
 Narrat Lyncides, moresque habitusque virorum.
 Quæ simul edocuit: "Nunc, o fortissime," dixit,
 "Fare, precor, Perseu, quanta virtute, quibusque
 Artibus abstuleris crinita draconibus ora." 770
 Narrat Agenorides, gelido sub Atlante jacentem
 Esse locum, solidæ tutum munimine molis;

765—767. Post varias lectiones et opiniones, totum locum, omnino turbatum, ex nostris Codicibus integrum dare curavimus, ut ex comparatione lectio vera detegi possit. Et primum Codex Regius B habet *Diffudere animos; cultusque genusque locorum Quærit Abantiades, moresque animumque virorum.* Et Codex Regius A: *Diffundere animos, cultusque genusque locorum Quærit Abantiades; moresque habitumque virorum.* Post hunc ultimum versum, inter lineas et e secunda manu: *Narrat Lyncides moresque animosque virorum.* Male; nam Abantiades quærit cultus locorum, et Lyncides aliam prorsus rem exponit, scilicet mores virorum. Vulgata tres habet versus quorum unus saltem spurius est. Non opus erat dicere. *Abantiadem quæsiisse, et unum Lynciddem ei respondisse, vel narrasse;* ea facile subaudiri poterant. Apud Homer. et Virg. videmus hujusce modi narrationes, post epulas, mensasque remotas, sine ope interrogantis, et ab uno ex convivis, in honorem Deorum, vel Heroum, vel Patriæ factas. Omitto in his tribus versibus insulsam repetitionem, *habitusque locorum, et infra, habitusque virorum.* Quidni ex duabus lectionibus nostrorum Codd. unam efficiamus et simplicem, et ad rem aptissimam: *Diffudere animos; cultusque genusque locorum Narrat Lyncides, moresque animosque virorum.* Sic recte fluit oratio,

VOL. III.

et sequentia, *Quæ simul edocuit, etc.* apprime cum antecedentibus consentiunt. *Lyncides,* aut Lyncei filius, aut certe nomen proprium est.

769. Non tam *virtute,* quam *artibus,* in hac re opus fuisse, ex Apollod. apparet. Nec Orpheus quidquam præter *δδλον* memorat. Jussus autem erat a Polydecte afferre illud caput, quod tum inter *ἀδύνατα* referebatur. *Crinita draconibus,* caput, cujus crinibus immixti dracones, versu 791. Apollod. e poeta aliquo, *κεφαλᾶς περιεσπειραμένας φάλαξι δρακόντων.*

771. Regii nostri *Agenorides;* recte, nam ab Agenore Danaus, Persei proavus, oriundus. In ea, quæ hinc sequitur, narratione præter expectatum brevis est Ovidius, quanquam Medusæ caput, propter vim mutandi corpora, in primis memorabile in mythicis. *Locum jacentem;* planum et spatiosum campum. *Locum* illum antiquiores collocabant in insula Oceani Atlantici (Hesiod. Th. d. l. *πέρην Ὀκεανοῦ,*) recentiores in continente Africæ. Pompon. Mela, III. ix. 93: *Contra Æthiopas Hesperios sunt insule Gorgades, domus (ut aiunt) aliquando Gorgonum.* Noster, immemor fabulæ modo narratæ, sub *Atlante,* ad Atlantem. *Gelidus* commune montium epitheton. *Solida illa moles,* tractus montium, forte Atlas ipse. Orpheus, d. l. *Atlantis extremis sub præcipitiis.*

M m

Cujus in introitu geminas habitâsse sorores
 Phorecydas, unius partitas luminis usum :
 Id se solerti furtim, dum traditur, astu 775
 Supposita cepisse manu ; perque abdita longe,
 Deviaque, et silvis horrentia saxa fragosis
 Gorgoneas tetigisse domos ; passimque per agros,
 Perque vias vidisse hominum simulacra, ferarum-
 In silicem ex ipsis visa conversa Medusa : [que
 Se tamen horrendæ, clypei quod læva gerebat 781
 Ære repercusso, formam aspexisse Medusæ :
 Dumque gravis somnus colubrasque ipsamque te-
 Eripuisse caput collo ; pennisque fugacem [nebat,

773. In introitu habitabant *Phorcycdes*, secundum Æschylem, in loco subterraneo, erantque custodes, *προφύλακες*, Gorgonum. *Phorcycdes*, Phorci et Cetus filia, Gorgonum sorores, ab ortu anus, *γραῖτας*, factæ, et inde *Grææ* dictæ. *Geminas* seu duas habet etiam Hesiod. d. l. quarum nomina *Pemphredo* et *Enyo* ; sed a cæteris scriptoribus additur tertia, *Dino*. Quum pater earum a Græcis et *Φόρκος* et *Φόρκυς* scriberetur, ipsarum nomen et *Phorcides* et *Phorcycdes* efferri potest. Hanc scripturam habet et *Eratosth.* illam alii prætulērunt. *Partitas*, partientes, vicissim eo utentes, *παρὰ μέρος ἡμειβον ἀλλήλαις*, *Apollod.* Penes quam oculus erat, ea vigilabat. *Pherecydes* et *Æschyl.* addunt, eas et unius dentis usum partitas, *μονόδοντες*. *Dum traditur*, ἐν παραδόσει *Eratosth.* *Supposita*, posita in locum manus *Phorecydis*. *Interceptum* earum oculum promisit se esse redditurum, si sibi viam ad *Nymphas* demonstrarent, a quibus talaria, galeam et parrhamiam ad debellandam *Medusam* acciperet. Id quod factum ; *Apollodorus.* Aliter *Eratosthenes* et *Hygin.* Tum *Palæph.* monet, hunc oculum fuisse hominem prudentem, consiliarium *Gor-*

gonum, quem ceperit, et viam sibi ducem elegerit *Perseus.* *Gorgones* tres, *Stheno*, *Euryale*, *Medusa.* Ab *Hesiodo* vocantur *ἀπλητοι*, inaccessæ. Id quale sit, ex h. l. intelligi et procul habitabant secundum *Æschyl.* a *Phorcycydis*. *Saxa* alibi simpliciter *horrentia*, quæ erecta eminent, sed. h. l. *horrentia silvis*, silvis eminentibus obsita. *Tangere domos*, penetrare ad eas. Illa ipsa *saxa*, quorum multis miræ forsitan formæ, partem fabulæ peperisse videntur. *Simulacra* et h. l. inservire periphrasi putat *Drakenb.* ad *Silium*, xv. 86 ; sed nunc vis ejus vulgaris retinenda.

781. *Clypei ære*, clypeo æneo. *Clypeos* autem *Veteres* habebant adeo politos, ut iis pro speculis uterentur. *Repercussus* active, repercutiens. Vide ad x. 184. Opus autem erat hac circumspectione : nam quicumque *Medusam* aspexerunt, *λαίνοις τεθειώτες ἐστήκασιν* : *Orpheus.* Apud eundem, *Perseus* eam non dormientem, sed vigilantem aversam invadit.

784. *Eripuisse collo*, ut *Valer. Fl.* vi. 619. *Caput eripit Auchi.* Quum caput *Medusæ* ense falcato amputasset, illico prosiluit *pennis fugax*, alatus, *Pegasus*, et frater *Chrysaor*, *Ge-*

Pegason, et fratrem, matris de sanguine natos.
 Addidit et longi non falsa pericula cursus : 786
 Quæ freta, quas terras sub se vidisset ab alto ;
 Et quæ jactatis tetigisset sidera pennis :
 Ante expectatum tacuit tamen. Excipit unus
 E numero procerum, quærens, cur sola sororum
 Gesserit alternis immixtos crinibus angues. 791
 Hospes ait : “ Quoniam scitaris digna relatu,
 Accipe quæsiti causam : clarissima forma,
 Multorumque fuit spes invidiosa procorum
 Illa ; nec in tota conspectior ulla capillis 795
 Pars fuit : inveni, qui se vidisse referrent.
 Hanc Pelagi rector templo vitiâsse Minervæ
 Dicitur : aversa est, et castos ægide vultus
 Nata Jovis textit : neve hoc impune fuisset, 799
 Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydros. [tes,
 Nunc quoque, ut attonitos formidine terreat hos-
 Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.”

ryonis pater. Apollod. nimia brevitate obscurus est. *Cursus*, iter in aere, vocabulo a navigatione sumpto. *Verbis non falsa* tangit vanitatem peregrinantium, qui solent multa mentiri. *Ante expectatum*, id est, tacuit tamen ; etiam viii. 5 ; Virg. Georg. iii. 348.

790. *Sola* illa etiam mortalis erat : Hesiod. *Clarissima*. Pulcherrimam feminarum fuisse Medusam ferunt ; Pindarus, Pith. xii. 28. eam vocat *εὐπάραιον*, illius itaque amore capti obstupuerunt. *Spes invidiosa* ; quam cum invidia et æmulatione mutua sperabant multi ; venuste et ex imitatione Propert. II. Eleg. i. 83 : *Macenas nostræ spes invidiosa juventæ. Conspectior, pulchrior.*

796. *Referrent.*] Sic Codices nostri Regii, quod prætuli pro *referret*

quod legebatur ; nam factu adhuc recente, plures inveniri debuerunt qui *referrent se vidisse. Templo.* Secundum Hesiod. Neptunus eam vitiavit in prato, *ἐν μαλακῷ λιμῶνι*. Nempe *templum*, ut *τέμενος*, omnis locus Deo consecratus.

802. *Pectore in adverso*, etc.] *Dono* Minervæ dedit Persæus hoc Medusæ caput ; illa vero vel in *pectore* seu thorace, ut vult etiam Eratosth. vel, secundum antiquiores, in clypeo posuit. Homer. II. E. 741. Seriores et hunc et illum eo ornant. In foro Argivorum conditum hoc caput esse aiebant : Pausan. d. l. Cæterum hi duo postremi versus non possunt Perseo tribui ; ipse enim caput adhuc habebat ; neque bene ex Ovidii persona adjecti sunt.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

N. B. Argumentum hujus libri quinti Metamorphoseon, relatum invenies in serie CANTERI, supra pag. 54.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Two columns of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER QUINTUS.

FAB. I.

DUMQUE ea Cephenum medio Danaeius heros
Agmine commemorat, fremitu regalia turbæ
Atria complentur : nec conjugialia festa
Qui canat, est clamor ; sed qui fera nuntiet arma :
Inque repentinos convivia versa tumultus 5
Assimulare freto possis, quod sæva quietum

1—235. *Phineus et socii.*] Quum Homerus, et Virgilius, *Æn.* ix. et libris sqq. copiosissimi sint in cædibus diligenter describendis, Noster tam hic, quam xii in pugna Centaurorum, eorum exempla sequutus est, et Phinea haud dubie assimilare Turno voluit, pugnanti et ipsi ob præreptam sibi ab advena sponsam. Notabimus autem in hac carminis parte varietatem pugnantium ; qui ætate, vitæ genere, patria, ornatu, moribus, mortis genere differebant. Mirari autem licet, ex tot diversis et distantibus gentibus bellatores in *Æthiopia* fuisse. Non puto, Ovidium eorum nomina fixisse ; sed, ut iii. 206 sqq. canum Actæonis, et ib. 605 sqq. nautarum Tyrrhenorum nomina, ab antiquiore poeta accepit. E scriptoribus, qui restant, tres tantum breviter hujus rei meminerunt ; Apollodorus, II. iv. 3.

ubi Phineus *insidiatur* Perseo ; Hyginus, fab. 64. quo auctore Cepheus ipse cum Agenore, cujus sponsa Andromeda fuerat, insidias struit ; et Conon, 40. apud quem Andromeda duos procos habet, Phinea et Phœnicem.

2. *Agmen, cœtus.* *Fremitus*, promiscuus clamor multorum una vociferantium. Non erat hymenæus, quem festis cantibus personarent amici ante fores (xii. 214 sqq. et Statius Sylv. II. x. 87.) sed clamor bellicus, ἀλαλητός, quo irruebat turba. *Fera*, ut *sæva*, solent *arma*, prælia, bella dici. Drakenb. ad Sil. iv. 357.

6. *Assimulare freto.*] Expressit Homerus, II. B. 144 : Κινήθη δ' ἀγορή, ὡς κήματα μακρὰ θαλάσσης, etc. Sed Schirachio locutio, *assimulare possis*, videtur vim comparationis frangere, et prosaicum quoddam redolere. Ferri tamen potest in tali narratione. Mare

Ventorum rabies motis exasperat undis.
 Primus in his Phineus, belli temerarius auctor,
 Fraxineam quatiens æratæ cuspidis hastam ;
 “ En, ” ait, “ en adsum præreptæ conjugis ultor. 10
 Nec mihi te pennæ, nec falsum versus in aurum
 Jupiter, eripient. ” Conanti mittere Cepheus,
 Quid facis? ” exclamat: “ quæ te, germane, furentem
 Mens agit in facinus? meritisne hæc gratia tantis
 Redditur? hac vitam servatæ dote rependis? 15
 Quam tibi non Perseus, verum si quæris, ademit,
 Sed grave Nereidum numen, sed corniger Ammon,

eleganter dicitur *asperari, exasperari*, quum commovetur, fluctibus motis inæquale fit et hispidum. Horat. I. Od. v. 7: *aspera Nigris æquora ventis*.

8. *Phineus*, frater hic Cephei; alter ab illo qui oculis mulctatus Argonautas hospitio exceptit: huic tamen Andromeda desponsata fuerat, antequam ceto exponeretur. *Belli temerarius auctor*; dux, caput atque incentor hujus pugnæ erat *Phineus*, dum præreptam sibi sponsam inconsideratissime dolet, et quam se accepisse putat injuriam, armis vindicandam constituit.

9. *Fraxineas hastas* bellatoribus dant poetæ, quia et fraxinus aptissima hastis, et Achillis hasta nobilitata. Plin. xvi. 13. *Ærata cuspidis*, ærata cuspide. *Quatere* et *vibrare* hastam, est ejus, qui aut minitatur jactum, aut ad pugnam provocat alterum.

10. *En, ait, en.*] Hujus particulæ exclamativæ repetitio vivide exprimit indignationem Phinei. *Præripere*, ante rapere, quod alteri debebatur. Sic *præcipere*, Virg. Ecl. iii. 98. *Pennis* et *Jove* patre imprimis superbiebat Perseus, iv. 696—699. *Falsum*, in quod quis fallendi causa transit. Et in tale aurum mutatus erat Jupiter. Sed Phineus negare nunc vult, Jovem

esse ejus patrem. Itaque cape, ut i. 754. *falsum genitorem*, et ix. 24. in simili exprobratione, *factum patrem*. *Mittere*, ut *βάλλειν*, absolute.

13. *Quid facis?* etc.] Hæc oratio, quæ in rei indignitate demonstranda versatur, convenit personæ senis justii. *Quæ te*. Heinsius, vel invitis membranis censet legendum, *quod te*, ut conjungatur cum *facinus*. *Mens*, ut *θυμός*, ira, insania. Tibul. IV. iii. 7: *Quis furor est, quæ mens?* Hor. I. Ep. ii. 60: *dolor quid suaserit et mens*. *Dos*, præmium, quatenus datur sponso nuptias celebranti. *Vitam servatæ rependere*, operam vitæ servatæ compensare.

17. *Grave numen*, id est, *potens Nereidum*. Vide ad iv. 669. *Corniger*, quia sub arietis forma colebatur a Libycis gentibus. Vide Freinshemium ad Curtium, IV. vii. 23. *Visceribus meis*, filia mea. *Viscera* et *σπλάγχνα*, liberi, amici et quicumque nobis cari sunt, sicut viscera nostra. *Sed* non sine vi a Nostro passim sic repetitur, quum sententiæ coacervantur: vid. Quintil. Inst. Or. IX. iii. 48. ubi hic ipse locus ab eo laudatur: sic et i. 595. *Bellua ademit* paulo durius, adempta tibi eo, quod devoranda proposita erat belluæ.

Sed quæ visceribus veniebat bellua ponto
 Exsaturanda meis : illo tibi tempore rapta est,
 Quo peritura fuit ; nisi si crudelis id ipsum 20
 Exigis, ut pereat, luctuque levabere nostro. [ta est ;
 Scilicet haud satis est, quod, te spectante, revinc-
 Et nullam quod opem patruus sponsusve tulisti :
 Insuper, a quoquam quod sit servata, dolebis,
 Præmiaque eripies ? quæ si tibi magna videntur, 25
 Ex illis scopulis, ubi erant affixa, petisses : [nectus,
 Nunc sine, qui petiit, per quem hæc non orba se-
 Ferre, quod et meritis et voce est pactus ; eumque
 Non tibi, sed certæ prælatum intellige morti.”
 Ille nihil contra : sed et hunc, et Persea vultu 30
 Alterno spectans, petat hunc ignorat, an illum ;
 Cunctatusque brevi, contortam viribus hastam,
 Quantas ira dabat, nequicquam in Persea misit.
 Ut stetit illa toro ; stratis tum denique Perseus
 Exiluit ; teloque ferox inimica remisso 35

20. *Nisi si bene se habet ; vid. Heins. ad Heroidd. iv. 3. Etiam Cicero de Divin. v. 9 : Nisi si in Dalmatiam aufugerit.—Exigis, ut pereat, exigebas, ut periret.*

22—25. *Scilicet haud satis, etc.] Non urgenda hæc sunt ; Phineus enim viribus suis nec solus liberare Andromedam, nec Perseo liberanti opem ferre. In his verbis ironia est, qua Phineo insultat frater Cepheus. Quum enim et patruus et sponsus esset Andromedæ, aliquid certe auxilii afferre debebat ; quum vero nihil prorsus tulerit, impudentissime eam repetit, quam tutari non est ausus. Spectante, nempe, otiose.*

27. *Bene hac senectus, ut versu 222. hanc animam. Itaque retinui pronomen, quod Heinsius et Burmannus omiserunt. Meritis id non pactus*

erat, sed idem verbum, quod sæpe fit, duobus nominibus diverso sensu accommodatum.

30. *Ille nihil contra (etiam xii. 232.) ut solent violenti, cum repelluntur veritatis viribus. Sæpe aliquis hastam intorquet viribus aut nisu iræ, doloris, etc.*

35. *Ferox, concitus furore. Remisso, rejecto ; eandem namque hastam in Phineum Perseus rejecit. Pectora rupisset. Vivianus, pectora fregisset, ex solenni permutatione. Rumpere pectora frequentat Noster. iii. 627 ; vi. 251. Etenim rumpere est secare, findere. III. Am. x. 32. rumpit vomer humum. Allare aut ara, focus in medio atrio, in quo Dii Penates colebantur ; versu 155. Nuptiis adhibitas aras et sacra, advocatos Deos hinc liquet et ex tumultuaria*

Pectora rupisset; nisi post altaria Phineus
 Isset: et, indignum! scelerato profuit ara.
 Fronte tamen Rhœti non irrita cuspis adhæsît; [est,
 Qui postquam cecidit, ferrumque ex osse revulsum
 Palpitat, et positas aspergit sanguine mensas. 40
 Tum vero indomitas ardescit vulgus in iras;
 Telaque conjiciunt; et sunt, qui Cephea dicant
 Cum genero debere mori: sed limine tecti
 Exierat Cepheus; testatus Jusque, Fidemque,
 Hospitiique Deos, ea se prohibente moveri. 45
 Bellica Pallas adest; et protegit ægide fratrem,
 Datque animos. Erat Indus Athis, quem flumine
 Edita Limnate vitreis peperisse sub antris [Gange

altera illa in nuptiis Pyriothi pugna, lib. xii. 258: *Proximus ut steterat, spectans altaria vultu Fumida terribili, cur non, ait, utimur istis?*

38. *Fronte, deest in. Palpitat.* Multi, *calcitrat.* Farnabius qui admittit *calcitrat* hoc verbum ita interpretatur: "More cadentium in acie et pugna, qui, λάξ aut δόαξ apud poetas, terram ingratiis et indignanter salutant." *Indomita, ἀδάμαστος*, implacabilis. *Vulgus*, milites gregarii; confer versum 207. *Conjiciunt*, una jaciunt. Confer cum hoc ardore xii. 240 sqq. *Se prohibente*, prohibere volente, improbante. *Ea moveri*, eum tumultum excitari.

46. *Bellica Pallas, etc.*] Heroa, quem inter præsentissima pericula servari volunt, a numine quodam vel tectum, vel admonitum poetæ fingunt. Sic xii. 359. Theseus *Pallados* admonitu tutus. *Pallas* autem Perseo in omnibus itineribus aderat. De *Ægide* ejus locus classicus Homeri II. B. 447 sqq. *Fratrem.* Etiam Orph. de Lap. xv. 42. *κασίγνητος*, germanus, Minervæ.

47. *Athis*, puer tener et mollis,

quales solent Orientis populi, quorum etiam ad fastum ornatus, forte adumbratus est e Virg. ix. 581.

48. *Limnate.*] In hoc nomine variant MSS. Heinsius scribendum censeat *Limnatis*, ἀπὸ τῆς λίμνης. Sic apud Lacedæmonios culta fuit *Limnatis* Diana, dicta a Limnis oppido. Addit idem et *Limnacias* legi posse, nam *λιμνακίδας* esse nymphas palustres. *Antris* de *Oceano* et *Eridano* reperitur apud Claudianum, XII. xxxiv. 28. 147: *Vitrea sedilia* Clymenes in *Oceano* Virgil. Georg. iv. 350. Putant intelligi crystallina; ex crystallo enim antra sub mari composita fingi a poetis. Sed et aqua marina *vitrea* dicitur: Æneid. vii. 759. *vitrea unda* Fucini; Claud. xxxiii. 267. *vitreis Oceanus undis.* Quin adeo Dii marini ipsi *vitrei*: Horat. I. Od. xvii. 20. *vitrea Circe.* Hinc omnia *vitrea*, quæ ad Deos marinos pertinent. Virgil. Georg. iv. 335. *Nymphæ Oceani* velleræ carpunt *hyali colore fucata, δάλινα*, vitrea. Nempê utrumque vocatur, et de colore viridi et cæruleo dicitur, quem quoniam mare refert, æque ac *viridis* et *cæruleus* de omnibus

Creditur, egregius forma; quam divite cultu
 Augebat, bis adhuc octonis integer annis; 50
 Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat
 Aureus: ornabant aurata monilia collum;
 Et madidos myrrha curvum crinale capillos.
 Ille quidem jaculo quamvis distantia misso
 Figere doctus erat; sed tendere doctior arcus. 55
 Tum quoque lenta manu flectentem cornua Perseus
 Stipite, qui media positus fumabat in aula,
 Perculit; et fractis confudit in ossibus ora.

Hunc ubi laudatos jactantem in sanguine vultus

prædicatur, quæ ad mare et aquam pertinent. *Cultus*, vestitus. *Integer*, florens ætate. *Chlamydem Tyriam*. *Æn.* iv. 137: *Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo*. Confer ii. 733.

53. *Et madidos myrrha.*] In libro iii. versu 555: *et madidus myrrha crinis*. *Myrrha* liquor e myrrha stillans, capillis unguendis adhibebatur, quo niterent ac suavissime olerent. *Curvum crinale*; pro quo Thuan. Oxon. Berneg. *cohibebat mithra*, quod non contemnendum putat Burmannus, quia mithra Orientalium cultus, in primis mollium virorum erat. Addit, nescire se an ita absolute ponere *crinale* solebant Veteres. *Crinale*, ornamentum capillos cohibens, nove sic absolute positum, occurrit tamen et Pont. III. iii. 15. Similiter Horat. I. Ep. ii. 18. *campestre* sic substantive, cingulum, quo cincti erant lumbi in campo se exercentium. *Monilibus* et torquibus Orientales colla ornare solebant.

55. *Tendere doctior*; sic nostri Regii. Unus Gronovianus, *certior*, quod rectum esse monet Burmannus, propter *una sagitta Certior* in libro i. 519. At in tendendo arcu non tam *certitudo* requiritur quam *doctrina*, sive ars. Iidem Orientales arte sagittaria ex-
 VOL. III.

cellebant. Plinius, *Hist. Nat.* vi. 17. Itaque et Horat. I. Od. xxix. 9. de puero Parthico: *Doctus sagittas tendere Sericus arcu paterno*.

56. *Lenta cornua*, flexibilia arcus cornua. *Aula*, id est atrium. Putem tamen, revocandum esse *in ara*, quod omnes habent præter Jun. et unum Gronovii, unde Burmannus accepit *in aula*. xii. 215. *ignibus atria fumant*; 271. *Ecce rapit mediis flagrantem Rhætus ab aris Prunitium torrem*; qui locus nostro simillimus. *Fumus* autem per foramen tecti abibat. *Confudit*. *Confundebantur* lineamenta oris, ne dignoscerentur. *Ora*, notas et lineamenta oris. Mox versu 292. *discussi ossibus oris*. Conf. xii. 251. Silius, iv. 380. *perfracta in ore cruento Ossa sonant*.

59. *Laudatos*, pulchros. xii. 398. *laudata artificum signa*. II. Am. i. 93. *laudata facie puellæ*. *Jactare*, de moribus morientium. x. 721; Virg. *Æn.* xi. 669. *suo se in vulnere versat*. *Junctissimus*, conjunctissimus, amicissimus. Tales *comites*, etiam *Æneid.* ix. 177—179. *Sub vulnere*, ex vulnere. *Sub* passim causam indicat, vid. Schulting. ad Senec. Suas. vii. *Quo plus*, etc. Cf. xii. 292: *Puero quæ gloria fuso*.

N n

Assyrius vidit Lycabas ; junctissimus illi 60
 Et comes, et veri non dissimulator amoris :
 Postquam exhalantem sub acerbo vulnere vitam
 Deploravit Athin ; quos ille tetenderat arcus
 Arripit : et, “ Mecum tibi sint certamina,” dixit :
 “ Nec longum pueri fato lætabere ; quo plus 65
 Invidiæ, quam laudis, habes.” Hæc omnia nondum
 Dixerat : emicuit nervo penetrabile telum ;
 Vitatumque tamen sinuosa veste pependit.
 Vertit in hunc harpen spectatam cæde Medusæ
 Acrisioniades, adigitque in pectus : at ille 70
 Jam moriens, oculis sub nocte natantibus atra
 Circumspexit Athin ; seque acclinavit in illum,
 Et tulit ad manes junctæ solatia mortis.

Ecce Syenites, genitus Methione, Phorbas,
 Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam,
 Sanguine, quo tellus late madefacta tepebat, 76
 Conciderant lapsi : surgentibus obstitit ensis,
 Alterius costis, jugulo Phorbantis adactus.

67. *Penetrabile* active, ut Æneid. x. 481. *penetrabile telum*.

69. *Vertit harpen*.] *Harpe* ensis est Mercurii falcatus quo Perseus Medusæ caput amputavit. *Spectatam*. Spectantur ea, quorum natura certis experimentis cognoscitur. *Natantibus oculis*. Oculi morientium *natare* dicuntur, quoniam incerto motu fluctuant ; sic Virgilius de Eurydice, Georg. iv : *Fata vocant, conditque natantia lumina somnus. Se acclinavit ad illum* ; suavissima mors *συνθησκειν θνήσκουσι φίλοις*. Euripid. Suppl. 1006. Virgil. Æneid. ix. 444. Nisus cadens *super exanimem sese projecit amicum. Tulit—solatia*, etc. ut 191. Florus, iv. 18 : *magni famam ducis ad inferos secum tulit*.

74. *Syene*, urbs Ægypti in finibus Æthiopiæ sub ipso Caneri tropico. Plin. ii. 70 s. 75. Ptolem. iv. 5. Eleganter autem et patriam et genus istius Phorbantis describit, ne quis Phorbanta Priami filium illi pugnae interfuisse putet. *Madefacta tepebat*. Virgil. Æneid. ix. 333 : *tepefacta cruore Terra torique madent* ; Homer. Od. A. 419 : *δάπεδον δ' ἄπαν αἶματι θύεν*. Nunc vero pro *tepebat* expectationem involveret ; ea enim causa fuit, cur illi *conciderent lapsi*, i. e. copia poetica, laberentur. *Late* non est urgendum ; etenim adhuc non nisi tres conciderant. *Surgentibus*, surgere conantibus.

At non Actoriden Erithon, cui lata bipennis
 Telum erat, hamato Perseus petit ense; sed altis
 Extantem signis, multæque in pondere massæ, 81
 Ingentem manibus tollit cratera duabus;
 Infregitque viro: rutilum vomit ille cruorem;
 Et resupinus humum moribundo vertice pulsat.
 Inde Semiramio Polydæmona sanguine cretum, 85
 Caucasiumque Abarin, Sperchionidenque Lyce-
 tum, [tumque
 Intonsumque comas Elycen, Phlegiamque, Cly-
 Sternit; et adstructos morientum calcatur acervos.
 Nec Phineus ausus concurrere cominus hosti,
 Intorquet jaculum: quod detulit error in Idan, 90
 Expertem frustra belli, et neutra arma sequutum.
 Ille tuens oculis immitem Phinea torvis, [Phineu,
 “ Quandoquidem in partes,” ait, “ attrahor, accipe,

79. *Bipennis*, securis anceps, πέλεκυς δίστομος, σάγαρις, qua gentes quædam, ut Amazones, loco gladii utebantur. Æn. xi. 651. Forma ejus expressa in multis monumentis. Vid. Montefalc. tab. cx. n. 7. *Hamatus ensis*, harpe, vide iv. 719. *Altis*; alte eminentibus signis et cælaturis. *Multa in pondere massa*, massa magni ponderis. *Ingentem cratera*. Apud Virgil. Æn. ix. 346. aliquis *magnum metuens se post cratera tegebat*. *Crateres* erant vasa ampliora, in quibus vinum temperabatur aqua. Amabant autem Veteres *vasa extantia signis*, id est, figuris eminentibus cæлата, anaglypha; confer xii. 235. *Infregit viro* Lenzius explicat, fregit in viro. Potius capiendum, ut in formula *infringere colaphos*. Versu 121. pro eo *illidere*, xii. 237. *cratera misit in ora*. *Rutilum*, etc. Æneid. ix. 349: *purpuream vomit ille animam*; Homer. Il. ε. 437: κελαινεφίς αἷμ' ἀπίμεσεν.

88. *Adstruere*, struere, cumulare. *Calcatur* corpora, in primis caput et cervicem, e ferocia victorum priscorum. Passim apud Homerum, λέξ προσβαίνει, aut λέξ ἐν στήθεσι βαίνει. Æneid. x. 495: *levo pressit pede*—*Elanimum*. Hinc et in venatione feræ nobiliores strætæ calcabantur. viii. 425. Vide Bruckhus. ad Propertium, l. i. 4. ubi ad Amorem hoc translatum.

90. *Error*, ἀμάρτημα, quum quis non ferit scopum. Claudian. Rapt. ii. 134. *te disci percussit error*. Etiam apud Homerum interdum error defert telum in alium, ut Il. θ. 302—311. *Expers belli*, ut, xii. 320. Aphidas.

93. *In partes*, in factiones. *Pensaque hoc vulnere vulnus*; accipe vulnus pro hoc vulnere, quod mihi intulisti. Quum enim quis facit, ut duæ res pares sint, tum *pensare* alteram altera dicitur. *Defectos*, destitutos, privatos: vide Schwarzium ad Plinii Panegyri. 26.

Quem fecisti hostem ; pensaque hoc vulnere vul-
nus.”

Jamque remissurus tractum de corpore telum, 95
Sanguine defectos cecidit collapsus in artus.

Hic quoque Cephenum post regem primus Odites
Ense jacet Clymeni ; Protenora perculit Hypseus ;
Hypsea Lyncides : fuit et grandævus in illis
Emathion, æqui cultor, timidusque Deorum ; 100
Quem quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat, et incessit, scelerataque devovet arma.

Huic Chromis amplexo tremulis altaria palmis
Demetit ense caput, quod protinus incidit aræ ;
Atque ibi semanimi verba execrantia lingua 105
Edidit, et medios animam expiravit in ignes.

Hinc gemini fratres, Broteasque et cæstibus Am-
Invicti, vinci si possent cæstibus enses, [mon
Phinea cecidere manu ; Cererisque sacerdos
Ampucus, albenti velatus tempora vitta. 110

Tu quoque, Iapetide, non hos adhibendus in usus ;
Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres ;

97. *Hic quoque Cephenum*, etc.] Hactenus cum uno Perseo pugna ; hinc arma vertuntur et in Cephenum proceres. *Post regem primus*. Regi dignitate et auctoritate secundus.

103. *Amplexo altaria*, etc. quasi ad Deorum præsidium confugienti. In capitis discrimine solebant ad aras confugere, illasque prensare, et Deorum quoque statuas ac simulacra complecti. *Demetere*, ut *θεπίζειν* et *ἀμῶν*, frequenter pro trucidare et amputare. Vide Heinsium ad hunc locum, et Valken. Diatrib. in Eurip. Reliq. p. 225. Vituperatus est Homer. Il. K. 457. quod loquentis caput pulveri miscetur. At ille nihil aliud vult, nisi inter loquendum caput esse

resectum. Verum h. l. caput jam resectum verba edit, ut vi. 558. lingua exacta, et xi. 53.

107. *Cæstibus*.] Cæstum pugna erat e pugillatus genere, ubi pugnīs res agebatur, sed armatis, quum chirothecis, e corio bubulo, iisque ferro aut plumbo affixo gravibus armati inter se decertarent, quæ loris alligabantur brachiis ne exciderent.

110. *Albens vitta* insigne sacerdotum : confer xiii. 643. *Iapetide*. Hemsterh. ad Aristophani Plut. 207. intellig. Prometheum, Iapeti filium ; quod nemo, opinor, probabit. *Usus*, negotia.

112. *Citharam cum voce qui movet*, qui voce accinit citharæ, citharædus

Jussus eras celebrare dapes, festumque canendo.
 Cui procul astanti, plectrumque imbelle tenenti,
 Pettalus, "I, ridens, Stygiis cane cetera," dixit, 115
 "Manibus:" et lævo mucronem tempore figit.
 Concidit, et digitis morientibus ille retentat
 Fila lyræ, casuque canit miserabile carmen.
 Non sinit hunc impune ferox cecidisse Lycormas;
 Raptaque de dextro robusta repagula posti, 120
 Ossibus illidit mediæ cervicis: at ille
 Procubuit terræ, mactati more juveni.

dicitur. Infra versu 332. *vocalia ora movere*. Celebrare dapes, augere hilaritatem convivantium. In regalibus conviviis musicus adhibebatur, qui laudes heroum resque divinas ad citharam caneret. Cic. Tusc. i. 2; Quintil. I. x. 10. Talis erat Demodocus in convivio Alcinoi, Od. Ø. 62 sqq. et Iopas in convivio Didûs, Æneid. i. 740. Cæterum in compositione vers. 111—113. negligentiam quandam observabis, quam etiam Lenzius notavit, qui monet profici aliquid, si post *moveres* interpunctio maxima adhibeatur, et ad *tu quoque* subintelligatur, *cecidisti*. Putat etiam, versu 113 melius afore. Mihi vero nec verba, *non hos adhib. in usus*, placent, quæ melius se haberent, si ille coactus esset una pugnare.

114. *Plectrum* instrumentum est quo lyra pulsatur, ἀπό τοῦ πλήττειν, hoc est a percutiendo, dictum. *Imbelle*, leve, si comparatur cum armis. Alibi *imbellis citharu* aut *lyra*, non apta rebus magnis canendis, sed amoris et voluptati inserviens. Bruckh. ad Propert. IV. vi. 36. Sarcasmo illi, *Stygiis cane cetera* similis est alius, xii. 321 sqq. Mirum autem est, illum nec inter tumultum desiisse citharam cum voce movere.

117. *Retentat*, iterum tentat, per-

git tangere, pulsare *fila lyræ*, seu fides. Infra, 339. *prætentare chordas*. In lusu seq. Nostro præverat Ennius, *quumque caput caderet, carmen tuba sola peregit, Et, pereunte viro, raucum sonus ære cucurrit*. Imitatus eum est et Silius, iv. 173. *Casu* non est, forte, sed, lapsu. *Concidit—casuque*, et concidens, *canit miserabile carmen*, edit voces miserabiles. Sed bene de musico, *canit carmen. Miserabile, misericordiam commovers*. Cic. Attic. xiv. 10. *laudari miserabiliter*. Cæterum ut hic musicus, sic Æn. ix. 774 sqq. poeta interest prælio et occiditur.

120. *Repagula*, sive ligna transversa, quibus fores muniebantur, utriusque posti inserta erant, et ut e versu 127 colligas, in parte superiore. *Illidit* videtur emendatio recentiorum; Codex Regius A. *elisit*; eodem sensu, Codex B. *immisit*, quod censeo aptius et simplicius; nam de *postium repagulis* sermo est, et *illidere* seu *elidere* aliquid *ossibus* vix Latinum est. Horatius dixit, *illidere dentem alicui rei*; Livius, *elidere caput sacro*; sed *elidere* corpus inanimatum, v. g. saxa, stipites, etc. alicui corpori animato rerum naturæ repugnat. *Procubuit terræ*, ut 197. *prosternere humi*; vii. 578. *terræ jacens*.

Demere tentabat lævi quoque robora postis
 Cinyphius Pelates : tentanti dextera fixa est
 Cuspide Marmaridæ Coruthi, lignoque cohæsit :
 Hærenti latus hausit Abas ; nec corrui ille, 126
 Sed retinente manum moriens e poste pependit.
 Sternitur et Menaleus, Perseïa castra sequutus,
 Et Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri ;
 Dives agri Dorylas, quo non possederat alter 130
 Latius, aut totidem tollebat farris acervos.
 Hujus in obliquo missum stetit inguine ferrum :
 Letifer ille locus : quem postquam vulneris auctor
 Singultantem animam, et versantem lumina vidit
 Bactrius Halcyoneus, “ Hoc, quod premis,” inquit,
 “ habeto 135
 De tot agris terræ :” corpusque exsanguie reliquit.
 Torquet in hunc hastam calido de vulnere raptam
 Victor Abantiades : media quæ nare recepta
 Cervice exacta est, in partesque eminet ambas. 139

123. *Demere.*] Cic. dixit *convellere repagula*. *Robora*, repagula roborea. *Cinyphs*, pars Libyæ cum flumine cognomini. *Marmaridæ* inter Ægyptum et Cyrenen incolebant. Plin. v. 6. *Fixa est*. Simile quid, xii. 331—337. *Haurire*, confodere seu transigere *latus* dixit jam Lucret. v. 1323. ex Homero, ἀφύσσειν. Schirachius metaphoram inde ductam putat, quod exhauriatur sanguis. Melius haud dubie Heynius ad Virg. Æneid. ii. 600. quia hauriendo penetretur vase immisso et diffindatur aqua. Exempla multa hujus locutionis e poetis et historicis collegit Drakenb. ad Silium, v. 524.

128. *Castra sequutus*, pugnans pro Perseo. xii. 285 : *sit fortis castrorum turba tuorum*. *Nasamones*, Cyrenen incolebant. Plinius, v. 5. ubi et de

fertilitate agri Cyrenaiici. Et omnino Africa *πυροφόρος*. In nummis cum spicis et cornu Copiæ cernitur. Ibi Romani immensas possessiones habebant. *Ditissimus agri* etiam Æneid. x. 563. *Latius*, latiores agros. *Tollebat*. *Tolli* eleganter dicuntur quæ ex agris redeunt et colliguntur. Sic et Fast. iv. 560.

134. *Singultare*, cum singultu seu motibus convulsivis exhalare. Æn. ix. 333. *truncus sanguine singultans* ; 415. *longis singultibus ilia pulsat*.

138. *Abantiades*, Perseus, *Abantis* pronepos. Acrisius enim Danaes pater erat, filius Abantis.

139. *In partesque eminet ambas.*] *Διαμπερές* tale telum ab Homero vocatur. *Librata*. Vide ad iii. 311. *Libratione* illa, vis maxima addebat telis ; itaque et Æn. ix. 418. *li-*

Dumque manum Fortuna juvat, Clytiumque Clamatre satos una, diverso vulnere fudit: [ninque Nam Clytii per utrumque gravi librata lacerto Fraxinus acta femur; jaculum Clanis ore momordit. Occidit et Celadon Mendesius; occidit Astreus, Matre Palæstina, dubio genitore creatus; 145 Æthionque sagax quondam ventura videre, Tunc ave deceptus falsa; regisque Thoactes Armiger; et cæso genitore infamis Agyrtes. [unum Plus tamen exhausto superest; namque omnibus Opprimere est animus: conjurata undique pugnant Agmina pro causa meritum impugnante fidemque. Hac pro parte socer frustra pius, et nova conjux, Cum genetrice, favent, ululatuque atria complent. Sed sonus armorum superat, gemitusque cadent-Pollutosque semel multo Bellona Penates [tum; Sanguine perfundit; renovataque prælia miscet.

brata hasta it Tago per tempus utrumque. Momordit jaculum, jaculum hæsit in ore. Homerus, Iliad. E. 75: *ψυχρὸν δ' ἔλε χαλκὸν ὀδοῦσιν.*

* 144. *Mendes*, oppidum Ægypti et nomos ad ostium Nili, quod inde Mendesium. Plin. v. 9 et 11; Strabo, xvii. *Matre Palæstina.* Palæstina regio est Syriæ contermina Judææ, a Palæstina urbe dicta. *Dubio genitore.* Quum pater ignoratur, filius dicitur *spærius*; *nothus* autem, qui ex concubina, non ex legitima uxore natus est, sed habet patrem certum. *Ventura videre*, in videndis venturis. *Ave deceptum*, quo minus interitum suum prævideret. Silius, v. 405. *vanis deceptus in alite signis.* Hoc quoque ex Homero et Virgilio: etenim Il. B. 859. *Mysis præerat Ennomus augur, qui οὐκ οἶωνοῖσιν ἐρύσσατο κῆρα μέλαιναν;* Æn. ix. 327. *Turno gratissimus augur: Sed non augurio potuit depellere pestem.*

149. *Plus tamen, etc.*] *Pugnæ descriptio* interruptur aliquandiu. *Exhausto.* Cod. Reg. B. *exhaustis*, subaud. *viris*; in Vulg. subaud. *numero virorum.* *Pro causa meritum impugnante*; hoc est, pro Phineo, qui et *meritum* Persei, quo Andromedam servaverat, et *fidem* ipsi a rege datam *impugnabat.* *Favent aut student* qui spectantes dictis et factis declarant, cui parti dediti sint. *Ululatus*, clamor feminarum: confer xii. 226.

154. *Superat*, obstrepit, ἀντιφωνεῖ. Ut *Pallas* et *Fortuna*, sic et *Bellona* huic pugnæ intererat. *Penates* stabant in ipso atrio ad focum. *Ii polluebantur sanguine injuste fuso.* Ita graviter ornavit illud: aucta est cædes semel cœpta. Satis fuisset, *renovat prælia*; sed plenius, *renovata miscet.* Et milites pugnantes *miscet* prælia, Virg. Georg. ii. 282. et qui eos excitant ad pugnandum.

Circueunt unum Phineus et mille sequuti 157
 Phinea: tela volant hiberna grandine plura [res.
 Præter utrumque latus, præterque et lumen, et au-
 Applicat hinc humeros ad magnæ saxa columnæ;
 Tutaque terga gerens, adversaque in agmina versus,
 Sustinet instantes: instabant parte sinistra
 Choanius Molpeus, dextra Nabatæus Ethemon.
 Tigris ut, auditis diversa valle duorum
 Exstimulata fame mugitibus armentorum, 165
 Nescit, utro potius ruat; et ruere ardet utroque:
 Sic dubius Perseus, dextra lævane feratur,
 Molpea trajecti submovit vulnere cruris;
 Contentusque fuga est: neque enim dat tempus
 Ethemon,
 Sed furit; et, cupiens alto dare vulnera collo, 170
 Non circumspectis exactum viribus ensem
 Fregit; et extrema percussæ parte columnæ

158. *Hiberna*, quam procellæ in terram dejiciunt. *Æn.* x. 801 sqq.: *Telaque conjiciunt,—velut effusâ si quando grandine nimbî Præcipitant.* Cf. ix. 668. Apud Homerum, *Il. M.* 156. vero tela *νιφάδες ὡς πίπτον ἐραζε.* *Præter utrumque latus;* juxta utrumque latus, et dextrum et sinistrum, propeque et oculos et aures.

160. *Applicat hinc humeros, etc.]* Similem Alexandri pugnam referunt *Curt.* ix. 5. et *Justin.* xii. 9. quam minime credibilem, et ex hac Persei fabula fictam putat *Burm. applicare* verb. propr. in hac re. *Ad saxa, saxis.* Atria autem media magnæ olim innitebantur *columnæ.*

162. *Instabant.]* Codices nostri, *instabat.* Vide quæ diximus supra ad *eripient,* in versu 12. *Choanius,* a *Chaonibus* qui ex antiquissima *Pelagorum* stirpe erant, vetustissimis

temporibus pars *Epiri* habitabatur. *Strabo,* p. 498; *Plin.* iv. proœm. Male autem *Chaonius* et *Nabatæus* (vide ad i. 61.) hic junguntur. Non igitur dubitavi e *Micylli* conjectura *Choanius* exhibere: probat eam etiam *Harduin.* ad *Plinium,* vi. 28 s. 32. ubi de *Chaonis.* *Arabia* incolis, agitur. *Tigris,* etc. Bene delecta similitudo. *Homer.* vero et *Virg. Æn.* ix. 339. cum *leone impasto* potius, quem *vesana fames stimulat,* fortem bellatorem comparant. *Diversa valle;* in parte diversa vallis.

170. *Furere, μαινέσθαι, θένειν,* sæpe bono sensu de milite acriter pugnante. *Bruckh.* ad *Propert.* IV. vi. 56: sed idem et iratorum est. *Non circumspectis,* non antea ponderatis, hoc est, nimis. *Exigere ensem,* summam virium intentionem notare: docuit *Barth.* at *Stat.* vi. *Theb.* 718.

Lamina dissiluit, dominique in gutture fixa est.
Non tamen ad letum causas satis illa valentes
Plaga dedit: trepidum Perseus, et inermia frustra
Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe. 176

Verum ubi virtutem turbæ succumbere vidit,
“Auxilium,” Perseus, “quoniam sic cogitis ipsi,”
Dixit, “ab hoste petam; vultus avertite vestros,
Si quis amicus adest:” et Gorgonis extulit ora.
Quære alium, tua quem moveant miracula,” dixit
Thescelus: utque manu jaculum fatale parabat
Mittere, in hoc hæsit signum de marmore gestu.
Proximus huic Ampyx animi plenissima magni
Pectora Lyncidæ gladio petit; inque petendo 185
Dextera dirigit, nec citra mota, nec ultra.
At Nileus, qui se genitum septemplice Nilo
Ementitus erat, clypeo quoque flumina septem
Argento partim, partim cælaverat auro,
“Aspice,” ait, “Perseu, nostræ primordia gentis:
Magna ferēs tacitas solatia mortis ad umbras 191

173. *Dominus*, qui utitur aliqua re. *Cyllenide*, quam a Cyllenio, sive Mercurio acceperat: vide ad iv. 726. Etiam Orpheus, Lith. xv. 45. ὕρπην Κυλληνίδα habet.

177. *Verum ubi*, etc.] Serius hoc auxilio utitur ut fortitudinem antea ostentaret. *Ab hoste petam*. Sic *fas et ab hoste doceri*. *Hostis*, Gorgo olim occisa. Ejus capite in pugna cum Gigantibus similiter utitur Minerva apud Claud. xxxvii. 93 sqq. *Extulit*. iv. 655. *prodidit ora*. *Miracula*, magicæ artes, versu 197. *Moveant*, terreant. *Fatale est*, quod arreptum causa fuit ipsi mutationis. *Hæsit signum* exquisite, factum est signum. *In hoc signum hæsit*; hoc est, Thescelus in statuam marmoream ita est conversus, ut jaculum emittere velle vide-

VOL. III.

batur. *Gestus illi* aut similes notati haud dubie jam ab antiquiore poeta. Etenim etiam in Polydectæ et amicorum transformatione, observante Apollod. II. iv. 3: τῶν ἰδόντων, ὁποῖον ἕκαστος ἔτυχε σχῆμα ἔχων, ἀπελιθώθη. Hoc ergo Noster et iv. 551 sqq. sequutus est. *Dirigit*; rigida et dura facta est.

187. *At Nileus*, etc.] Sic Turnus in clypeo Inachum fluvium, quia ab Inacho genus ducebat, cælatum habebat. Æneid. vii. 789. *Primordia*, origo. *Cadere ab aliquo* per breviloquentiam dicitur is, qui interfectus ab eo cadit. Exempla habet Burmannus. Magnum autem Veteribus erat solatium, a magno viro cadere: vide ad ix. 6.

O o

A tanto cecidisse viro." Pars ultima vocis
 In medio suppressa sono est; adaperataque velle
 Ora loqui credas, nec sunt ea pervia verbis. [quit,
 Increpat hos, " Vitioque animi, non crinibus," in-
 " Gorgoneis torpetis," Eryx: " incurrite mecum;
 Et prosternite humi juvenem magica arma moven-
 Incursurus erat: tenuit vestigia tellus; [tem."
 Immotusque silex, armataque mansit imago. 199

Hi tamen ex merito pœnam subiere: sed unus
 Miles erat Persei, pro quo dum pugnat, Aconteus,
 Gorgone conspecta saxo concrevit oborto:
 Quem ratus Astyages etiamnum vivere, longo
 Ense ferit: sonuit tinnitibus ensis acutis. 204
 Dum stupet, Astyages naturam traxit eandem;
 Marmoreoque manet vultus mirantis in ore.
 Nomina longa mora est media de plebe virorum
 Dicere: bis centum restabant corpora pugnæ;
 Gorgone bis centum riguerunt corpora visa.

Pœnitet injusti nunc denique Phinea belli. 210
 Sed quid agat? simulacra videt diversa figuris;
 Agnoscitque suos, et nomine quemque vocatos
 Poscit opem; credensque parum, sibi proxima
 tangit [supplex,
 Corpora: marmor erant: avertitur; atque ita
 Confessasque manus, obliquaque brachia tendens,

196. *Torpere*, verbum ambiguae significationis, quum et de saxi natura, et de homine inertis dicatur.

197. *Magica arma*, magicos cantus, incantamenta, atque veneficia. *Vestigia*, pedes.

200. *Ex merito*: quia Phinei satellitium et malæ causæ propugnatores. *Concrevit*, immobilis est factus. Eleganter Pont. II. xi. 10. *concretus dolor*,

quum quis ita obstupescit, ut sine motu stet, veluti in saxum mutatus. *Trahere*, ut ii. 236. *Media de plebe*; Æn. ix. 373. *multam sine nomine plebem*. *Corpora*, sæpe pro hominibus. Æn. ii. 18. *delecta virum corpora*.

215. *Confessasque*.] Victos se Veteres confitebantur sublatis manibus, ut docet Faber Agon. i. 8. *Obliqua brachia* habebat supplicans Phineus,

“ Vincis,” ait, “ Perseu; remove fera monstra,
tuæque 216

Saxificos vultus, quæcunque ea, tolle Medusæ.

Tolle precor; non nos odium, regnive cupido

Compulit ad bellum: pro conjuge movimus arma.

Causa fuit meritis melior tua, tempore nostra: 220

Non cessisse piget; nihil, o fortissime, præter

Hanc animam concede mihi: tua cetera sunt.”

Talia dicenti, neque eum, quem voce rogabat,

Respicere audenti, “ Quod,” ait, “ timidissime

Phineu, 224

Et possum tribuisse, et magnum munus inertî est,

Pone metum, tribuam: nullo violabere ferro.

Quin etiam mansura dabo monumenta per ævum;

Inque domo soceri semper spectabere nostri,

Ut mea se sponsi soletur imagine conjux.” 229

Dixit: et in partem Phorcynida transtulit illam,

Ad quam se trepido Phineus obverterat ore.

Tunc quoque conanti sua flectere lumina, cervix

Diriguit, saxoque oculorum induruit humor. [plex,

Sed tamen os timidum, vultusque in marmore sup-

Submissæque manus, faciesque obnoxia mansit.

quam obstupefactus pedem retro ferret, vultumque, ne mutaretur, averteret. *Fera monstra*, κεφαλή δεινοῖο πειλώρου, Il. E. 741. *Saxificus*, in saxum convertens; vox ab Ovidio, ut videtur, facta ad formam τοῦ vulnificus.

221. *Non cessisse piget.*] Me, inquit Phineus, pœnitet tibi Andromedam non permisisse. *Nihil præter*, etc. Æn. xii. *sine hanc animam et miserere precantis.*

225. *Et possum tribuisse*, etc.] Lenzius interpungit post *possum*; *tribuuisse* autem conjungit cum seq. quanquam

non negat, *tribuuisse* posse capi pro *tribuere*. Hoc forte melius. Horat. A. P. *poteris dixisse*, dicere. Et ita passim. *Ut mea se sponsi*, etc. Temere hoc additum; etenim Andromeda mox relinquebat cum Perseo paternam domum.

230. *Phorcynida.*] Phorcynis, Medusa Phorci filia.

235. *Submissæ*, supplices. Cicero, pro Planc. 10: *tribubus me submisi et supplicavi*. *Obnoxius* nunc proprie, qui conscius sibi malæ rei cedit alteri: vid. Parei Lexic. crit. hoc. v.

II. Victor Abantiades patrios cum conjuge mu-
Intrat, et immeriti vindex ultorque parentis [ros
Aggreditur Prætum; nam fratre per arma fugato
Acrisioneas Prætus possederat arces. 239

Sed nec ope armorum, nec, quam male ceperat,
Torva colubriferi superavit lumina monstri. [arce,
Te tamen, o parvæ rector, Polydecta, Seriphi,
Nec juvenis virtus, per tot spectata labores,
Nec mala mollierant: sed inexorabile durus
Exerces odium; nec iniqua finis in ira est. 245
Detrectas etiam laudes, fictamque Medusæ

236. *Patrii muri*, urbs Argos, quam, etsi tenebat Prætus, tamen intrare Perseus poterat. Non igitur erat, cur Burmannus præferret *finis* aut *portus*. *Cum conjuge*, Andromeda.

237. *Et immeriti*, etc.] Heinsius ex Naugerii MSS. dedit *immerita*, ut *parens* hic sit Danae; quæ quo jure dicatur *immerita*, et quam injuriam ei e Præto illatam ulcisci voluerit Perseus, non invenio. Verum haud dubie vidit Lactant. in *Argum.* hanc fabulam, qui per *parentem*, avum Acrisium intelligit, quem etiam *immeritum* non bene de Perseo meritum (arca enim inclusum Persea cum matre in mare projecerat,) *vindicare*, in regnum, quo pulsus a fratre erat, restituere voluerit. Rectius tamen *immeritum* interpretaberis, qui talem sortem non meruerat, ut a fratre regno exueretur. Abantis filii regnum paternum ita inter se dividerant, ut *Acrisius* Argis maneret, *Prætus* Tiryntem et alia possideret. Dissidia inter eos, orta esse, etiam Pausan. ii. p. 145. narrat; sed Prætum *Acrisioneas possedissee arces*, Argos urbem occupasse, nec ab illo, nec ab alio auctore traditur.

242. *O parvæ*.] Codex Regius A, *parvi*; at Juvenalis, *Satyr.* vi. 564. *et parva tandem caruisse Seripho*; et x.

170. *ut Gyari scopulis parvaque Seripho*. *Polydectes*, rex Seriphi (quæ fuit una ex Cycladibus,) frater Dictyis, qui Dictys Persea cum matre in arca ad insulam delatum educandum curaverat. Polydectes autem, Danaes amore captus, sed Hippodamiæ nuptias simulans, quum munera ab amicis colligeret, quibus Hippodamiæ emeret, Perseus ultro promisit, se vel Gorgonis caput allaturum; quibus promissis ut staret, eum impulit Polydectes. Reversus comperit matrem cum Dictye ob Polydectæ violentiam ad aras fugivisse; qua re commotus illum cum sociis in saxa mutat. Sic Apollod. II. iv. 1—4; confer Schol. Apollon. iv. 1091. et Schol. Pindari P. x. 72. et xii. 18; Zenob. i. 42; Hygin. fabulas 63, 64. 273. Extiterant olim Æschyli Polydectes, Sophoclis Danae, Euripidis Danae et Dictys. Sed in primis Pherecydem seriores mythologi sequuti esse videntur. Persea cum Medusæ capite in Seriphon redeuntem pinxerat Polygnotus. Pausan. p. 52.

244. *Durus*, inexorabilis, ut *Fast.* iv. 111. *dura puella*; et h. l. bene opp. *τῶν mollierant*. Otiose additum *nec iniqua*, etc.

246. *Detrectas*.] *Detrectare*, mi-

Arguis esse necem. “Dabimus tibi pignora veri;
Parcite luminibus,” Perseus ait; oraque regis
Ore Medusæo silicem sine sanguine fecit. 249

Hactenus aurigenæ comitem Tritonia fratri
Se dedit: inde cava circumdata nube Seriphon
Deserit, a dextra Cythno Gyaroque relictis.
Quaque super pontum via visa brevissima, Thebas,
Virgineumque Heliconā petit; quo monte potita
Constitit, et doctas sic est adfata sorores: 255
“Fama novi fontis nostras pervenit ad aures;
Dura Medusæi quem præpetis ungula rupit.
Is mihi causa viæ: volui mirabile monstrum

nuere, detrahare gloriæ alterius. *Parcere oculis* alibi est, iis non uti, Tibul. i. 2. 23; sed h. l. eos avertere. Non autem regis tantum ora mutavit, sed et amicorum. Pherecydes, Pindarus, Apollod. Fabulam Strabo, x. p. 487. e saxosa Seriphi natura explicat: *Ὀὐτῶ δ' ἐστὶ περὶ ῥώδης ἢ νῆσος, ὥστε ὑπὸ τῆς Γοργόνος τοῦτο παθεῖν αὐτῆν φάσιν οἱ κωμικοὶ οὖντες.* Apud Hygin. fab. 273. qui haud dubie Æschylum sequutus est, Polydectæ funebres ludos Perseus facit.

250—678. *Musarum colloquia cum Pallade.*] *Aurigena*, χρυσογενής, χρυσόπατρος, quem Jupiter in aurum conversus genuerat. Sic *draconigena* et alia, quæ supra legimus. Perplacet Schirachio hoc epitheton, quod nobilem habeat audaciam. *Se dedit comitem* exquisitius, quam, fuit comes. *Se dare* enim omnino dicuntur qui intersunt aut adsunt aliis, ad eos se applicant. *Cava nube*, ut, qui aquam ingrediuntur, *curvata aqua* cinguntur, apud Virgilium, Georg. iv. 361. *Cythno*. MSS. omnes, *Cypro*. Quæ insula quum remota nimis sit a Seripho, varie hoc nomen ab editoribus tentatum est. *Cythno* correxit Naugerius, et sic Planudes habet in Metaph. Græca. *Cyth-*

nus et *Gyarus* e numero Cycladum sunt.

254. *Virgineumque Heliconā*; Helicon Virginibus, sive, Musis consecratus, quo tempore earum cultus e Thracia in Bœotiam transit. *Potitur* loco, qui eo pervenit. *Sorores* vocantur et *Furiæ* iv. 470; atque *Parcæ*, Horat. II. iii. 15; sed *Musæ doctæ sorores*, quod epitheton ab iis ad poetas in primis translatum est.

256. *Novi fontis*, quem a forma Hippocrenes nomen accepisse putant. Sed undecumque ei impositum sit, etymologica ejus interpretatio fabulam ministravit. Etiam Trœzenii quum fontem haberent cognominem, mythum ad se traxerunt. Pausanias, ii. 31. *Medusæus præpes*, Pegasus e sanguine Medusæ ortus, iv. 784. De significatione *τοῦ præpes* jam olim disputabant grammatici. Omnino celerem notat, et nunc substantive equum celerem. *Rupit*. Hoc magis aptum est *fonti*, quam *fregit*. *Rumpitur*, scinditur terra, unde fons exit. *Mox factas pedis ictibus undus*.

258. *Monstrum*, fons mirabili modo inventus. Sic *mirabile monstrum* etiam, Virg. Æn. iii. 26.

Cernere; vidi ipsum materno sanguine nasci.”
 Excipit Uranie: “Quæcunque est causa videndi
 Has tibi, Diva, domos, animo gratissima nostro es:
 Vera tamen fama est, et Pegasus hujus origo
 Fontis;” et ad latices deducit Pallada sacros;
 Quæ mirata diu factas pedis ictibus undas,
 Silvarum lucos circumspicit antiquarum, 265
 Antraque, et innumeris distinctas floribus herbas:
 Felicesque vocat pariter studiique, locique
 Mnemonidas, quam sic affata est una sororum:
 “O, nisi te virtus opera ad majora tulisset,
 In partem ventura chori Tritonia nostri, 270
 Vera refers; meritoque probas artesque, locumque;
 Et gratam sortem, tutæ modo simus, habemus.
 Sed, vetitum est adeo sceleri nihil! omnia terrent
 Virgineas mentes, dirusque ante ora Pyreneus
 Vertitur; et nondum me tota mente recepi. 275
 Daulia Threïcio, Phoceaue milite rura
 Ceperat ille ferox, injustaque regna tenebat.

261. *Animo gratissima nostro es.*] Notat Heinsius esse hemistichium Homericum, ἐμῶ κεχαρισμένη θυμῶ. *Origo*, auctor, ut i. 79. *Tamen*, autem. Fons ille *Pegaseæ aquæ* apud Claudianum, lv. 4. et *Bellerophonteï humor equi*, Propert. III. ii. 2.

265. *Silvarum lucos*, etc.] Helicon præstabat soli bonitate; consitus erat arboribus, fruticibus et herbis tam saluberrimis, quam suavissimi odoris. In eo lucus Musarum, ad lævam fons Aganippe. Pausan. Bœot. pag. 763 sqq. *Felices studii*, deest, respectu. Horat. I. Sat. ix. 11. *felix cerebri*. Virg. *felix uteri*, et in nostro opere, iii. 132. MSS. nonnulli, *exilii felix*. *Mnemonides* a græco μνήμων, inde et Mnemosynes filiæ dictæ.

269. *O, nisi te*, etc.] Blanda et ur-

bana compellatio. *Opera majora*, nempe bellica. *Chorus*, numerus, cætus, quanquam Musæ et *choros* instituebant. Hesiod. Theog. 7. *Sua-viter additum, virgineus*; virgines enim facile terrentur. Et virgineo terrori conveniunt et sequentia, *dirusque—vertitur*. *Pyreneus* e Thracia coloniam deduxit in Bœotiam, atque vel ruditate sua vel bello Musas inde fugasse dici potuit. *Se recipere* aut *colligere* dicuntur, qui ex magna animi perturbatione ad tranquillitatem redeunt.

276. *Daulis*, urbs Phocidis, ex qua via ducebat ad Parnassi juga. Pausan. Phoc. p. 807 sqq. *Templa Parnasia* nempe Apollinis et Bacchi, qui ibi colebantur.

Templa petebamus Parnasia : vidit euntes ;
 Nostraque fallaci veneratus numina cultu : [dixit ;
 “ Mnemonides,” cognorat enim, “ consistite,”
 “ Nec dubitate, precor, tecto grave sidus et im-
 Imber erat, “ vitare meo : subiere minores [brem,”
 Sæpe casas Superi.” Dictis et tempore motæ
 Annuimusque viro, primasque intravimus ædes.
 Desierant imbres ; victoque Aquilonibus Austro
 Fusca repurgato fugiebant nubila cælo. 286
 Impetus ire fuit : claudit sua tecta Pyreneus ;
 Vimque parat, quam nos sumptis effugimus alis.
 Ipse sequuturo similis stetit arduus arce :
 “ Quaque via est vobis, erit et mihi,” dixit, “ ea-
 Seque jacet vecors e summæ culmine turris ; [dem ;”
 Et cadit in vultus, discussique ossibus oris [tam.
 Tundit humum moriens scelerato sanguine tinc-
 Musa loquebatur : pennæ sonuere per auras ;

280. *Consistere* proprie dicuntur, qui a cursu aut itinere quiescunt. BURM. *Sidus*, tempestas, quia ortus siderum et occasus tempestates concitat. Flor. II. viii. 8. *hoc velut sidere Asiatici belli mota tempestus*. Sed Burmannus *mallet grave frigus*, quia poetæ *grave sidus* vocare solent acrem solem et inde vehementem calorem ; sed hunc non convenire imbri, quia, quum ille cadat, vehementia sideris frangatur ; quæ omnia frustra ab eo monita sunt.

284. *Primas ædes*, atrium. In penetralia corruptorum et veteratorum Musis fas aut pudor introire non permittit.

291. *Vecors*, injecta ei insania. *Turris*, regia.

293. *Tundit humum*, etc.] Fabulæ sensum deprehendisse sibi videtur Saffius. Putat enim, Pyren. hunc fuisse malum poetam, qui, etiamsi

alis h. e. ingenio poetico destitutus fuerit, tamen volare voluerit, et, parum procedente opera, quasi vim inferre Musis, sed qui frustra desudaverit.

294—678. *Certamen Musarum cum Pieridibus*.] Pausan. Bœot. p. 765. auctor est *Pierum* Macedonem *Thespias* venisse, ibique instituisse, ut ex Thracum disciplina novem Musæ iis nominibus, quibus adhuc appellantur, colerentur. Ex aliorum autem opinione ipsum habuisse novem filias, quas Musarum nominibus insignierit. Hoc earum *certamen* e Nicandro refert etiam Anton. Lib. ix. Eo auctore Musarum cantu tota rerum natura delinita est, Pieridum contra strepitu tenebris involuta. Victæ Pierides in novem diversas aves mutantur. *Penna sonuere*, auditus est clangor alarum. *Salutantur*. Nempe aves illæ a Græcis et Romanis docebantur red-

Voxque salutantum ramis veniebat ab altis. 295
 Suspicit; et linguæ quærit, tam certa loquentes,
 Unde sonent; hominemque putat Jove nata lo-
 quutum:

Ales erat; numeroque novem, sua fata querentes,
 Institerant ramis imitantes omnia picæ.

Miranti sic orsa Deæ Dea: "Nuper et istæ 300
 Auxerunt volucrem victæ certamine turbam.

Pieros has genuit Pellæis dives in arvis.

Pæonis Evippe mater fuit: illa potentem
 Lucinam novies, novies paritura, vocavit.

Intumuit numero stolidarum turba sororum; 305
 Perque tot Hæmonias, et per tot Achæidas urbes

Huc venit, et tali committunt prælia voce:

"Desinite indoctum vana dulcedine vulgus
 Fallere; nobiscum, si qua est fiducia vobis,

Thespiades certate Deæ; nec voce, nec arte 310
 Vincemur; totidemque sumus: vel cedite victæ

Fonte Medusæo, et Hyantea Aganippe:

dere in primis vocem *χαῖρε*. Persius, Prol. 8. *Tam certa loquentes*. Sonus ille non utcunque simulabat vocem humanam, sed quam simillimus ei erat, adeo ut hominis vox credi posset. Martial. xiv. 76: *Pica loquax certa dominum te voce saluto; Si me non videas, esse negabis avem*. Eodem sensu, supra ii. 668. *certi hinnitus*. Contra Quintil. Instit. II. i. 21. *de infante, loqui primum incerta voce tentavit*. *Picis* autem expressior adeo loquacitas, quam psittacis. Plin. x. 42 s. 59.

301. *Victas certamine Pieridas* esse a Musis, vetus erat traditio, quæ forte hoc volebat, Græcos proprie sic dictos ingenio superasse finitimos, Macedonas, etc.

302. *Pieros*.] Inde *Pierides* dictæ, quo nomine interdum ipsæ Musæ insigniuntur a Pieria, ubi cultæ. *Sororum* nomina habet Anton. Lib. ix. ubi vid. Munker. *Vocavit*, invocavit. *Juno Lucina fer opem, obsecro!* Terent. Ad. III. i. 15. De *Pella* et *Pæonia* mox ad versum 313. *Hæmonia*, Thessalia. i. 568. Ejus partes *Achaia*, Pelasgiotis et Phthiotis.

307. *Tali voce*.] Tam insolenti et fastus plena voce nos invadit. *Committunt prælia*, provocant ad certamen.

310. *Thespiades*.] *Thespia*, oppidum juxta Heliconem. Ibi in honorem Musarum dies festi et ludi celebrabantur. Pausan. p. 761 et 771.

312. *Hyantea*, iii. 146. *Emathia*,

Vel nos Emathiis ad Pæonas usque nivosos
 Cedemus campis : dirimant certamina Nymphæ.”
 Turpe quidem contendere erat ; sed cedere visum
 Turpius : electæ jurant per flumina Nymphæ, 316
 Factaque de vivo pressere sedilia saxo. [est,
 Tunc, sine sorte prior, quæ se certare professa
 Bella canit Superum ; falsoque in honore Gigantas
 Ponit, et extenuat magnorum facta Deorum, 320
 Emissumque ima de sede Typhoea terræ
 Cælitibus fecisse metum ; cunctosque dedisse
 Terga fugæ ; donec fessos Ægyptia tellus
 Ceperit, et septem discretus in ostia Nilus.
 Huc quoque terrigenam venisse Typhoea narrat,

Macedonia. Justin. vii. 1. Ejus oppidum *Pella*, patria Pieridum. Partem Macedoniæ septentrionalem *Pæonia* protegebat a Triballis. Plin. iv. 10. *Nivosos*, quia Græcis ad septentrionem. *Dirimant certamina* ; judices sedeant certaminis. Judices *eligeantur*, sedentes cognoscebant, et *jurati* sententiam dicebant. *Sedilia vivo saxo* etiam Æn. i. 167. in domo Nympharum.

318. *Tunc, sine sorte*, etc.] In certaminibus *sorte* plerumque constituebatur, uter certantium *prior* diceret. Nunc una Pieridum ipsa hoc sibi arrogat. Lenzius vero sic interpungit, *tunc, sine sorte, prior, quæ se*, etc. ut *prior* sit natu major seu maxima. Turpe autem Diis argumentum erat carminis seq. *Ponere in honore*, reddere honoratum, commemorandis ejus virtutibus. Similiter *ponere in gratia*, Cic. Attic. V. iii. 11 : vid. Ernesti Clav. Cic. v. *gratia*. *Extenuat*, imminuit.

321. *Typhoeus* aut *Typhon* (Τυφῶεις, Τυφών) monstrum immane, quod Terra, devictis Gigantibus magis exacerbata, e Tartaro peperit. Is et
 VOL. III.

ipse cælum oppugnavit, jactisque cum sibilo et boatu candentibus saxis Deos terruit. Hesiod. Th. 820 sqq. ; Apollod. I. vi. 3 ; Anton. Lib. xxviii et xlvi ; Schol. Æschyli ad Prom. 351 ; Hyg. fab. 152 et 196. E descriptione Hesiodi facile apparet, ventos procellosos, motus terræ flammæque inde erumpentes huic fictioni originem dedisse. Fuga Deorum mutatorum in Ægyptum, ubi Dii sub formis animalium colebantur, addita est, ut religio Ægyptiaca accommodaretur Græcæ. Eadem igitur tradebant sacerdotes Ægyptii. Hyginus, P. A. ii. 28.

325. *Terrigenam*.] Γηγενής dicitur etiam Æschylo. A Junone procreatur in h. in Apoll. 306 sqq. ubi hic mythus aliter narratur. Qui in aliam formam transeunt, ea *se celare* dicuntur. vi. 110. etiam *abdi*, ut, I. Amor. x. 3. *plumis abditus albis*. *Mentiri* aliquem eleganter dicitur, qui formam ejus induit. Vide Intt. ad Sil. ii. 637. Quærun autem Grammatici, utrum *mentiri* etiam res dicantur, atque τὸ *mentitus* ubique active sive neutraliter accipiendum sit, an pas-

P p

Et se mentitis Superos celâsse figuris ; 326
 “ Duxque gregis,” dixit, “ fit Jupiter : unde recurvis
 Nunc quoque formatus Libys est cum cornibus Am-
 Delius in corvo ; proles Semeleia capro ; [mon ;
 Fele soror Phœbi ; nivea Saturnia vacca ; 330
 Pisce Venus latuit ; Cyllenius ibidis alis.”

Hactenus ad citharam vocalia moverat ora.
 Poscimur Aonides : sed forsitan otia non sunt,
 Nec nostris præbere vacat tibi cantibus aurem.
 “ Ne dubita, vestrumque mihi refer ordine carmen,”

sive in istis exemplis capiendum. Vide Schwarz. ad Plin. Pan. 81. Infra x. 159. *mendacibus pennis* de Jove in aquilam mutato. De hac Deorum transformatione vide Eratosth. *Καταστ.* cap. 27 ; Hygin. dictis locis ; Anton. Lib. d. l. ubi alia, quam hic, animantia commemorantur, sub quorum figuris Dii latuerint. Neque ibi Jupiter et Juno mutantur, sed contra Minerva cum aliis Diis additur. Apollod. hoc unum habet, *τὰς ἰδέας μετέβαλον εἰς ζῶα*. Euseb. Præparat. Evang. p. 31. monet, ex hac Deor. transformatione ortum esse eorum cultum apud Ægyptios.

327. *Dux gregis*, hircus. Periphrasis est arietis. Nam Jupiter se in arietem commutavit ; cujus rei argumentum est, quod Jupiter Ammon in Lybia sub figura arietis colitur. Confer versum 17. *Corvus* propter divinandam dotem Apollini sacer. Nicanthro auctore, in accipitrem transiit, cujus caput apud Ægyptios Soli dabatur. *Capri* formam habebat Mendes, seu, Pan Ægyptiorum. Ab iisdem Luna sub *felis* imagine colebatur. *Vacca* cornua habebat Isis, et *ibis* symbolum erat Hermetis. Vide Jablonskii Panth. Æg. v. 2. In *piscem* Venus etiam apud Syros alio tempore transiit. Hyginus, P. A. 30 ; Noster, Fast. ii. 461 sqq. Et omnino

hæc de Typhoeo fabula apud Syros nata videtur, monente Heynio ad Apollod. d. l. *Ibis*, avis ciconiæ similis, Ægypti peculiaris, immunda, ut quæ rostro anum purget.

332. *Vocalia moverat ora*, descriptio cantus ; accinerat voce citharæ. De verbo *posci* vide ad iv. 274. Sic et Græce, *αἰρείσθαι*. *Aonides* ab Aonibus, prisca Bœoticiæ incolis. Modeste Musa abrumpere vult orationem et suos reticere cantus.

335. *Ordine referre* dicuntur, qui rem totam inde ab initio referunt. Longius igitur carmen auditura Pallas *consedit*. *Levis umbra* etiam Tibul. II. v. 96. ubi Heynius hoc epitheton inde explicat, quia, foliis et fronde leviter ab aura motis, ipsa umbra micat, et contremiscit. Possis et dicere, quia umbra nullo est pondere. Propert. III. ii. l. *mollis umbra Heliconis*. Schirachius h. l. interpretatur gratam, dulcem, vertitque. *Summam certaminis*, universum certamen, sicut apud Cic. Fin. ii. 27. *Summa philosophiæ* est universa philosophia. *Calliope* eligitur, Musa præstantissima, quæ res gestas Deorum atque heroum cantu celebrabat. Itaque interdum pro toto Musarum choro ponitur. Æneid. ix. 535. Infra versu 662. *maxima* vocatur. Ad dicendum prodituri vestitum componere sole-

Pallas ait; nemorisque levi consedit in umbra. 336
 Musa refert: Dedimus summam certaminis uni.”
 Surgit, et immissos hedera collecta capillos
 Calliope querulas prætentat pollice chordas;
 Atque hæc percussis subjungit carmina nervis:
 Prima Ceres unco glebas dimovit aratro; 341
 Prima dedit fruges, alimenta que mitia terris;
 Prima dedit leges: Cereris sumus omnia munus;
 Illa canenda mihi est: utinam modo dicere possem
 Carmina digna Deæ! certe Dea carmine digna est.

bant. Plinius, II. Epist. iii. 2. *surgit*, *amicitur*. Similiter et nunc Calliope decoris causa, *capillos* (quos mulieres domi sedentes *immissos* in faciem, aut sparsos per humeros et defluentes habebant, vi. 168; et Trist. I. iii. 43.) *colligit*, non nodo aut reticulo, sed *hedera*, doctarum frontium ornamento, quo et poetæ coronari solent. Confer Horat. I. Od. i. 29. *Prætentat chordas*, ante cantum oris pulsat, præludit, *ἀνακροῦεται, ἀναβάλλεται*, more citharædorum. *Retentare chordas*, supra 117. *Querula* propter mollem sonum. *Querula tibia*, Horat. III. Od. vii. 30.

341. *Hymnus Musæ Cererem celebrans* pertinet ad versum 661; sed pars ejus gravissima *Raptus Proserpinæ*, cui quatuor metamorphoses insertæ, ad versum 571. Hæc fabulæ a plurimis, sed magna varietate, tractata est. Juxta Marmor Arund. i. 14, jam sub Erechtheo aliquis, cujus nomen deletum est, carmen de ea composuit. Idem fecerat, ut e Pausan. i. 39, apparet, Pamphus. Ordine relata est in Homeri hymno in Cererem, et copiosius etiam seriore ætate a Claudiano peculiari de Raptu Proserp. carmine. Breviter eam attingunt Orpheus in Argon. 1189 sqq. Callim. h. in Cerer. 5—17. Cf. et Apollod. i. 5.

qui fere hymn. Homeric. sequitur; Hygin. fab. 146; Arnob. adv. Gentes, v. p. 173 sqq. Denuo Noster eam tractavit, Fast. iv. 339 sqq. Expressa denique erat in multis nummis aliisque monumentis. Spanhem. ad Callimachum, 9. *Prima Ceres*, etc. e Virgil. Georg. i. 147: *Prima Ceres ferro mortales vertere terram Instituit*. Conf. Noster Amor. iii. 10; Fast. iv. 401. *Dimovit*, dimovere, id est, arare instituit. *Dimovere terram* etiam, Georg. ii. 513. *Mitia*, culta, quum antea glandibus vescerentur homines. *Mite*, proprie de frugibus cultis et maturitatem consequutis. *Sumus*, pro vulgari sunt, ex Berneggeriano et uno Hamburgensi, qui pro diversa lectione habet, recepit et illustravit Heinsius qui laudat Pont. I. El. i. *quorum sumus omnia*, et infra x. 32. *omnia debemur vobis*, ubi vide notas. Sed quoniam nos ipsi hoc loco non in illis omnibus sumus, propterea præferremus, nisi altera lectio doctior esset, quam ut a librario proficisci poterit. Codex Regius A habet *sunt*; Codex B, *sumus*. *Munus*; hinc *munifica* dicta. Et quoniam agricultura est veluti mater legum civilium, propterea Ceres etiam *legifera*, *θεσμοφόρος*.

345. *Deæ*.] Heinsius monuit hanc vocem posse referri ad *dicere*; idem-

Vasta giganteis injecta est insula membris 346
Trinacris, et magnis subjectum molibus urget
Ætherias ausum sperare Typhoea sedes.

Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpe;
Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro;
Læva, Pachyne, tibi; Lilybæo crura premuntur;
Degravat Ætna caput; sub qua resupinus arenas
Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoeus.
Sæpe remoliri luctatur pondera terræ, 354
Oppidaque, et magnos evolvere corpore montes.
Inde tremit tellus; et rex pavet ipse silentum,

que ad Trist. IV. iii. 57. exempla congestit, quibus *rò dignus* adjunctum sibi habet casum secundum.

346. *Vasta giganteis*, etc.] Terrarum motus et subterraneorum ignium explosiones gigantibus terræ inclusis tribuere solebat fabulosa antiquitas, physica fere phænomena ex fabulis explicans. Ac Siciliæ quidem, *vastæ*, maximæ in mari Mediterraneo *insula*, Græcis a tribus promontoriis, *ἀρπυγῆς*, *Trinacris* dictæ, Noster Æschylum Prom. 351. Pindarum Od. iv. 12. sequutus tam h. l. quam Fast. iv. 491. et II. Pont. iii. 23. *Typhoeum* subjicit, qui, quum in acerrimo cum Jove bello tandem fulminum vi territus per mare Mediterraneum fugere cœpisset, hac insula a Jove obrutus credebatur. Atque ita etiam Nicander apud Anton. lib. xxviii; Apollod. I. vi. 3; Hygin. fab. 152. Secundum Homer. autem Iliad. B. 783. ille in *Arimis* jacet, id est, vel in Cilicia, vel in Syria. Sed Arimos quum nonnulli in Pithecusis insulis prope Misenum collocarent, Virgilius, Æn. ix. 715. unam ex illis Prochyta nominavit. Vide ibi Heynii Exc. *Encelado* Ætnam superimponunt Orph. Quint. Smyrn. xiv. 582; Virgil. Æneid. iii. 578. et alii. Commode autem Noster

rem omnem a *Typhoei* supplicio et motibus repetit; eum enim Pieris et carminis sui argumentum fecerat, et falso in honore posuerat. *Moles*, montes et oppida, ut versu 354. *remoliri pondera terræ*.

349. *Nititur ille quidem*.] Hoc idcirco fingitur, quia Sicilia terræ motibus sæpenumero quatitur. *Dextra sed*, etc. Nota sunt hæc tria Siciliæ promontoria, de quibus vide Claudian. Rapt. i. 147 sqq. *Pelorus* (Capo Pelorus) orientem spectat, *Pachynum* (Capo Passero) meridiem, *Lilybæum* (Cap. Marsala) occidentem. *Ausonium*, Ausoniæ seu Italiæ vicinum.

353. *Flammamque vomit Typhoeus*.] Quotquot ubique montes, aut loci marini eructant incendia, aut repentibus flatibus, qui vocantur *Typhones*, et terræ motibus concutiuntur, *Typhoeo* injecta finguntur. Confer Æneid. ii; Claudian. de Raptu Proserpinæ, i; Noster, xiv.

356. *Inde tremit tellus*.] Sic *Typhoei* motus fit causa probabilis, cur Pluto e sede sua exierit ad superas auras, Cupidinisque telis vulnerari potuerit! Sequentia expressa ex Homeri Il. γ. 61: "Ἐδδαισεν δ' ὑπέκρθεθ' ἀναξ ἐνέρωρ' Αἰδωνεύς—μή οἱ ὑπερθε Γαῖαν ἀναρρήξειε Ἥοσειδάων ἐνοσίχ-

Ne pateat, latoque solum retegatur hiatu,
 Immissusque dies trepidantes terreat umbras.
 Hanc metuens cladem tenebrosa sede tyrannus
 Exierat; curruque atrorum vectus equorum, 360
 Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.
 Postquam exploratum satis est, loca nulla labare,
 Depositique metus; videt hunc Erycina vagantem
 Monte suo residens, natumque amplexa volucrem;
 “Arma, manusque meæ, mea, nate, potentia,”
 dixit, 365
 “Illa, quibus superas omnes, cape tela, Cupido,
 Inque Dei pectus celeres molire sagittas,
 Cui triplicis cessit fortuna novissima regni.
 Tu Superos, ipsumque Jovem, tu numina ponti
 Victa domas, ipsumque regit qui numina ponti.

θων, Οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανεῖη. Quem locum magnificentum, et Longino, 9. laudatum, expressit etiam Virgil. Æneid. viii. 243. sed tantum in similitudine. Verum h. l. ut apud Homerum, verus Plutonis timor declaratur. Sed verba petita ex illo Virgillii, *trepidentque immisso lumine Manes. Silentes simpliciter, mortui. Pateat, patescat. Dies, lux. Trepidantes terreat, terreat, ut trepident.*

360. *Atra omnia, quæ ad inferos pertinent. Κρανόρυχας ἵππους* Plutoni dat etiam Orpheus; *cæruleos* Noster, Fast. d. l. *Equorum* illorum nomina habet Claudian. R. i. 282. *Ambibat*, ut Jupiter mœnia mundi, ii. 401.

363. *Erycina*, Erix, hodie S. Guilano, mons altissimus non longe a Lilybæo, Veneris *Erycinæ* templo memorabilis. Hic Venus sua sponte in Plutone amorem excitat; sed apud Claudianum, quum Jupiter constituisset Proserpinam Plutoni conjugem

poscenti jungere, jubetur illam dolis perducere, ut certo die in campis ludat, Venerique comites se dant Minerva et Diana. Secundum Apollod. res fit Διὸς συνεργούοντος. Cf. hymn. Hom. in Cer. 79. *Vagantem, euntem et redeuntem.* ii. 409.

365. *Arma, manusque meæ, etc.*] Non imperat filio, sed socium regni captat argumentis blandis et fortibus. Ante oculos poeta habuit Æn. i. 664. Ibi quoque Venus Amori: *Nate, meæ vires, mea magna potentia*, per quem ego valeo et potens sum. Noster *arma* et *manus* addidit, quibus milites imperium proferunt. *Superas, domas; confer* i. 463. *Molire, mitte. Triplex*, in tres partes divisum. *Fortuna novissima, sors ultima*; nam fortuna tribuit sortem. Jovis sors prima exierat, novissima Plutonis, qui hinc a Seneca, Hercul. Fur. 833. *tertiæ rex sortis* vocatur. Claudian. Rapt. i. 100: *Tertia supremæ patior dispendia sortis.*

Tartara quid cessant? cur non matrisque tuumque
 Imperium profers? agitur pars tertia mundi.
 Et tamen in cœlo, (quæ jam patientia nostra est!)
 Spernimur; ac mecum vires tenuantur Amoris.
 Pallada nonne vides, jaculatricemque Dianam 375
 Abscessisse mihi? Cereris quoque filia virgo,
 Si patiamur, erit; nam spes affectat easdem.
 At tu, pro socio si qua est mea gratia regno,
 Junge Deam patruo." Dixit Venus: ille pharetram
 Solvit; et, arbitrio matris, de mille sagittis 380
 Unam seposuit, sed qua nec acutior ulla,
 Nec minus incerta est, nec quæ magis audiat ar-
 Oppositoque genu curvavit flexile cornu; [cum;
 Inque cor hamata percussit arundine Ditem. 384

371. *Quid cessant?* cur non adduntur nostro imperio? Claudian. i. 222. Jupiter Veneri, cur ultima regna quiescunt? Imperium profers, extendis, amplias. Agitur bene explicat Regius, in periculo versatur, ne a nobis amittatur. Sæpe Cic. agi salutem, imperium, etc. dicit. Et bene tertia mundi pars; rege enim victo, totum regnum vincitur et servire cogitur. Claudian. Rapt. ii. 13: Venus jam Dite subacto Ingenti famulos Manes ductura triumpho.

373. Jam inservit indignationi, notante Burmanno. Patientia, animi lenitas, quum quis patitur et ea quæ fieri non debent, adeoque sæpe in vitio ponitur. Eleganter qui adhibetur in interjectionibus, aut pro quum tantus. Tenuantur, minuuntur.

375. *Pallada nonne vides.*] A quibus potissimum spernatur Venus exponit; Pallas enim ac Diana perpetuam voverant virginitatem. Abscedunt alteri, qui deserunt ejus partes. Sed nunc est, fugere alterius imperium. Affectat, concepit. Si qua est

gratia, solennis formula in precibus. iv. 535; infra, 515. si nulla est gratia matris.

380. Solvit, aperit, detracto operculo, quo tegi pharetra solebat. Seposuit exquisitius, quam, elegit. Vide ad Plinium, Pan. xxxvii. 4. Nec quæ magis, etc. Hæc verba capit, cum aliis, etiam Burmannus de certa sagitta. Male; hoc enim jam dixerat poeta; igitur alia virtus intelligi debet. Facile audit arcum sagitta ea, quæ habilis est, et facile regi, mitti potest. Virgil. Georg. i. 514. neque audit currus habenas, regi non potest. Sic cepit etiam Schirach. "Notata, inquit, sagitta subtilis. Præclara vero est descriptio Amoris sagittam mittentis; eligit de mille unam, et quidem acutissimam, certissimam, facile sequentem: atqui vero tanta cura opus erat; etenim agitur pars tertia mundi."

384. *Inque cor.*] Regius, corde. Burmannus, nec in cor, nec in corde percussit satis eleganter dictum putat: mallet inde cor.

Haud procul Hennæis lacus est a mœnibus altæ,
 Nomine Pergus, aquæ: non illo plura Caystros
 Carmina cynorum labentibus audit in undis.
 Silva coronat aquas, cingens latus omne; suisque
 Frondibus, ut velo, Phœbeos submovet ictus.
 Frigora dant rami, Tyrios humus humida flores,
 Perpetuum ver est: quo dum Proserpina luco 391
 Ludit, et aut violas, aut candida lilia carpit;

385. *Henna* aut *Enna*, urbs in media Sicilia sita, atque hinc umbilicus insulæ dicta. Ibi Ceres tanta religione colebatur, ut illa urbs non urbs, sed fanum Cereris, omnesque cives sacerdotes istius Deæ esse viderentur. Cic. Verr. iv. 49, 50; Livius, xxiv. 39. Ex ejus urbis nemore Proserpinam esse raptam, probatissimi auctores referunt. Alii tamen, ut Pindar. Nem. A. Hygin. fab. 146. Claudian. Ætnam nominant: vid. Brouckhus. ad Propert. I. iii. 1. Sunt rursus alii, qui id in Attica aut in Asiaticis terris accidisse malint. Campum Nysæum habet Homer. hymnus, occidentale Hispaniæ litus Orpheus. Vide Schol. Hesiodi, p. 303. et Spanhem. ad Callimach. h. in Cer. ver. 9. Cum Nostro placet verba Cic. Verr. iv. 48. conferre: *Raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore—Enna autem, ubi ea, quæ dico, gesta esse memorantur, est loco præcelso atque edito: quo in summo est æquata agri planities et aquæ perennes. Tota vero ab omni aditu circumcisa atque dirempta est. Quam circa lacus lucique sunt pluri, et lætissimi flores omni tempore anni: locus ut ipse raptum illum virginis, quem jam a pueris accepimus, declarare videatur. Etenim propter est spelunca quædam, conversa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru ex-*

titisse, abreptaque ex eo loco virginem secum asportasse, et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco repente extitisse: ubi usque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniversarios agunt. Pergus. Sic vocatur etiam a Claudiano, ii. 112. a quo inde a versu 100 forma loci describitur. Caystros. De Caystro ejusque cynis, vide ad ii. 252. Labentes undæ, ipse fluvius.

388. *Silva coronat aquas.*] Etiam Orpheus ibi memorat fuisse *εἶρὸ τε καὶ μέγα ἄλσος*. Velum intelligitur, quod in Amphitheatris expansum spectatores a solis verberibus defendebat. Juvenal. iv. 122. *Ictus Soli* frequenter tribuuntur; radii enim ejus sunt veluti tela, quæ percutiunt et verberant corpora. Horat. II. xv. 9. *ramis laurea fervidos Excludit ictus. Tyrios flores.* Eodem sensu dicitur *Tyrius crocus, Tyria chlamys, Tyrius torus, Tyrius fucus*; et in libro ix. *Tyrios imitata colores*, etc.; et libro x. *Tyrioque nitentior ostro flos oritur.* Arnobius dat *purpureos*; id est, omnino pulchros; etenim *Tot fuerant illic, quot habet natura, colores*, Fast. d. l. 429. ubi copia istorum florum recensetur.

392. *Ludit, et aut violas, etc.*] In eo consentiunt omnes, raptam Proserpinam, quum *flores legeret*, a quo non differt alterum *ludere*, quod de omni opera non seria ponitur. Jam Pam-

Dumque puellari studio calathosque sinumque
 Implet, et æquales certat superare legendo ;
 Pæne simul visa est, dilectaque, raptaque Diti : 395
 Usque adeo properatur amor ! Dea territa mæsto
 Et matrem, et comites, sed matrem sæpius, ore
 Clamat ; et, ut summa vestem laniârat ab ora,
 Collecti flores tunicis cecidere remissis :
 Tantaque simplicitas puerilibus adfuit annis ; 400
 Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem.
 Raptor agit currus, et nomine quemque vocatos
 Exhortatur equos ; quorum per colla jubasque
 Excutit obscura tinctas ferrugine habenas ;
 Perque lacus altos, et olentia sulfure fertur 405

phus scripserat, raptam eam esse *παίζουσαν καὶ ἄνθη συλλέγουσαν*, eamque deceptam esse, non *violis*, sed *narcissis*. Pausan. ix. p. 173. Similiter Hom. hymn. in Cer. 5. *παίζουσαν ἄνθεα τ' αἰνυμένην*. Tum *narcissus* eximiae pulchritudinis, quem decerpserit, commemoratur. Cf. Sch. Sophocl. ad Œd. Col. 647. In nummis ab Ennensibus in memoriam hujus raptus cuspis et *violæ* flos cernitur. Spanhem. ad Callim. 15. Schirachius monet, dulcedinem versui inesse, natam ex repetita litera *a*, idque factum esse ex imitatione Virgilii : *Mollia luteola pingit vaccinia caltha*.

393. De *calathis*, vide ad iv. 10. Inserviebant etiam floribus collectis. *Æqualium Nympharum* catalogum hymn. Hom. 418. habet. Ex iis infra *Sirenes* commemorantur. De *certamine* illo Claudian. ii. 137 : *Æstuat ante alias avido fervore legendi—Nunc calathos implet, nunc sese ignara coronat, Augurium fatale tori*. Celeritas raptus bene notatur verbis *Pæne simul*, etc. in quibus etiam numerum observa. Dictum hoc ad illud Cæsa-

ris, *Veni, vidi, vici*. *Properatur amor*, propere satisfit amori.

397. *Matrem*, quæ in hym. Hom. etiam audit ejus vocem. De illa *summa ora* vide ad iii. 480. *Simplicitas* nunc in eo cernitur, quod minutiarum quoque curam habebat puella. Sed fictum hoc contra naturam ; summus enim terror tali simplicitati adversatur.

402. *Nomine quemque*. ii. 192. *Exhortatur*. iii. 242. *Ferruginea* omnia inferna. Vide Heinsium ; *ferrugineus amictus* Plutonis apud Claudianum, ii. 275.

405. *Perque lacus altos*.] Diomedes, p. 304. legit *Perque locos sacros*. *Olentia sulfure* vituperat idem Diomedes, p. 304. quum *olere sulfur, unguentum* Latine dicatur. Sed bene Heinsius monet, et exemplis comprobatur, etiam ablativum subinde addi verbo *olere* ; et Ovidium, amphibologiæ vitandæ causa, maluisse *sulfure*, quam *sulfura*. Capoferreus autem contendit, eum scripsisse, *olenti a sulfure* ; essent enim *olentia* et *ferventia* duo epitheta ejusdem substantivi. At

Stagna Palicorum, rupta ferventia terra ;
 Et qua Bacchiadæ, bimari gens orta Corintho,
 Inter inæquales posuerunt mœnia portus.

Est medium Cyanes, et Pisææ Arethusæ,
 Quod coit angustis inclusum cornibus, æquor. 410
 Hic fuit, a cujus stagnum quoque nomine dictum est,
 Inter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas ;
 Gurgite quæ medio summa tenus extitit alvo,
 Agnovitque Deum : “ Nec longius ibitis,” inquit :
 “ Non potes invitæ Cereris gener esse ; roganda,
 Non rapienda fuit : quod si componere magnis
 Parva mihi fas est, et me dilexit Anapis : 417
 Exorata tamen, nec, ut hæc, exterrita nupsi.”

quis duo epitheta sic juncta vituperet? Stagna illa erant et ferventia et olentia. *Palici*, gemini fratres, Jovis et Thaleæ nymphæ filii, de quibus Diod. Sic. xi. 89 ; Macrob. v. 19. Ab his *Palica* urbs dicta, juxtaque eam *Palicorum lacus*, λίμνη Παλικῶν, Παλικῶν κρήνη, κρατῆρες Παλικῶν. Habebat aquas sulfureas, et emittebat gravem odorem, ut tradunt Stephanus Byz. Strabo, et alii.

407. *Bacchiadarum*, qui a Bacchia vel Bacchide genus ducebant, inclyta familia summam apud Corinthios potestatem obtinuit ; sed sive ob luxuriam, sive ob affectatam tyrannidem, a Cypselo expulsa est. Ælian. V. H. i. 19 ; Pausan. Corinth. p. 120 ; Schol. Apollon. Rh. ad iv. 1212. *Bimaris*, διθάλασσος, quæ a duobus maribus cingitur, Ionio et Ægæo. Facta hæc vox videtur ab Horat. L. Od. vii. 2. ubi vid. J. Douz. *Mœnia*, Syracusas intelligit, easque designat a duobus portibus, quorum alter amplior multo altero. Sic *inæquales*.

409. *Arethusa*, fons Syracusis maxime memorabilis, qui in modum justi

fluvii e terra prorumpit : vide Cic. Verr. iv. 53. Cur *Pisæa* dicatur, infra apparebit e vers. 487 et 494. *Medium Cyanes*, inter Cyanen et Arethusam, ut infra, 644. *medium cæli terræque*, et Horat. II. Od. xix. 28. *medius pacis et belli*. Lenzius vero ita jungit verba, *Est medium æquor, quod cornibus Cyanes et Arethusa inclusum coit*. Quæ includunt portus aut sinus, *brachia* alibi solent dici et *crura*, nunc a forma *cornua*. Iis, quoniam sunt *angusta*, mare *coit*, coercetur in angustum spatium. Vid. Cicer. Verr. iv. 52. *Arethusa* erat in insula urbis. Ea disjuncta mari angusto. *Cyane Nympha* fuit in comitibus Proserpinæ secundum Claud. ii. 61. *Extitit*, repente prodiit. *Summa tenus alvo*, ut solent numina aquarum natare.

417. *Anapis* seu *Anapus*, fluvius, qui, ubi Cyanen recepit, in portum majorem Syracusarum se exonerat. ii. ex P. 10. 26 : *Quaque suis Cyanen miscet Anapus aquis*. Sed ex illa aquarum conjunctione matrimonium fecerunt poetæ. *Exterrita*, vi coacta.

Q q

VOL. III.

Dixit; et, in partes diversas brachia tendens,
 Obstitit: haud ultra tenuit Saturnius iram; 420
 Terribilesque hortatus equos, in gurgitis ima
 Contortum valido sceptrum regale lacerto
 Condidit: icta viam tellus in Tartara fecit;
 Et pronos currus medio cratere recepit.
 At Cyane, raptamque Deam, contemptaque fontis
 Jura sui mœrens, inconsolabile vulnus 426
 Mente gerit tacita, lacrimisque absumitur omnis:
 Et, quarum fuerat magnum modo numen, in illas
 Extenuatur aquas: molliri membra videres,
 Ossa pati flexus, ungues posuisse rigorem; 430
 Primaque de tota tenuissima quæque liquescunt,
 Cærulei crines, digitique, et crura, pedesque;
 Nam brevis in gelidas membris exilibus undas
 Transitus est: post hæc tergumque, humerique,
 latusque,
 Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos: 435
 Denique pro vivo vitiatas sanguine venas [possis.
 Lympha subit; restatque nihil, quod prendere

420. *Tenuit*, retinuit, compressit. *Sceptrum trabale*, ei dat Claudianus, ii. 172. Id *contorquetur*, quum tanquam hasta emittenda, lacerto libratur. *Condere*, trudere quemadmodum ensis in corpus *condi* dicitur. Etiam de loco, quo Proserpina deducta in Tartarum, variæ erant sententiæ. Per Ætnæ hiatus quendam id factum plures tradebant, idemque etiam hodie spelunca Proserpinæ vocatur. Vid. Brydonii Itinerar. tom. i. p. 189. In h. Orph. in Plut. abducitur per antrum Atticæ. Claudian. ii. 307: Raptor *Tænara intrat*. Scilicet plures speluncæ reperiabantur, per quas descensus ad inferos patere credebatur.

426. *Vulnus*, dolorem, ut *æternum*

vulnus, Virgil. Æneid. i. 36. Similiter ἔλκος apud Græcos. Sed *vulnus* nec proprie, nec adeo tropice bene dicitur *inconsolabile*. *Tenuatur* melius, quam, mutatur, transit. Exquisitius etiam Virg. Georg. iv. 410. *in aquas tenues dilapsus abibit*, quod Noster mox, versu 435. expressit. *Molliri*, ut cera liquescens. *Pati flexus*, fieri flexibilia. Mox argutatur et ingenio abutitur in *tenuissimis* illis et *brevi earum transitu* in aquas; tum quod *vitiatus* prius memorat venas. Melius Claudian. iii. 245. *mœrens Cyane tacito læsa veneno Solvitur in laticem; subrepat crinibus humor, Liquitur, in roremque pedes et brachia manant.*

Interea pavidæ nequicquam filia matri
 Omnibus est terris, omni quæsita profundo.
 Illam non rutilis veniens Aurora capillis 440
 Cessantem vidit, non Hesperus; illa duabus
 Flammifera pinus manibus succendit ab Ætna;
 Perque pruinosas tulit irrequieta tenebras.
 Rursus, ut alma dies hebetârat sidera, natam
 Solis ad occasum, Solis quærebat ab ortu. 445
 Fessa labore sitim collegerat, oraque nulli
 Colluerant fontes; quum tectam stramine vidit
 Forte casam, parvasque fores pulsavit: at inde
 Prodit anus; Divamque videt, lymphamque ro-
 ganti

438—461. *Ceres, Proserpinam quærens, puerum quendam mutat in stellionem seu lacertam.* Hæc etiam Anton. xxiv. e Nicandro refert, quem eundem confer etiam in Theriac. 484 sqq. Paulo aliter et turpiuscule ex Orpheo, fragm. 16. rem narrant Clemens Alex. Paran. p. 13. et Arnob. adv. Gent. v. p. 174. *Pavor ille matris*, Fast. d. l. 455 sqq. describitur. Ut hic *terræ et profundum*, sic a Callimach. tota terra et omnes fluvii commemorantur. Secundum hymn. Hom. errat novem dies. *Pinus* possent esse faces, ut sæpe. Et Apollod. *μετὰ λαμπάδων*; Arnob. *faces geminas*. Sed Ceres integras arbores gestavit. Fast. 493. *accendit geminas pro lampade pinus*. Auctore Claud. iii. 376. duas cupressus eum in usum succidit, easque complectitur, sicut sunt. Cic. Verr. iv. 48. *tædas* vocat. Sed *tæda* etiam hodie Siculis vocatur genus arborum, quæ non nisi in Ætna nascuntur, et quarum lignum resinosum egregias præbet faces: vid. Brydon. d. l. p. 189. Ipsa Dea inde *tædifera*. Ab Ætna, Ætnæ ignibus. Petron. 89. *ab aris accendit faces*. Quomodo ab Ætna accenderit, ex suo

commento narrat Claudian. iii. inde a versu 392.

443. *Perque pruinosas, etc.*] Noctu et interdium quæsivit filiam. *Dies*, s. sol clariore sua luce *hebetat*, obscurat sidera, ut non appareant. Similiter fere, II. Amor. vi. 20. *psittacus virides pennis hebetat smaragdus*. Sed Schirach. alius generis veneres in h. v. deprehendit. "*Hebetare sidera*, inquit, dicitur *dies*, ubi tepidum est vesperæ tempus, vacans æstu calentis solis. Valde poetice!"

446. *Colligere sitim*, contrahere, etiam reperitur apud Virgilium, in Georg. iii. 327; Horatius, IV. Od. xii. 13: *adduere sitim tempora*. De siti Cereris multa apud Veteres; confer Callim. VII. xii. 17. In h. Homer. a Metanira, Celei Eleusini conjuge primum recreatur potu, postquam ab Iamba, Metaniræ famula, exhilarata erat.

447. *Colluere* raro ita occurrit de bibente; durius multo apud Lactantium, in argumento, *Aquam, ad colluendum jejunium, porrigere*. *Prodit anus*. Hæc anus a Nicandro Misna, ab aliis Baubo vocatur.

Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta. 450
 Dum bibit illa datum, duri puer oris et audax
 Constitit ante Deam ; risitque, avidamque vocavit.
 Offensa est ; neque adhuc epota parte, loquentem
 Cum liquido mixta perfudit Diva polenta. 454
 Combibit os maculas ; et, qua modo brachia gessit,
 Crura gerit : cauda est mutatis addita membris ;
 Inque brevem formam, ne sit vis magna nocendi,
 Contrahitur ; parvaque minor mensura lacerta est.
 Mirantem, flentemque, et tangere monstra pa-
 rantem

Fugit anum, latebramque petit ; aptumque colori
 Nomen habet, variis stellatus corpora guttis. 461

Quas Dea per terras, et quas erraverit undas,
 Dicere longa mora est : quærenti defuit orbis.

450. *Dulce* absolute positum, ut τὸ γλυκὺ Græcis. *Tosta*, pro *testa*, correxit Barthius. *Polenta* ; ab Orpheo, in fragment. vocatur κυκείων, cinnus, potio confecta e tosta polenta, melle, vino, floribus, herbisque variis. Vide Munker. ad Lactant. argument. Fischeri Indicem ; Theophrastem, in κυκείων. Arnob. d. l. oggerit *potionem*, *Cinnum*, *cyceonem* quam nuncupat *Græcia* ; idemque e Clemente addit, in *Mystarum* symbolis fuisse : *jejunavi*, atque *ebibi cyceonem*. *Cyceonem* Ceres juxta Antonin. d. l. ebibit ἀθρώως, id est, ἀμυστι, uno spiritu, adeoque *avide*. *Puer*, filius Mismes secundum Nicandrum. *Durum os*, signum impudentiæ.

455. *Combibit os maculas*, exquisitius, quam, attraxit, accepit. Anton. ἐγένετο ποικίλος. *Nocendi*. Codex Regius B, *loquendi*, quod forte non rejiciendum, quia, ut ex loquacitate malum venit, si minuitur loquendi potestas, minuitur quoque facultas nocendi.

459. *Monstra* mirabiliter exprimit mutatam formam. *Aptum colori* ; *stellio* enim genus lacertæ. *Maculæ* passim vocantur *guttæ*. Quum stellio Græcis ἀσκάλαβος diceretur, (vide Schol. Nicandri ad Alex. 128.) Mellmannus putat, hanc metamorphosin ortam esse ex confusione cum transformatione sequente, ver. 539. aut ad exemplum ejus fictam.

462—550. *Quas Dea per terras*, etc.] Ceres quum ex Arethusa cognovisset raptum Proserpinæ, Jovem supplex addit, qui ea lege filiam repeti posse pronunciat, si nullos gustaverit cibos. *Ascalaphus* autem, qui eam comedentem viderat, remque indicaverat, mutatur in bubonem. *Erraverit*. Errores illos describunt hymn. Hom. 43 sqq. ; Callim. viii ; Apollod. I. v. 1 ; Noster ipse, Fast. 455 sqq. *Defuit orbis*, nulla superfuit pars orbis terrarum, ubi quæreret. *Sicania*, a Sicanis, qui ex Iberia immigraverant. Thucyd. vi. 2. *Omnia narrasset*, nempe mutatis manet sensus pristinus.

Sicaniam repetit; dumque omnia lustrat eundo,
 Venit et ad Cyanen: ea, ni mutata fuisset 465
 Omnia narrâsset; sed et os, et lingua volenti
 Dicere non aderant, nec, quo loqueretur, habebat.
 Signa tamen manifesta dedit; notamque parenti,
 Illo forte loco delapsam gurgite sacro,
 Persephones zonam summis ostendit in undis. 470
 Quam simul agnovit, tanquam tum denique raptam
 Scîsset, inornatos laniavit Diva capillos;
 Et repetita suis percussit pectora palmis. [omnes;
 Nec scit adhuc, ubi sit; terras tamen increpat
 Ingratasque vocat, nec frugum munere dignas,
 Trinacriam ante alias, in qua vestigia damni 476
 Repperit: ergo illic sæva vertentia glebas
 Fregit aratra manu; parilique irata colonos
 Ruricolosque boves leto dedit; arvaque jussit
 Fallere depositum, vitiataque semina fecit. 480

467. *Dicere non aderant.*] Ne ineptæ tautologiæ reus sit Ovidius, Schi-rachius *adsunt* interpretatur, adjuvant, ut verbum translatum h. l. sit a patronis causarum, qui verba faciunt pro reis. Non tamen opus est illa interpretatione. Sensus: Nec aliud instrumentum habebat, quo vocem emitteret.

470. *Persephones zonam;* e zona reperta Ceres didicit, ibi evanuisse filiam. Itaque fonti per signa loquenti hoc indicium tribuitur. Aliter de Cyane Claudian. iii. 255. *Zona* soluta et amissa, proprium indicium virginis raptæ et delibatæ. Hic legatur quod habet Firmicus de rustico quodam, cui propter divitias Pluton fuit nomen, raptore Proserpinæ; qui, ne prehenderetur a Cereris manu armata ipsum insequente, vehiculum egit per medium lacum Pergum, inibique periiit, cum virgine submersus.

473. *Repetit.*] Vide, iv. 733: *Terquater exegit repetita per ilia ferum.*

476. *Vestigia,* zonam ut modo, versu 468. *Signa tamen manifesta dedit,* etc. *Damni,* filiæ amissæ; xii. 16. *matrem circum sua damna volantem.* Jam sævit in terram, ut, ii. Phœbus in equos solares, et ut ille recusat solem diutius vehere, sic nunc et Ceres muneri suo deest. Etiam in hymno Hom. 305 seqq. ejus et mœrentis filiam et irascentis Jovi culpa, terra nullas fert fruges, agricolarum labor irritus est, parumque abest, quin genus humanum fame pereat. Cf. Diodor. Sic. v. 5.

478. *Parilique irata.*] Ut fregerat aratra, sic pariter interfecit agricolas et tauros laborum socios: in omnia sæviebat gravi furore percita.

480. *Fallere depositum.*] Depositum

Fertilitas terræ, latum vulgata per orbem,
 Cassa jacet: primis segetes moriuntur in herbis:
 Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber:
 Sideraque, ventique nocent; avidæque volucres
 Semina jacta legunt: lolium, tribulique fatigant
 Triticeas messes, et inexpugnabile gramen. 486

Tum caput Eleis Alpheias extulit undis;
 Rorantesque comas a fronte removit ad aures;
 Atque ait: "O toto quæsitæ virginis orbe,
 Et frugum genetrix, immensos siste labores; 490

dicitur quidquid apud aliquem custodia gratia collocatur. Est vero figurata et poetica locutio, eo quod ager *fallit*, non reddendo *semina* credita atque in sinu ejus *deposita*; Horatius, III. Od. i. 30. *fundusque mendax*.

481. *Fertilitas terræ* Siculæ, Leoninorum imprimis camporum, a Diodoro, Plinio aliisque tantopere celebrata, *vulgata* sane est. Atque nostris etiam temporibus terra illa multis eximie fertilitatis suæ speciminibus accusat inertiam incolarum, ut passim queritur Brydon. Itaque et hodie dicere licet, fertilitas illa *cassa jacet*, id est, vacat. *Cassa*. De vocabulo *cassus* vide Heinsium, ad Fastor. vi. 406. *Primis in herbis*, quum teneræ adhuc herbæ sunt. *Tenera in herba* dixit Virg.; conf. infra x. 209.

484. *Sideraque, ventique*.] Codex Regius A, *sidera cui*, etc. Vide quæ diximus ad iii. 530. et iv. 10. Hic locus confirmat τὸ *que* produci cæsura. *Avidæ volucres*, improbus anser, Strymonicæque grues, Virgil. Georg. i. 119. *Semina legere*, σπέρματα συλλέγειν, proprie de his avibus, quæ inde σπέρματος dictæ. Foesii Econ. Hipp. p. 348. *Lolium*, Germanice *Trespe*. *Tribulus*, Germanice *Burzeldorn*, in Italia frequens. *Fatigant* exquisite, impediunt segetem surgere conantem,

eam coercent. Plin. iii. Ep. xix. 6: *felicitas terræ fatigatur imbecillis cultoribus*. Virgil. Georg. i. 153: *interque nitentia culta, Infelix lolium et steriles dominantur avenæ*.

487. *Alpheus*, hodie *Carbon*, ubi *Elidem* irrigavit, mari Peloponnesiaco infunditur, sed sub mari procurrere, atque in Sicilia, prope Syracusas, in Ortygia insula, cum *Arethusa* (quæ inde *Alpheias*) aquas suas confundere credebatur. Senec. Nat. Quest. iii. 26; Strabo, v. p. 270; Pausan. Eliac. p. 390. qui rem comprobatur auctoritate Delphici oraculi. Idemque error etiam nunc tenet multorum Siculorum mentes. *Arethusæ* autem *Noster* ipse et oratoris deprecatorisque, ut *Telluri* ii. 272 sqq. et indicis partes dedit. Optime autem, ut e ver. 504 sqq. apparet, ei indicium tribuitur. In h. *Hommer*. 74. quem *Noster*, *Fast.* iv. 583. sequitur, rem *Sol* prodit; apud *Apolodorum*, *Hermionenses*, quia ad *Hermionem* Argolidis descensum ad inferos esse putabant. *Comas a fronte removit*, etc. Eorum qui ad dicendum prodeunt, gestus aliquis notari solet; ii. 272: et supra, versu 338. *Hæc removet comas*, ut iv. 474. *Tisiphone* colubras. *Rorantes*. i. 339.

490. *Genetrix*, *Dea*. *Dii* earum rerum *genitores*, quarum curam ge-

Neve tibi fidæ violenta irascere terræ.

Terra nihil meruit; patuitque invita rapinæ.

Nec sum pro patria supplex: huc hospita veni.

Pisa mihi patria est; et ab Elide ducimus ortum.

Sicaniam peregrina colo; sed gratior omni 495

Hæc mihi terra solo est: hos nunc Arethusa pe-
nates,

Hanc habeo sedem; quam tu, mitissima, serva.

Mota loco cur sim, tantique per æquoris undas

Advehar Ortygiam, veniet narratibus hora

Tempestitiva meis; quum tu curisque levata, 500

Et vultus melioris eris: mihi pervia tellus

Præbet iter; subterque imas ablata cavernas

Hic caput attollo; desuetaque sidera cerno.

Ergo, dum Stygio sub terris gurgite labor,

Visa tua est oculis illic Proserpina nostris. 505

Illa quidem tristis, nec adhuc interrita vultu;

Sed regina tamen, sed opaci maxima mundi;

runt. *Meruit*, malo sensu, ut ii. 279. *Nec sum pro patria*, etc. Ita sibi viam pandit ad Arethusæ fata in sqq. naranda. Sed loquacior paulo est in verbis. *Huc hospita veni*—*Sicaniam peregrina colo*—*hos nunc*, etc. Similiter, i. 574. peccatum.

494. *Pisa mihi patria.*] Pisa Arcadiæ oppidum, juxta quod Alpheus fluvius labitur.

499. *Ortygiam.*] Syracusæ quum quatuor haberent partes, earum una, in insula sita, *Ortygia* dicta est, eaque pars hodie etiam restat: vid. Brydon. p. 221. In ea fons Arethusa. Cic. Verr. iv. 52; Virg. Æneid. iii. 692: *Sicanio prætenta sinu jacet insula contra Plemmyrium undosum: nomen dixere priores Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem Occultas egisse vius subter mare, qui nunc Ore, Arethusa,*

tuo Siculis confunditur undis. Narratus nove dictum, ut supra erratus. Hora tempestitiva mox veniet versu 573. *Melioris, lætioris.* Sic et viii. 677. *vultus boni. Pervia tellus*, canales subterranei. *Imas.* In *imas* causa est, cur Arethusa Proserpinam cernere potuerat. *Desueta*; quæ cernere desuevi, diu non vidi, dum sub terra labor *Stygio gurgite*, ibi, ubi Styx.

507. *Sed regina—sed—sed.*] De hac repetitione vide ad versum 17. *Maxima* substantive, domina. Matrem consolatura amplificat dignitatem filiæ. Etiam in *matrona*, conjux, aliquid dignitatis est. *Pollentiam* ejus Pluto ipse in h. Homer. 365 sqq. describit. Claudiano, i. 3. *profunda Juno dicitur*; Virg. Æneid. vi. 138. *Juno inferna*, et a Nostro xiv. 115. *Averna Juno.*

Sed tamen inferni pollens matrona tyranni."

Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces,
Attonitæque diu similis fuit; utque dolore 510

Pulsa gravi gravis est amentia, curribus auras

Exit in ætherias: ibi toto nubila vultu

Ante Jovem passis stetit invidiosa capillis:

"Proque meo supplex venio tibi, Jupiter," inquit,

"Sanguine, proque tuo: si nulla est gratia matris,

Nata patrem moveat: neu sit tibi cura, precamur,

Vilior illius, quod nostro est edita partu.

En, quæsita diu tandem mihi nata reperta est:

Si reperire vocas, amittere certius; aut si,

Scire ubi sit, reperire vocas: quod rapta, feremus:

Dummodo reddat eam; neque enim prædone

marito

521

Filia digna tua est; si jam mea filia digna est."

Jupiter exceptit: "Commune est pignus onusque,

Nata, mihi tecum: sed, si modo nomina rebus

Addere vera placet, non hoc injuria factum, 525

Verum amor est; neque erit nobis gener ille pu-

dori;

511. *Amentia.*] Eo habitu expressa est in monumento antiquo, quod exhibet Spanhem. ad Callim. d. l. Amentiam remissam sequutus est *dolor*. *Nubila vultu*, mœsta, dixit etiam Statius Sylv. III. v. 11. Noster, V. Trist. iii. 14. *nubila Parca nascenti fuit*. Græci poetæ mœstis tribuunt ὀφρύων νεφέλην aut νεφος: vide Sophoclem, Antig. 532; Euripidem, Hipp. 173. Confer mox similitudinem ver. 570. In h. Homeri, Jupiter ipse, sterilitate terræ commotus, primum Irin, mox omnes deinceps Deos demittit cælo, qui Cererem ad concilium Deorum revocent. Illa vero negat se redituram aut fruges

terris reddituram, ante quam filiam vidisset. Ea igitur ex Orco dimittitur. *Invidiosa*, odio Plutonis plena.

518. *En, quæsita, etc.*] Confer i. 653—655. *Reperta est*, scio, ubi sit. *Certius*, quia jam nullus inde reditus.

523. *Pignora* parentum dicuntur liberi ob amorem; *onera*, propter curæ molestias. Sensus: Ego, æque ac tu, tam amare filiam, quam saluti ejus prospicere, debeo. *Neque erit, etc.* In h. Homer. 83. sqq. Sol Cererem sic solatur laudibus honorificæ affinitatis, οὐ τοι ἀεικῆς γαμβρὸς ἐν ἀθανάτοις πολυσημάντωρ Αἰδωνεύς.

Tu modo, Diva, velis. Ut desint cetera, quantum est

527

Esse Jovis fratrem! quid, quod nec cetera desunt,
Nec cedit nisi sorte mihi? sed, tanta cupido
Si tibi discidii est, repetet Proserpina cœlum;
Lege tamen certa, si nullos contigit illic 531
Ore cibos; nam sic Parcarum fœdere cautum est."

Dixerat: at Cereri certum est educere natam.
Non ita fata sinunt; quoniam jejunia virgo
Solverat; et cultis dum simplex errat in hortis,
Pæniceum curva decerpserat arbore pomum, 536
Sumptaque pallenti septem de cortice grana
Presserat ore suo; solusque ex omnibus illud
Viderat Ascalaphus, quem quondam dicitur Orphne
Inter Avernales haud ignotissima Nymphas, 540
Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris:
Vidit, et indicio reditum crudelis ademit.

527. *Ut desint*, ponamus deesse, *cetera*, quæ generum commendant, regnum scilicet. *Sorte*. Vide ad versum 368. *Discidii*, divortii. *Si nullos*, etc. *Lex fatorum* erat, ut nemini ex inferis redire liceret, qui ibi aliquid gustasset. *Fœdus*, ordo et cursus rerum constans, h. l. quem Parcæ, tanquam ex composito, constituerant. *Claud. iii. 4. fœdera mundi*, constans ordo, quo mundus regitur.

535. *Solverat; et cultis.*] Tres, *solverat irriguis*; Heinsius conjecturat *et riguis*, id est, quos rivus intersecabat. Heinsii emendatio non aspernanda. *Cultos illos hortos inferorum* describit Homerus, *Od. A. 589*. Ibi arbores frugiferæ, piri, mali, ficus, olæ, etiam *ῥοιαι*, mali punicæ. *Simplex*, nihil mali suspicans. *Errat*, ambulat. *Pæniceum pomum*, malum punicum sive granatum. Hinc Thesmo-

phoriazusæ, quæ sacra faciebant Cereri legiferæ, abstinebant a malis punicis. *Cortex pallens* recte dicitur; nam *pallere* de auri etiam colore usurpatur. Hoc loco *septem grana*, sed *Fast. iv. 607. non nisi tria*. De *cortice illo* confer *x. 736*. In *h. Homeri, 372*. Pluto ipse, dimittere Proserpinam jussus, tale *granum* ei edendum dat, cujus vis erat, ut puella ne apud Superos maneret, sed ad conjugem rediret. Sic et Apollodorus.

539. *Viderat Ascalaphus*, etc.] Apud Apollod. lib. i. d. 1. Ceres Ascalapho, Acherontis et Gorgyræ filio, quod gustationem illam testatus erat, superimponit saxum; sed liberatum eum inde ab Hercule mutat in *ὄρνιν*, seu parvam noctuam. *Orphne*, ὄρφνη, tenebræ. *Furvis sub antris*. *Furva*, opaca. *Furvis sub antris*, quemadmodum Nymphæ marinæ *vitreis sub antris* pariunt. Vide ad versum 48.

R r

Ingemuit regina Erebi; testemque profanam
Fecit avem; sparsumque caput Phlegethontide
lympha

In rostrum, et plumas, et grandia lumina vertit.
Ille sibi ablatas fulvis amicitur ab alis; 546
Inque caput crescit, longosque reflectitur ungues,
Vixque movet natas per inertia brachia pennas;
Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctus,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen. 550

Hic tamen indicio pœnam, linguaque videri
Commeruisse potest: vobis, Acheloïdes, unde
Pluma pedesque avium, quum virginis ora geratis?
An quia, quum legeret vernos Proserpina flores,
In comitum numero mixtæ, Sirenes, eratis? 555

543. *Testemque profanam*; etiam vi. 431. *profanus bubo*. Plin. Hist. Nat. x. 12: *Bubo funebris et maxime abominatus, publicis præcipue auspiciis, deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam inaccessa, noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Itaque in urbibus, aut omnino in luce visus, dirum ostentum est. Volat nunquam, quo libuit, sed transversus aufertur.*

544. *Sparsio talis, a Diis facta, vim mutandi habebat. Vide ad 454; iii. 194. Aufertur sibi, cujus forma mutatur in aliam. Amicitur ab alis. Codices nostri, amicitur in alis: utraque lectio sine significatione; namque hoc verbum amici sine ulla præpositione apud Latinos ponitur. In caput crescere, ut apud Virgilium, in ventrem. Cæterum, quoniam ἀσκάλαφος genus noctuæ Græcis significabat, Aristot. H. A. ii. 17. facile apparet, quæ origo sit hujus metamorphoseos.*

551—563. *Sirenes.*] Nota sunt, quæ Homerus, Od. M. 39 sqq. de Sirenibus finxit. Confer Orph. Arg. 1268 sqq. et Apollon. Rh. iv. 892 sqq. Erant monstra marina, quæ inter Ita-

liam et Siciliam, insulam quandam incolebant, navesque appulsas voce canora detinebant. Pater earum traditur Achelous; matrem faciunt alii Steropen, alii Terpsichoren, alii Melpomenen aut Ca'liopen. Etiam nomina earum varie exhibentur. A Lycophr. vocantur Parthenope, Leucosia, Ligia. Extat Claudiani epigramma 24. in eas, ubi Barth. collegit, quantum satis. Adde Brouckh. ad Tibul. IV. i. 69. Creditur autem Homerum hac fabula descripsisse voluptatem mortiferam, ut pluribus docet Bocat. Geneal. Deor. vii. 20. In Proserpinæ comitatu fuerunt etiam secundum Apollon. Hygin. fab. 141; Claudian. iii. 254: postremo loco, *rapidis Acheloides alis Sublata Siculi latus obsedere Pelori*, etc.

552. *Unde.*] Apud Hyginum, Sirenes Ceresis voluntate mutantur, quod Proserpinæ auxilium non tulerant. *Virginis ora geratis.* Superiorem partem habebant virgineam, inferiorem gallinaceam. Fulgent. Myth. ii. 11.

555. *In numero mixtæ, immixtæ numero*; vid. Burmannus. *Ut sentirent curam, ut Proserpinam etiam per maria*

Quam postquam toto frustra quæstistis in orbe,
 Protinus ut vestram sentirent æquora curam,
 Posse super fluctus alarum insistere remis
 Optâstis; facilesque Deos habuistis, et artus
 Vidistis vestros subitis flavescere pennis. 560
 Ne tamen ille canor, mulcendas natus ad aures,
 Tantaque dos oris linguæ deperderet usum,
 Virginei vultus, et vox humana remansit.

At medius fratrisque sui mœstæque sororis,
 Jupiter ex æquo volventem dividit annum. 565
 Nunc Dea, regnorum numen commune duorum,
 Cum matre est totidem, totidem cum conjuge men-
 Vertitur extemplo facies, et mentis, et oris; [ses.
 Nam, modo quæ poterat Diti quoque mœsta videri,
 Læta Deæ frons est; ut Sol, qui tectus aquosis
 Nubibus ante fuit, victis ubi nubibus exit. 571

Exigit alma Ceres, nata secura recepta,

quærere possetis. *Alæ* frequenter cum navium *remis* comparantur. *Remigium alarum* est apud Lucretium, vi. 743; et apud Virgil. aliquoties. Eurip. Iphig. Taur. 289. *πτεροῖς ἐρέσσει*. Reciproca est, observante Servio, ad *Æn.* i. 224. navium et avium metaphora. Itaque remi vicissim *Ἴηον*. *Od. A.* 124. vocantur *πτερά*. *Facilis Deus*, qui facile et benigne obtemperat precibus.

561. *Natus ad.*] Vide ad ii. 223. *natus ad sacra Cithæron*; et infra 591.

564. *Medius fratris et sororis*; medius inter fratrem et sororem, hoc est, utrique æque favens. Horat. ii. *Od.* xix. 28. *Pacis medius et belli*, id est, utrique æque idoneus. *Volventem*, scilicet, se, verbum aptum de decursu anni, qui semper in orbem redit. Homer. *ἔτος περιπλόμενον*. *Ex æquo*, in æquas partes. *Cum matre*; ut per sex menses, quibus Sol in signis est

Australibus, apud maritum sit, infra terram; sex alios, quibus visit Borealia regna, emergant, maturescant, in horrea deportentur fruges. Vel etiam quod Luna, quæ eadem est quæ Proserpina et Diana, ex æquo utrumque hemisphærium, superius atque inferius illustret.

568. *Facies mentis*, affectio animi. *Diti quoque*. Ejus enim *caput mæstissima nubes Asperat et diræ riget inclementia formæ*, Claudian. i. 81. In h. Homer. 445. Jupiter per Rheam Cereris offert conditionem hanc, ut filia tertiam cujusque anni partem cum Plutone sit, duas reliquas cum ipsa in cælo. Conditione ea accepta, agris ubertatem reddit. Sic et Apollod. Fab. inde ortam putat Schol. Hesiod. ad Th. 914. quia frugum semina aliquot menses sub terra lateant, reliquum tempus supra terram cernantur.

572—641. *Alpheus*, dum *Arethusa*

Quæ tibi causa viæ? cur sis, Arethusa, sacer fons?
 Conticuere undæ; quarum Dea sustulit alto
 Fonte caput, viridesque manu siccata capillos 575
 Fluminis Elei veteres narravit amores:
 “ Pars ego Nympharum, quæ sunt in Achaïde,”
 “ Una fui; nec me studiosius altera saltus [dixit,
 Legit, nec posuit studiosius altera casses. 579
 Sed, quamvis formæ nunquam mihi fama petita est,
 Quamvis fortis eram, formosæ nomen habebam.

Nympha in ejus flumine lavatur, amore ejus ardescit fugientemque persequitur; et ubi illa in fontem mutatur, et ipse in proprias undas vertitur, ut se ei misceat. Confer Pausan. v. p. 389 sqq. qui et addit, fabulæ inde locum datum, quia in Arethusam fontem illabatur Alpheus; de quo errore dictum ad versum 487. Varietatis causa, poeta ipsam Arethusam fata sua narrantem induxit. *Exigit alma Ceres.* Saltu facto transit ad seqq. Cogitandum igitur, Cererem, impetratis precibus, in Siciliam rediisse. *Nata securâ recepta.* Gronovius malebat *nata securâ recepta*, quod valde placebat Heinsio; quia ea vox cum genitivo plerumque reperitur, sed Burmannus tuetur ablativum. Regii nostri habent *nata—recepta*. *Quæ causa viæ*, cur, loco mutato, extra patriam cernaris, non ut fluvius, sed ut *fons*. Fontem hunc describit Cic. Verr. iv. 53: *In insula (parte Syracusarum) extrema est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium: qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum a mari disjunctus esset. Eundem nitidissimum, ad ima perlucidum carminibusque celebratissimum* vocat Seneca, Consolat. ad Marc. 17: et fuit adeo memorabilis, ut Plin. Hist. Nat. iii. 8 s. 14. Syracusas ita notaret, *Colonia Syracusæ cum fonte Arethusa*. E recentioribus

eum Guarinus Italus celebravit. *Sacer*, commune epitheton fontium.

574. *Conticuere*, strepere desierunt, in honorem Nymphæ jam verba facturæ. *Virides siccata capillos*, ut libro ii. 12. *videntur, Pars in mole sedens virides siccare capillos*. De hoc gestu dicturæ, vide supra ad 487. *Elei*, quia Eleorum fines irrigat et supra Cyllenen, Eleorum navale, in mare infunditur, honoribus adeo divinis ab Eleis colitur, quanquam fontes ejus in Arcadia reperiuntur. Pausan. v. p. 389. s. 399; viii. p. 709. Celebratus et ille poetis. Senec. N. Q. vi. 8. *Veteres*, pristinos.

577. *Pars ego Nympharum*, etc.] Hic est exemplum et simplicis illius venustatis, quæ sermonibus addit gratiam, et exactæ narrationis. *Pars una*, una. E traditione antiqua et Alpheus fuit venator, *ἀνήρ θηρευτής*, et Arethusa venationi devota. Hæc illum, connubia ejus respuens, fugit in insulam Ortygiam, ubi *ἡ ἀνθρώπου ἐγένετο πηγὴ* quo facto etiam Alpheus præ amore extenuatus est in fluvium. Pausanias, p. 390. *Legit*, elegit saltus aptos ad venandum. Sic supra ii. 448. *saltus eligit aptos*.

580. *Quamvis formæ*, etc.] Venatrices Nymphæ nec amorem curant, nec adeo formam, sed fortitudinem seu robur membrorum.

Nec mea me facies nimium laudata juvabat ;
 Quaque aliæ gaudere solent, ego rustica dote
 Corporis erubui, crimenque placere putavi.
 Lassa revertebar, memini, Stymphalide silva : 585
 Æstus erat, magnumque labor geminaverat æstum ;
 Invenio sine vortice aquas, sine murmure euntes,
 Perspicuas imo, per quas numerabilis alte
 Calculus omnis erat ; quas tu vix ire putares.
 Cana salicta dabant, nutritaque populus unda, 590
 Spontē sua natas ripis declivibus umbras.
 Accessi, primumque pedis vestigia tinxī ;
 Poplite deinde tenuis : neque eo contenta, recingor ;
 Molliaque inpono salici velamina curvæ ; [que
 Nudaque mergor aquis : quas dum ferioque traho-
 Mille modis labens, excussaque brachia jacto, 596

582. *Juvabat*, lætabar et superbiebam facie. *Rustica*, scilicet venatrix. Simplex, neglecto formæ cultu, quod aliæ sibi honori, hoc mihi crimini duxi, ut formam, qua placerem, astruerem.

585. *Stymphalide silva.*] Stymphalus, Arcadiæ in Peloponneso, mons est et urbs.

587. *Aquas, sine murmure* ; etiam Pausanias, p. 390. de Alpei aqua, ἰδόντι ἠδίστορον. Talis igitur erat, ut ad lavandum invitaret. Conf. ii. 455 ; iii. 161 ; iv. 297. *Murmur* in rivo quidem suavis, non item in fluvio lavantibus. *Ire*, fluere, labi. *Perspicuas imo.* Confer Claudian. Rapt. ii. 114 sqq. ; Plin. VIII. Ep. viii. 2. de Clitumni fonte, *purus et vitreus, ut numerare jactas stipes et relucentes calculos possis.*

590. *Cana.*] Plenius Virg. Georg. ii. 13. *glauca canentia fronde salicta.* *Populus* juxta fluvios pulcherrima. Idem, Ecl. vii. 66. Si *ripis* cum da-

bant conjungis, dicendum est, poetam *rō natas* retulisse ad umbras, quod pr. ad arbores referendum erat. Sic *Gla-rean.* Possis tamen *natas ripis* conjungere, atque interpretari, inservientes ripis. Supra versu 561. *canor mulcendus natus ad aures*, inserviens mulcendis auribus, ii. 223. *natus ad sacra Citharon* eodem sensu, quo etiam dativum additur, a Livio in primis. Vide Gronovii Obs. iv. 17. *Primumque*, etc. Sic et *Diana*, ii. 457. et *Narcissus*, iv. 343. *Vestigia*, plantas. *Mollia*, nempe lanæ. xv. 118. de ovibus, *Mollia, quæ nobis vestras velamina lanas Præbetis.* Melius tamen nunc abesset hoc epith. quoniam de dura venatrice sermo.

595. *Quas dum ferioque*, etc.] Motus describuntur natantis, quæ brachiis *ferit*, verberat, aquas, easque *trahit*, dum brachia versus corpus retrahit. *Labens*, ludens natando. *Excussa jacto*, e copia poetica ; nam et *excutere* est jactare, ut *concutere*, xi. 465.

Nescio quod medio sensi sub gurgite murmur ;
 Territaque insisto propioris margine ripæ.
 Quo properas, Arethusa ? suis Alpheus ab undis,
 Quo properas ? iterum rauco mihi dixerat ore : 600
 Sicut eram, fugio sine vestibus ; altera vestes
 Ripa meas habuit : tanto magis instat, et ardet ;
 Et quia nuda fui, sum visa paratior illi.
 Sic ego currebam, sic me ferus ille premebat ; 604
 Ut fugere accipitrem penna trepidante columbæ,
 Ut solet accipiter trepidas agitare columbas. [que,
 Usque sub Orchomenon, Psophidaque, Cyllenen-
 Mænaliisque sinus, gelidumque Erimanthon, et
 Currere sustinui ; nec me velocior ille : [Elin
 Sed tolerare diu cursus ego, viribus impar, 610
 Non poteram ; longi patiens erat ille laboris.
 Per tamen et campos, per opertos arbore montes,
 Saxa quoque et rupes, et qua via nulla, cucurri.
 Sol erat a tergo : vidi præcedere longam 614
 Ante pedes umbram, nisi si timor illa videbat ;
 Sed certe sonituque pedum terrebar ; et ingens

602. *Ardet* ; arsit *Alpheus* et *Dianæ* amore, eique vim inferre voluit, sed male est habitus. Pausan. vi. p. 510. *Parata* mulier, quæ copiam sui facile præbet. Sic *Burm.* et h. l. At talis mulier non fugit. Potius nunc est apta ad concubitum. *Premebat*, insequebatur usque. Similitudo, quæ sequitur, ducta ex Hom. II. Φ. 493. ὥστε πέλεια, "Ἡ ῥά θ' ὄπι' ἱρηκος κοίλην εἰσέπτato πέτρην. *Accipiter* maxime infestus columbis. Confer i. 506. ubi vid. de v. *Trepidare*. Lucret. v. 1035. de avibus, a *pennis tremulum petere auxilium*. *Agitare columbas*. *Agitare*, verbum proprium de venatoribus et avibus rapacibus :

vide *Burmannum*. Quoniam et de suo cursu *Nympha* et de *Alpei* persecutione dixerat, propterea utrique accommodare similitudinem voluit ; hinc illa repetitio, in qua *lusus* quidam. *Usque sub*, etc. His non certus aliquis cursus indicatur, sed tantum oppida quædam et montes *Arcadiæ* nominantur. *Sinus*, flexus, quos faciunt montes. *Plin. Hist. Nat. v. 31. sinuosus flexibus Mæander*.

611. *Patiens*, qui ferre poterat longum laborem, quippe fluvius per longos terrarum tractus aquas suas devehens.

615. *Umbram* nempe viri. *Nisi si*, ut versu 20.

Crinales vittas afflabat anhelitus oris. [quam,
 Fessa labore fugæ, 'Fer opem, deprendimur,' in-
 'Armigeræ, Dictynna, tuæ; cui sæpe dedisti
 Ferre tuos arcus, inclusaque tela pharetra.'
 Mota Dea est, spissisque ferens e nubibus unam
 Me super iniecit. Lustrat caligine tectam 622
 Annis; et ignarus circum cava nubila quærit,
 Bisque locum, quo me Dea texerat, inscius ambit;
 Et bis, Io Arethusa, Io Arethusa, vocavit. [est,
 Quid mihi tunc animi miseræ fuit? anne quod agnæ
 Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?
 Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit 628
 Ora canum, nullosque audet dare corpore motus?
 Non tamen abscedit; neque enim vestigia cernit
 Longius ire pedum; servat nubemque, locumque.
 Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus; 632
 Cæruleæque cadunt toto de corpore guttæ:
 Quaque pedem movi, manat lacus; eque capillis

617. *Afflabat anhelitus*, ut i. 542. *Ingens*, quia ille summis viribus currebat.

618. *Deprehenduntur*, quos instans alius assequitur aut opprimit. Pomp. Mela, III. i. 15. mare refluens *terrestria deprehendit animalia*. De *Dictynna*, vide ad ii. 441. *Dedisti ferre*, ferenda, ut versu 666. *misit agitare*, de qua forma vide Munker. ad Hygini fabulam 147. *E nubibus unam*, etc. qua ratione passim apud Homerum heroes eripiuntur e præsentissimo periculo, ut Paris a Venere, II. F. 380; Æneas ab Apolline, E. 344. Hinc etiam Horat. II. Od. vii. 14: *me per hostes Mercurius celer Denso paventem sustulit aere*. *Lustrare*; sic Æn. xii. 466: *in densa caligine Turnum Vestigat lustrans*. *Cava*, ut supra, versu 251. *inde cava circumdata nube Seriphon*.

626. *Quid mihi tunc animi?* Sensus Nymphæ bene notatus et illustratus; sic in libro i. 358: *Quid tibi—nunc animi, miseranda, foret*. *Si qua*, elegantius, quam, *quæ*. Respexit autem forte similitudinem Æn. ix. 95: *Ac veluti pleno lupo insidiatus ovili, Quum fremit ad caulas*. *Attum* frequens epitheton stabulorum. Confer vi. 521. et ibi notam. *Vepre*, scilicet, sub. *Dare motus*, ut *dare saltus*, iii. 599. *Servare*, cupide spectare locum, ne quis inde elabatur; *atria servans*, Horat. I. Ep. iv. 31.

632. *Occupat obsessos sudor*, etc.] Hunc sudorem, qui solet anxios occupare, bene fecit initium transformationis. *Cæruleæque cadunt guttæ*. In libro iv. 577: *Sentit—cæruleis variari corpora guttis*.

634. *Manat lacus*.] Nostri dant lo-

Ros cadit, et citius, quam nunc tibi facta renarro,
 In laticem mutor : sed enim cognoscit amatas 636
 Amnis aquas ; positoque viri, quod sumpserat, ore,
 Vertitur in proprias, ut se mihi misceat, undas.
 Delia rumpit humum : cæcis ego mersa cavernis
 Advehor Ortygiam ; quæ me cognomine Divæ
 Grata meæ, superas eduxit prima sub auras." 641

Hac Arethusa tenus : geminos Dea fertilis an-
 gues

cus ; quam lectionem difficile defen-
 derimus ; cæteroquin vulgata non ma-
 gis placet : nam quid est *lucus*, qui
manat, quum natura sua sit stagnans
 et minime manans ; nisi forte dixeris
 cavo *pedis* impressi et *moti* spatio clau-
 sum ? *Renarro*, vel narrando repeto,
 vel simpliciter narro. Legitur etiam
Æneid. iii. 717. ubi Servius arguta-
 tur ; iv. 569. *retractare et relegere*
sermone.

637. *Amnis, Alpheus. Positoque*
virii ore, deposita figura ac forma viri.

639. *Rumpit*, pandit viam subter
 terram. *Cæcis*, obscuris, caliginosis.
Μυθειουσι δὲ τὸν Ἀλφειὸν ἀρχόμενον
ἀπὸ Πελοποννήσου, etc. Strabo, lib.
 vi : fabulantur, inquit, Alpheum in
 Peloponneso ortum, subter mare alveo
 suo infra terram usque ad Arethusam
 ductum, rursus inde in mare affluere ;
 cuius rei argumentum proferunt : pã-
 teram quandam apud Olympiam in
 Alpheum prolapsam, ad fontem Are-
 thusam fuisse delatam ; tum, fontem
 eum turbidum fieri, quando Olympiæ
 boves sacrificantur. Quam pro fabula
 confutat idem Strabo, ibidem : nam-
 que ostium Alpei manifesto in mare
 exire : neque ullas apparere fauces
 quæ amnem absorbeant : neque fieri
 posse ut aqua dulcis maneat, si per
 mare, vel subter mare permeet. *Or-
 tygia* est pars Syracusarum, in qua
 erumpit Arethusa (499.) et *cognomen*

Dianæ, i. 694. *Me eduxit*, ibi prolii.
 Hic ambo in Elide miscentur et junc-
 tis aquis sub terra labuntur ; sed se-
 cundum alios Alpheus solus permeat
 cæcas cavernas, et in Sicilia demum
 cum Arethusa aquam miscet Pausan.
 p. 799.

642—661. *Triptolemo insidias struit*
Lyncus.] Hygin. fab. 259 ; P. A. ii.
 14. Triptolemus, Celei, regis Eleu-
 sinii, filius, (etsi Musæus, Orpheus,
 Chœrilus, apud Pausan. Attic. p. 34.
 aliter) a Cerere adjutus, tempore E-
 rechthei, sexti Atheniensium regis,
 anno circiter 1420 ante Christum,
 agriculturam Græcis, ac primum qui-
 dem Atheniensibus, ostendisse crede-
 batur. Hom. hym. in Cer. Pausan.
 Attic. p. 34. Corinth. p. 143 ; Marra.
 Arund. I. 12 sqq. Diod. Sic. v. 4 ;
 Hyg. fab. 277. Sed antiquiorem
 multo agriculturam inter Græcos judi-
 cat Goguet *von Ursprunge der Ge-
 setze*, tom. ii. p. 157. Censet enim,
 jam tempore Titanum, quibus æqualis
 Ceres, Græcos agriculturam accepisse,
 eam vero extinctis Titanibus interi-
 isse. Aliquanto post quum fame la-
 boraret Græcia, advenisse Erechthe-
 um, magnamque frumenti vim secum
 apportasse, eundemque arandi artem
 in campis maxime Eleusiniis restitu-
 isse, atque sacra Ceresi introduxisse.
 Hinc factum esse, ut sub ejus imperio
 Ceres Athenas venisse crederetur. Cæ-

Curribus admovit, frenisque coercuit ora,
 Et medium cœli terræque, per aera vecta est;
 Atque levem currum Tritonida misit in arcem 645
 Triptolemo; partimque rudi data semina jussit
 Spargere humo, partim post tempora longa recultæ.
 Jam super Europen sublimis et Asida terras

terum quomodo Ceres in Celei domum intraverit, Triptoleum in cunis decumbentem foverit, eique agriculturæ propagandæ munus tradiderit, narrant Noster, Fast. iv. 507—560; Apollod. I. v. 2; Hygin. fab. 147. *Hac—tenus* divulgum per tmesin, de qua vide Ciofanum. *Fertilis*, quia fertilitatis (ἐὐεργησίας) Dea, sub quo nomine templa habuit. *Bigis serpentum* Ceres vecta, et apud auctores et in monumentis antiquis occurrit. Ibi apparent mox alati, mox sine alis. Vid. Spanhemii Dissert. iv. p. 211. Describuntur a Claudian. xxxiii. 79. Triptolemo eas misit, ut omnium nationum terras circumiret, iisque semina largiretur. P. A. ii. 14. fab. 147; Apollod. d. l. Sed Goguet d. l. illas serpentum bigas accipit de callidis consiliis, quibus Triptoleum eripuerit Ceres variis periculis. Triptolemo mortuo, Antheas ejus currum conscendit, sed inde excussus perit. Pausan. Achaic. p. 568. *Coercuit*, rexit. *Medium cœli*, etc. *Medium* inter cœlum et terram, ut vi. 409: *juguli medius summique lacerti*. Vide ad ver. 409. *Arx*, sive *urbs Tritonis*, Athenæ (vide Bentleium ad Horatium, I. Od. vii. 5.) quarum pars antiquissima *arx*, ἀκρόπολις, *Tritonidi* in primis sacra.

646. *Triptolemo*; etc.] Hordeum primum esse satum a Triptolemo tradit Pausan. Attic. p. 93. *Rudis terra*, nondum culta, nondum proscissa, aratrum passa, plane ut *rudis campus*, Virg. Georg. ii. 211. *Reculta* potest esse, quæ, ubi aliquandiu quievit, de-

nuo colitur, novalis. Sed non apparet, cur *post tempora longa* additum. Alii referunt ad unam Siciliam, quæ post sterilitatem, de qua ver. 476 sq. denuo coli cœpta sit. At illa sterilitatis injuria non duravit tempora longa. Schirachius ergo intelligit terras, quæ olim fuerint cultæ, monetque, e mente Ovidii, Cererem jam ante hunc eventum fuisse frugum matrem, sed nunc, inventa filia, artem colendi agrum denuo Triptolemo monstrasse.

648. *Jam super Europen.*] Ex Hygin. P. A. ii. 24: *Triptoleum in curru draconum collocatum jussit omnium nationum agros circumeuntem semina partiri, quo facilius ipsi posterique a fero victu segregarentur*. Etiam Apollod. d. l. dedit ei currum et frumentum, ᾧ τὴν ὄλην οἰκουμένην δι' οὐρανοῦ αἰρόμενος κατέσπειρε. Curru autem illo velocitas indicatur, qua agricultura propagata. *Asis terra*, Asia, ut ix. 447. Micyllus intelligit angustum illum Lydiæ tractum palustrem ad Caystrum, quem Homer. Ἄσιον λειμῶνα; Virgilius autem, Æneid. vii. 701. *Asiam paludem* dixit, quia Asia, quum partem orbis terrarum significet, primam corripit; quum de illo tractu usurpetur, producat. Falsam autem esse hanc observat. quam Grammatici debent Servio ad Virg. Georg. i. 381. et primam in Asia esse indifferentem, monet Gesnerus in Thesaurο Fabri s. v. *Asia*: et quemque hic ipse locus docere potest. *Asia* enim, quum opponitur *Europa*, nullo modo de tractu illo palustri ad Caystrum intelligi potest. Et eam Gesneri opinionem con-

S s

Vectus erat juvenis ; Scythicas advertitur oras :
 Rex ibi Lynceus erat : regis subit ille penates. 650
 Qua veniat, causamque viæ, nomenque rogatus,
 Et patriam ; “ Patria est claræ mihi,” dixit,
 “ Athenæ ;

Triptolemus nomen ; veni nec puppe per undas,
 Nec pede per terras : patuit mihi pervius æther.
 Dona fero Cereris ; latos quæ sparsa per agros 655
 Frugiferas messes, alimentaque mitia reddant.”
 Barbarus invidit ; tantique ut muneris auctor
 Ipse sit, hospitio recipit, somnoque gravatum
 Aggreditur ferro : conantem figere pectus
 Lynca Ceres fecit ; rursusque per aera misit 660
 Mopsopium juvenem sacros agitare jugales.

Finierat dictos e nobis maxima cantus.

At Nymphæ vicisse Deas, Helicon colentes, 663
 Concordi dixere sono : convicia victæ [vobis
 Quum jacerent : “ Quoniam,” dixit, “ certamine
 Supplicium meruisse parum est, maledictaque
 culpæ

firmat Robert. Stephanus, in The-
 sauro Ling. Lat. ad voc. *Asia*, ubi eum
 videas.

650. *Rex ibi Lynceus erat* : etc.]
 Hyginus, fab. 259. et Lactantius, ad
 Theb. iv ; 658. *Lyncum* faciunt Si-
 cilix regem ; Micyllus et Munker.
 vero ibi quoque legendum censent
Scythia. Etiam Carnabon, Getarum
 rex, similes Triptolemo insidias struxit.
 Hygin. P. A. ii. 14.

651. *Qua, quomodo* ; puppe, an
 pedibus.

660. *Lynca Ceres fecit*.] Hyginus,
 fabula 259 : *Ceres eum convertit in
 lyncem varii coloris, ut ipse varix men-
 tis extiterat*. Similiter Lactant. in
 Arg. in feram sui nominis conversus,
 morum suorum colore distinctus est.

Noster hanc mutationem non per par-
 tes describit, quia in Musæ carmine
 obiter tantum commemoratur. *Misit*.
 Regii nostri habent *jussit* ; Latinæ
 linguæ convenientius quidem *jussit
 agitare* ; at *misit agitare* est Græca
 syntaxis, ἐπέμψεν ἐλαύνειν, quam
 multis exemplis Heinsius illustrat.
Mopsopius, Atheniensis a Mopsopo
 rege. Virg. Cir. 128. *Mopsopio dente*.
Jugales. Schirach. intell. *equos*. Im-
 mo dracones intellige, qui juncti erant
 curru.

662. *Finierat dictos cantus*.] Codi-
 ces nostri, *doctos* ; id vocabulum bene
 de *cantibus* Musarum ; immo *dictos*
 languet.

664. *Concordi sono, consentiente
 voce*.

Additis, et non est patientia libera nobis ;
 Ibimus in pœnas ; et quo vocat ira, sequemur.”
 Rident Emathides, spernuntque minacia verba ;
 Conatæque loqui, et magno clamore protervas 670
 Intentare manus, pennas exire per ungues
 Aspexere suos, operiri brachia plumis ;
 Alteraque alterius rigido concreescere rostro
 Ora videt, volucresque novas accedere silvis.
 Dumque volunt plangi, per brachia mota levatæ,
 Aere pendebant, nemorum convicia, picæ. 676
 Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit,
 Raucaque garrulitas, studiumque immane lo-
 quendi.”

668. *Ire in pœnas*, accedere ad puniendum, punire. Huic conveniunt et verba *vocare* et *sequi*. *Emathides*; vid. ad. ver. 313. Debemus autem hoc nomen ingenio Heinsii; namque Pierides etiam ab Anton. Lib. ita vocantur. Olim edebatur *Evippides*, id est, *Evippes* filiæ.

676. *Aere pendere* de volante dicitur. *Nemorum convicia*, aves per ne-

mora garrientes et maledicentes. *Facundia*, eadem quæ *garrulitas*. Idem ter dixit. Vir quidam doctus conjecturat *Tunc quoque*, quia sequitur *remansit*. Sed refellitur a Clarkio ad Homer. Il. A. 37. quia *remansit* est tempus præsens rei perfectæ. Cæterum Nicandro auctore apud Anton. Pierides in plura avium genera mutatæ sunt.

***N. B.* Argumentum hujus libri sexti Metamorphoseon,
relatum invenies in serie CANTERI, supra pag. 54.**

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON

LIBER SEXTUS.

FAB. I.

PRÆBUERAT dictis Tritonia talibus aurem ;
Carminaque Aonidum, justamque probaverat iram.
Tum secum : “ Laudare parum est ; laudemur et
ipsæ ;
Numina nec sperni sine pœna nostra sinamus :”
Mæoniæque animum fatis intendit Arachnes, 5
Quam sibi lanificæ non cedere laudibus artis

1—145. *Arachne et Minerva.*] Antiquissimarum nationum, ad meliorem sortem aspirantium, cura circa vestium in primis elegantias læsit. Itaque lanam ducere et tingere, telam texere, vestesque colorum et nitore et varietate insignes conficere jam Patriarcharum temporibus repertum est. Post casus dedit Tyriis purpuram ; mox additum vestibus aurum. Vestes egregiis picturis exornabantur vel acu (quod Phryges invenerunt, Plin. Hist. Nat. viii. 48.) vel inter texendum filis versicoloribus, qua arte Babylonii primi excelluerunt. Utroque modo dicitur *picta vestis*. Omnis autem vestium conficiendarum ars mulieribus commissa erat, eaque excellere reginis adeo laudi ducebatur. Hom. II. P. 125 ; Z. 289 ; X. 440. De ea egregie meritæ erant apud Lydios

Arachne, Plin. vii. 56 ; apud Græcos *Minerva*, Ælian. Hist. An. i. 21 ; quemadmodum apud Ægyptios *Isis*. Forte *Arachne* olim fuit nomen commune mulierum perite textentium. Quum autem pro proprio haberi cœptum esset, lusus etymologicus huic fab. originem dedit, qua *Arachne cum Minerva texendo certans in araneam mutatur*. Sæpius mortales cum Diis concertasse atque stultitiæ suæ mercedem tulisse traduntur.

4. *Numina nostra* multo gravius, quam, *me* ; et plural. *numina* dignitatis causa. Æneid. vii. 310. Juno, *si mea numina non sunt magna satis*. Ibid. i. 48. *et quisquam numen Junonis (me) adoret? Sine pœna, impune.*

5. *Animum intendit* ; serio cogitare cœpit de pœna ab *Arachne* sumenda. Hor. Epist. I. ii. 36 : *Intendes ani-*

Audierat: non illa loco, nec origine gentis
 Clara, sed arte, fuit: pater huic Colophonius Id-
 Phocaico bibulas tinguebat murice lanas: [mon,
 Occiderat mater; sed et hæc de plebe, suoque 10
 Æqua viro fuerat. Lydas tamen illa per urbes
 Quæsierat studio nomen memorabile, quamvis
 Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis.
 Hujus ut aspicerent opus admirabile, sæpe
 Deseruere sui Nymphæ vineta Tymoli; 15

mum studiis, et rebus honestis. Noster, IV. Trist. i. 4. *mens intenta malis. Mæonia, Lydiæ*; vide ad ii. 252. Lydiam Arachnen etiam facit Servius, ad Virg. Georg. iv. 246: sed Thresam, eamque virginem regiam, Probus ad eundem locum.

7. *Non illa loco, etc.*] Pluribus abjectam lanificæ originem describit, quo magis et ars ejus, et audacia qua se ipsi Minervæ præfert, illucescat. *Locum* nec de genere cape, quod Pontanus volebat (sequitur enim *origo gentis*,) nec cum Burmanno, de dignitate, sed de patria, propter versum 13, qui huic nostro respondet. Ibi enim *parva domus ad originem gentis, et parvæ Hypæpæ ad locum* pertinent.

8. *Colophonius.*] Colophon nobile Ionie oppidum.

9. *Bibula* lanæ exquisite, quæ bibunt, attrahunt colores, ut supra *bibula Persei talaria. Tinguebat.* Sic Codex Regius B; at Codex A. *tingebat.* Eadem varietas in Codicibus reperitur, quoties hæc litera *g* ante vocalem qualemcunque posita occurrit: alii enim post *g* literam *u* adjungunt, alii vero *g* sine *u* scribunt. Istud porro fluxit a pronunciandi more apud Romanos constante; scilicet litera *g* ante vocalem posita nunquam sonat nostrum *j*, sed *gamma* Græcorum; unde Itali, Germani, Angli, etc. huic adjungunt *u*, quamvis in

monumentis veteribus ac novis nunquam, vel raro admodum, Romani scribant *gu*, sed per *g* simplicem, *tingebant, urgebant*, et alia hujuscemodi, sicut et Galli scriberent. *Murex* genus conchæ, cujus e succo Veteres purpuram conficiebant, et quæ quum alibi, tum juxta *Phocæam*, urbem Ionie in sinu maris Mediterranei intimo sitam, reperiebatur. Livius, xxxvii. 31.

11. *Æqua*, æqualis dignitate et genere. *Lydas* correxit Constant. Fanens. quia *Lydius* primam syllabam semper productam habet; plurimi tamen MSS. (inter quos Regius noster B) dant *Lydias*. *Lydas* alias non minus usurpatur in sermone vulgari. *Illa*, Arachne. Male Lactant. in Arg. hæc quoque verba ad matrem retulit. *Studio*, arte textoria. *Domus parva*, humilis, nec ulla dignitate conspicua. Horat. I. Ep. iii. 28. *parvi et ampli* sibi opposita eo sensu. *Hypæpa*, urbs Lydiæ inter Tmolium montem et Caystrum fluvium, de qua Burmannus ad Petron. 137. plura notavit. Fuit obscura, unde h. l. *parva*, et sic etiam, xi. 152. ubi et de ejus situ.

15. *Deseruere sui Nymphæ, etc.*] Priscis temporibus Dii solebant invisere mortales. Hoc igitur poeta non male usus est ad commendandum Arachnes opus. De *Tymoli* vino generoso, nobili, vide ad ii. 217. Poetis

Deseruere suas Nymphæ Pactolides undas :
 Nec factas solum vestes spectare iuvabat ; [arti !
 Tum quoque, quum fierent : tantus decor adfuit
 Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes ;
 Seu digitis subigebat opus, repetitaque longo 20
 Vellera molliabat nebulas æquantia tractu ;
 Sive levi teretem versabat pollice fusum ;
 Seu pingebat acu : scires a Pallade doctam.
 Quod tamen ipsa negat ; tantaque offensa magistra,
 “ Certet,” ait, “ mecum ; nihil est, quod victa re-
 cusem.” 25

Pallas anum simulat, falsosque in tempora canos

etiam *Tmolus* scribitur. Vide Stephanum de Urbibus. Hinc etiam h. l. nonnulli cum Aldo, sed metro adversante, *Tmoli*. Ejus *vineta* sunt etiam, Fast. ii. 313. Ex eo oriebatur *Pactolus*, fluvius Lydiae aurifer. Repetitionem autem eorundem verborum, qualis in hoc et sequenti versu, amat Noster : i. 325 sqq. ; v. 579 sqq. ; viii. 628 sqq.

18. *Tum quoque*, etc.] Hic locus laudem meretur ab arte, qua ingenium poetæ rem tenuissimam et vulgarem exornavit. *Decor adfuit arti*, decore tractabat singula artis suæ : vide ad iv. 230. Exempli loco præparationem lanæ ad textum memorat, de qua confer Claudianum, xx. 383. *Subigebat* melius, quam tractabat. *Repetita*, quia pluribus tractibus molliabat. Vide ad iv. 733. *Vellerum* teneritudo eleganter comparatur cum *nebulis*, quemadmodum contra Virg. Georg. i. 397. nubeculas cum lanæ velleribus confert. *Mollire*, trahere, ut tenuia fiant. Claudian. : *Vellera per tenues ferri producere rimas*, ubi vide Gesner. Etiam *tenuare* et *eliquare* lanam in usu. Illa *vellera* Nostris dicuntur *flocons*.

22. *Sive levi teretem*.] Burmannus ex uno Codice legit, *levem tereti*, ut simul Arachne a forma laudetur ; *teretia* enim membra, in primis *teretes* digiti, in parte pulchritudinis ponuntur. A. A. i. 622. Et Hypæpas pulcherrimas habuisse mulieres tradit Stephanus. Neque dubium est, quin Noster expresserit Catull. Epithal. Pelei, ubi, *Libratum tereti versabat pollice fusum*. Contra, Heroid. ix. 77 : *Hercules crassa—robusto deducit pollice fila*. Et *fusus* recte diceretur *levis* ; fiebat enim ex junco. Plinius, xi. 23.

23. *Scires*, etc. ut i. 162. *scires e sanguine natos*. His verbis autem non laudatur modo ab arte, sed et impudentia ejus simul notatur in magistram. *Tantaque*, etc. ignominiosam sibi esse putans magistram, licet tanta esset.

26. *Pallas anum simulat*, etc.] De tali *simulatione* vide ad iii. 275. *Anus* formam fere sumebant Deæ, ubi consilium dare volebant. *Falsa, fallacia, mentita, mendacia*, eleganter dicuntur, quæ quis temporis causa assumit, ut simulata forma alterum fallat.

Addit, et infirmos baculo quoque sustinet artus.
 Tum sic orsa loqui: "Non omnia grandior ætas,
 Quæ fugiamus, habet: seris venit usus ab annis.
 Consilium ne sperne meum: tibi fama petatur 30
 Inter mortales faciendæ maxima lanæ.
 Cede Deæ, veniamque tuis temeraria dictis
 Supplice voce roga: veniam dabit illa roganti."
 Aspicit hanc torvis, incœptaque fila relinquit;
 Vixque manum retinens, confessaque vultibus iram,
 Talibus obscuram resequita est Pallada dictis: 36
 "Mentis inops, longaque venis confecta senecta,
 Et nimium vixisse diu nocet: audiat istas,
 Si qua tibi nurus est, si qua est tibi filia, voces:
 Consilii satis est in me mihi; neve monendo 40
 Profecisse putes, eadem sententia nobis.

28. *Non omnia, etc.*] Senectuti non solæ molestiæ adjunctæ sunt, sed bona etiam quædam, nempe *usus*, experientia. Jam Muretus animadvertit, expressa hæc esse ex Eurip. Phœn. ver. 531: Οὐχ ἅπαντα τῶ γῆρα κακὰ πρόσσεστιν ἀλλ' ἡ ἄμειρία ἔχει τι λείπει τῶν νέων σοφώτερον. Plaut. Mostel. V. iii. 27; *Sapere isthac atate oportet, qui sunt capite candido. Venit, paratur. Serit anni, senectus. Senior ætas*, Tibul. i. 4. *Faciendæ lanæ*. Multi ex antiquis Codicibus, *tele*; ita et Regii nostri. *Facere lanam*, locutio propria, unde *lanificium*.

34. *Aspicit hanc, etc.*] Præviderat Pallas fore, ut consilio illo ira superbæ mulieris exulceraretur. *Fila relinquit*. Lovaniensis et unus ex Basileensibus, *fila remisit*, quod æque bonum judicat Heinsius; sed Burmannus notat, discrimen esse inter hæc duo: *remittere* enim locum habere tum, quum animi quadam affectione, languore aut simili casu, ex manu

aliquid cadat; *relinquere* vero dici, quum sponte et volentes desinamus opus. *Manus retinens*, a vi inferenda et dea verberanda. *Confitetur* et is, qui inscius et invitus signis quibusdam animi motus prodit. Vide ad Plin. III. Ep. xiv. 3. Amat Noster hunc versuum usum, quem ipse novasse videtur. I. Tr. iv. 11: *confessus gelido pavore timorem*. ii. 525: *vultu fassus Telamonius iram*. Contra Æneid. iv. 477: *consilium vultu tegit. Confiteri vultu iram*, nove dictum, iram prodere vultu. Nec *resequi* pro, respondere, apud antiquiorem poetam occurrit. Legitur et viii. 863; xiii. 749. *Obscura*, latens sub forma aliena, ut agnosci haud posset. Similis increpatio, sed facundior, Æn. vii. 440: *te victa situ verique effata senectus—curis nequidquam exerceet. Et nimium, etc.* Non semper experientiam habet *senectus*; sed interdum etiam *nocet*. *Eadem sententia manet nobis*, quæ antea fuit.

Cur non ipsa venit? cur hæc certamina vitat?"
 Tum Dea, " Venit," ait; formamque removit
 anilem, 43

Palladaque exhibuit: venerantur numina Nymphæ,
 Mygdonidesque nurus: sola est non territa virgo,
 Sed tamen erubuit, subitusque invita notavit
 Ora rubor, rursusque evanuit; ut solet aer
 Purpureus fieri, quum primum aurora movetur,
 Et breve post tempus candescere solis ab ortu.
 Perstat in incepto, stolidæque cupidine palmæ 50
 In sua fata ruit: neque enim Jove nata recusat,
 Nec monet ulterius, nec jam certamina differt.

Haud mora, consistunt diversis partibus ambæ,
 Et gracili geminas intendunt stamine telas.

43. *Tum Dea*, etc.] Nota celeritatem, qua Dea illud ipsum responsum cupiens et expectans, se manifestat. Exempla Deorum formas assumptas ponentium habet Heynius, Exc. xiii. ad *Æneid.* i. *Pallada exhibuit*, eleganter, ostendit se esse Pallada. Supra, ii. 1. *posita imagine se confessus erat.* xi. 264: *Exhibita est Thetis. Confessam amplectitur heros. Mygdonides*, Lydiæ; nam *Mygdones*, e Thracia oriundi, sedes in Asiam transtulerant; Strabo, vii. p. 295; xii. p. 575. *Non territa*, interrita, ut versu 234. *non evitabile*, et sic passim. Jam pugna pudoris et audaciæ bene notatur, quanquam similitudo adjecta parum eam illustrat. *Notavit rubor.* Vide ad iv. 329. *Movetur*, oritur. *Moveri* dicuntur proficiscentes.

50. *Stolidæ.*] Ad palmam retulit, quod erat ad cupidinem, aut ad ipsam mulierem referendum. *Nec* non minus eleganter repetitum, quam alibi *sed*: vide ad v. 17.

53. *Consistunt.*] In hoc verbo hærent interpretes. Heinsius putat, aut legendum esse *constituunt*, scilicet,

telas, aut certe sic capiendum verb. *consistunt*: Burmannus hic monet, *consistere* convenire *partibus diversis*, et dici de duabus adversariis, quæ ad certamen se præparent, idque se docuisse ad Petron. 19. Ego vero arbitrator, respexisse Nostrum morem Veterum; qui non sedentes, sed stantes tangebant.

54. *Et gracili geminas*, etc.] Cum hac textoriæ artis descriptione conf. Claudian. R. P. i. 246 sqq. *Tela* varie dicitur; nunc intellig. trama staminis, series duplex staminum seu filorum in longum extensorum, *la trame*, *la chaîne*. Alibi vero vel totum opus, quod textitur, sic vocatur, vel *jugum*, baculus transversus, quo tela tenetur, id est, *l'ensoupleau*. *Gracile stamen*, ut *tenue subtemen* Auson. Mosel. 397. *Arundo*, pecten ex arundine, discriminat fila, ne confundantur, *le peigne*. *Radius*, gallice *la navette*. Ejus ope filis in transversum immittitur *subtemen*, *le tissu*, aut *l'anchue*. Quod, nempe subtemen, quod staminibus immissum, ut opus densum fiat, feritur *pectine*, *la*

Tela jugo vincta est ; stamen secernit arundo : 55
 Inseritur medium radiis subtemen acutis, [tum
 Quod digiti expediunt, atque inter stamina duc-
 Percusso feriunt insecti pectine dentes.
 Utraque festinant, cinctæque ad pectora vestes,
 Brachia docta movent, studio fallente laborem. 60
 Illic et Tyrium quæ purpura sensit ahenum,
 Textitur, et tenues parvi discriminis umbræ :
 Qualis ab imbre solet percussus solibus arcus

roue à dents. Insecti dentes, ut alibi insectus pecten. Vestes percussæ pectine apud Juvenalem, Sat. ix. 30; confer. Lucan. x. 142. Noster e copia poetica conjunxit percusso feriunt. Lenzius contra percussum explicat perforatum, putatque, dentes fuisse bacillos istis foraminibus inditos. Doctus, σφῶς, peritus. Claudian. i. 177. pollex doctus lanificarum. Studium, ardor certantium. Fallit, minuit laborem, ut non sentiatur. Vid. ad iv. 39; et Horat. l. II. Sat. ii. 12.

61. *Purpura, fila purpurea. Præstantissima purpura fuit Tyrium quæ sensit ahenum, apud Tyrios præparata. Ahenum vas majus, in quo succus purpureus sali et aquæ permixtus per decem dies ad ignem lenem coquebatur. Aristot. Histor. Anim. v. 15; Plin. Hist. Nat. ix. 38. Silius vii. 642: Purpura Agenoreis saturata ahenis.*

62. *Et tenues, etc.] Varios colores commode miscuit; tenues umbræ sunt haud dubie de légères nuances. Plin. xxxv. 11. ubi narraverat, singulis coloribus olim pictum esse, pergit: Tandem se ars ipsa distinxit et invenit lumen atque umbras, differentia colorum alterna vice sese excitante—Commisuras vero colorum et transitus appellaverunt harmogen. Illæ umbræ erant parvi discriminis: alius color in alium ita transibat, ut transitus vix animadverti posset; quod egregie illustratur similitudine aspersa.*

63. *Soles, radii solis, percutiuntur ab imbre, franguntur in imbre decedente, ab eoque rejiciuntur. Atque ita putes legendum percussis, sed et percussus defendi potest illo Virg. Æneid. viii. 22. lumen—Sole re percussum, lumen, quod oritur a radiis solis re percussis. Inficere, colores inducere. Mille colores Iridi tribuit etiam Virg. Æneid. v. 609. Transitus. Unius, inquit, coloris ad alium transitus, oculos decipit, quia quum sint diversi, iidem tamen esse videntur. Lumina fallit; non animadvertitur ab oculis spectantibus. Propert. III. xii. 27: Non Tyria vestes errantia luminu fallunt. Quod tangit, proxima quæque eundem colorem referunt, sed si ultima cum primis comparentur, distant, differunt.*

68. *Lentum, flexibile, bene de filis aureis, quæ qualia olim fuerint, examinat Goguet., über den Ursprung der Gesetze; tom. II. lib. ii. cap. 2. art. 2. Immittitur verbum delectum pro intextitur, quod male habent alii in contextu. Argumentum (ἰστόρημα, Anacr. 18. 9.) fabula aut historia in operibus artium expressa. Talia vestibus quoque intexi solebant. Homer. II. P. 125; Apollon. Rh. i. 721; Catul. lxiv. 50; Claud. R. P. i. 246 sqq. Hoc igitur more Noster usus plures fabulas inseruit, easque ita disposuit, ut Minervæ daret fata hominum a Diis punitorum, Arachnæ flagitia celestia.*

Inficere ingenti longum curvamine cœlum ;
 In quo diversi niteant quum mille colores, 65
 Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.
 Usque adeo quod tangit idem est! tamen ultima
 Illic et lentum filis immittitur aurum, [distant.
 Et vetus in tela deducitur argumentum.

Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce 70
 Pingit, et antiquam de terræ nomine litem.
 Bis sex cœlestes, medio Jove, sedibus altis
 Augusta gravitate sedent: sua quemque Deorum
 Inscribit facies: Jovis est regalis imago.

De verbo *deducere* vide ad i. 4. Nunc omnino est, texendo effingere.

70. *Scopulum Mavortis*, Areopagum, collem juxta Cecropiam. *Litem*, certamen Neptuni et Palladis de nomine urbis Cecropiæ. Noster sequitur eos, qui duodecim magnos Deos arbitrium tulisse narrabant, ut, uter munus mortalibus utilissimum produxisset, ab eo urbs nomen acciperet. Secundum Apollod. III. xiv. 1. Cecropis ætate Diis placuit civitates sibi deligere, in quibus colerentur. In Atticam prior venit Neptunus, tridenteque humi fixo in media acropoli mare profert. Post venit Minerva, quæ, quam Cecropa testem fecisset, oleam plantat. Litem inde de terra possidenda ortam qui dirimerent, Jupiter duodecim magnos Deos judices constituit, qui Cecropis testimonio commoti secundum Mineram pronunciârunt. Ea ratio Heynio præ cæteris placet, quia valde antiqua juris rei acquirendæ vestigia habet. Sed Paulo aliter Varro apud Augustin. de Civ. Dei, xviii. 9. rem refert, cujus verba cum h. l. conferre juvat: *Cecrope regnante, quum circa arcem Atheniensem olea arbor forte enata esset, et juxta aquarum scaturigo emanaret, consultum super hoc veluti prodigio Apollinem respondisse, per oleam Minervam,*

per aquam Neptunum significari, eosque Deos inter se certare, uter urbi nomen imponeret. Quare penes populum esse, utrius Dei nomine appellari illum vel lent, decernere. Atheniensibus itaque in suffragia euntibus, quum mares Neptuno, mulieres Minervæ faverent, vicisse Minervam calculo uno. Quare Neptunum indignantum mox tantam aquarum vim effudisse, ut totam prope Atticam inundaret. Forte Cecrops quum in Atticam pervenisset, incolasque Neptuno, hoc est, navigationi et piraticæ, deditos cognovisset, operam dedit, ut cultum Minervæ, hoc est, agriculturam, introduceret. Hinc magnus tumultus, quem ita composuit, ut plurimos, mulieres in primis, in suam sententiam traheret. Sic vicit olea Minervæ. Confer Goguet. d. l. p. 169. Ea fuit sententia P. Tournemine, Mémoires de Trévoux, Janvier 1708.

73. *Augusta gravitas*, divina majestas. Nempè *gravitas* judicibus convenit. *Inscribit*, notum facit, declarat quis sit; ductum vel a titulis ædificiorum, vel potius ab inscriptionibus in pectore venalium, quibus declarabatur, quinam essent, quam artem profiterentur. Sic *literatorem inscribi* Seutonius, III. Gram. 4. *Regalis*, cum sceptro et fulmine.

Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente 75
 Aspera saxa facit, medioque e vulnere saxi
 Exiluisse fretum, quo pignore vindicet urbem.
 At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam;
 Dat galeam capiti; defenditur ægide pectus:
 Percussamque sua simulat de cusptide terram 80
 Prodere cum baccis fœtum canentis olivæ;
 Mirarique Deos: operi victoria finis.
 Ut tamen exemplis intelligat æmula laudis,

75. *Stare Deum.*] Lectionem *nare* recte *Gierig.* improbat; namque Hein-
 sius nunquam vidit Neptunum nantem
 quum *tridente saxa ferit.* *Ferire tri-*
dente, etc. Cum hoc loco conferantur
 versus 283 et 284 libri i. *Vulnere,*
 hiatu. *Exiluisse fretum.* MSS. et edi-
 tores plurimi, *ferum,* equum, ut Phæ-
 drus, I. fab. xii. 9. ubi vide Interpre-
 tationes. Virgilius, Georg. i. 12: *cui*
prima frementem Fudit equum magno
tellus percussa tridenti. Verum Herod-
 dot. viii. 55; Apollodorus, III. xiv. 1;
 Himer. apud Phot. p. 1134; Pausa-
 nias, Attic. p. 57; Varro apud Au-
 gust. d. I.; Statius, Theb. xii. 632.
 memorant, *mare* produxisse in illa con-
 tentione Neptunum. Confer Bentleium,
 ad Horatium, I. Od. vii. 7. Per
mare, θάλασσαν, autem illi intellexe-
 runt aquarum scaturiginem, puteum,
 aquam marinam occultis terræ meati-
 bus affluentem in Erechthei æde in
 acropoli, quæ Apollodori adhuc ætate
 ostendebatur. *Equum* autem apud
 Virgilium, alio tempore ex Thessaliæ
 scopulis excussum nonnulli existimant.
 Non igitur dubitavi alteram lectionem
fretum revocare. Lactantius quidem
 manifeste legit *fretum*; nam in Argu-
 mento *lacum salsum* memorat. Nec
 apparet, quid per *equum* significare
 voluerint in hac fabula, quum nec
 Neptunus, nec prisci Attici equorum
 in primis curam gesserint. Et quan-
 quam *ferus* interdum de equo dicatur,

non tamen ambiguo illo vocabulo Ovi-
 dius in hac narratione Neptuni opus
 expressisset. Frustra Schirachius ob-
 jicit, mare texendo effingi non potuisse.
 Etenim versu 104. *Arachne mare* adeo
 Mediterraneum effingit; et apud Clau-
 dianum. xxxiii. 253. *Proserpina ostro*
fundit aquas. Et quale hoc Neptuni
fretum fuerit, modo vidimus.

80. *Simulat,* pingendo exprimit.
De cusptide; hic præpositio otiosa est.
Prodere, idem quam, edere. *Cum bac-*
cis. Baccæ fructus proprie dicuntur
 olivæ, et similibus arborum, qui et
 exigui sunt et rari, ac a se invicem
 separati nascuntur. *Fætum.* In hoc
 vocabulo hæret Glarean. quum arbor
 nominari debuisset. *Olivæ canentis*
 a colore, quem inferius foliorum latus
 refert. Virgilius, Eclog. ver. 16. *pal-*
lensis olivæ. Burmanno non displicet
 lectio Bononiensis, *ramum frondentis*
olivæ, ut allusum sit ad Græcas, *θάλ-*
λειν et *θάλλον;* quæ voces pr. de
 hac sacra Palladis oliva dictæ sint.
 Frustra. Arbor commode *fætus* dici
 potuit, nempe terræ. Illa ipsa olea,
 quam Minerva produxerat, in arce
 Atheniensium servabatur, teste So-
 phocle, Œd. Col. 686 sqq. et osten-
 debatur adhuc tempore Apollodori in
 Pandrosi sacello.

82. *Operi victoria finis.*] *Opus* clau-
 sit oliva, symbolum pacis, in suffragiis
 victoria; vide infra versum 101.

Quod pretium speret pro tam furialibus ausis,
 Quattuor in partes certamina quattuor addit 85
 Clara colore suo, brevibus distincta sigillis. [mon,
 Threiciam Rhodopen habet angulus unus, et Hæ-
 Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam;
 Nomina summorum sibi qui tribuere Deorum.
 Altera Pygmææ fatum miserabile matris 90
 Pars habet: hanc Juno victam certamine jussit
 Esse gruem; populisque suis indicere bellum.
 Pingit et Antigonem, ausam contendere quondam
 Cum magni consorte Jovis; quam regia Juno
 In volucrem vertit: nec profuit Ilion illi, 95
 Laomedonve pater, sumptis quin candida pennis
 Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.
 Qui superest solus Cinyran habet angulus orbum:
 Isque gradus templi, natarum membra suarum,

84. *Pretium*, mercedem, pœnam; nam juxta Callimach. h. Apoll. 25. *κακὸν μακάρεσσιν ἐπιζειν*. *Sperare*, ut *ἐπιζειν*, etiam de expectatione mali: vide Heinsium ad vii. extr. *Certamina* illa hominum erant cum Diis se comparantium. *Clara*, eminentia, quo facilius Arachnes oculos in se adverterent. *Sigilla*, imagunculæ, quibus *distincta*, variegata, illa certamina.

87. *Hæmus* et *Rhodope*, montes Thraciæ, olim fuerant homines ex iisdem parentibus editi. Hi quum mutuo inter se amore flagrarent, Hæmus sororem appellavit Junonem, illa fratrem Jovem. Id ægre ferentes Dii ambos mutaverunt in montes.

90. De *Pygmæorum*, homunculo- rum brevissimorum, bellis cum *gruibus*, vid. Strabo, i. p. 60. Fons fabulæ est Homer. Il. Γ. 6. Copiosius eam exposuerat Boeus in Ornithogonia, unde eam Athen. ix. p. 393. et Anton.

Liber. xvi. repetierunt. Nempe Cœnoe, quam Eustath. ad Homer. Il. Ψ. 1444. Geranen vocat, fuit regina Pygmæorum, quam, quum se pulchritudine Deabus anteferebat, Juno in *gruem* vertit. Grues autem multitudine sua invisæ Pygmæis. Inde *bellum*.

93. *Antigone*, Laomedontis, regis Trojani, filia, ob comam promissam cum Junone se comparare ausa, et mutata in ciconiam. Vid. Servius ad Virgilium, Georg. ii. 320. *Non profuit* seu *longe fuit illi*, vox soleennis de iis, qui, quanquam genere rebusve gestis clari, tamen puniuntur. iv. 648. *Crepitante*. Crepitus ciconiæ bene fabulæ accommodatus.

98. *Cinyran* fuisse aiunt regem Assyriorum, cujus filias, Junoni se præferre ausas, Dea in *gradus templi* sui commutaverit. Vide Lactantium, in Argumento. *Videri*, de figuris ad naturæ veritatem expressis etiam versu 105.

Amplectens, saxoque jacens, lacrimare videtur.

Circuit extremas oleis pacalibus oras : 101

Is modus est ; operique sua facit arbore finem.

Mæonis elusam designat imagine tauri

Europen : verum taurum, freta vera putares.

Ipsa videbatur terras spectare relictas, 105

Et comites clamare suas, tactumque vereri

Assilientis aquæ, timidæque reducere plantas.

Fecit et Asterien aquila luctante teneri :

Fecit olorinis Ledam recubare sub alis :

Addidit, ut Satyri celatus imagine pulchram 110

101. *Circuit extremas, etc.*] Sequuntur *πάρεργα*, hoc est ornamenta, quæ addebantur tabulis. Plin. xxxv.

10. *Circuit*, pingit in oris imaginem circumeuntibus. Dum manum circumducit, ipsa *circuire* videtur. Sic *Æneid.* x. 243. Vulcanus clypei *oras ambiit auro*. *Pacalis*, pacifera, olea enim signum pacis ; xv. 591. *pacalis laurus*.

103. *Mæonis elusam, etc.*] Tacite malitia Arachnes ostendit, quid de Diis sentiat, exhibens plurima Deorum flagitia. Hic quoque, ut *Æn.* i. 641. in vasis cælatis Didus, expressa *series longissima rerum*. Initium fit a Jove, qui innumeris figuris mulieres decepit. *Amor.* I. x. 8 : *quidquid magno de Jove fecit Amor*. De Raptu *Europæ*, vide ad librum ii. 833 ; V. *Fast.* 607 sqq. *Designat*, pingendo exprimit. *Eludi passim* apud Nostrum de decepta virgine. *Verum*, vivum ; vide ad x. 250. Bene notat et sollicitudinem raptæ puellæ, et artem lanificæ. *Reducere*. H. l. *reducere* simpliciter, subducere ; repetiti enim motus in tela exprimi non poterant.

108. *Fecit teneri—recubare* ; exhibuit eam sic, ut teneretur, etc. Prisci ævi mulieres solebant ad Deos *ἀνα-*

φέρειν τὴν ἀμαρτίαν λέχους. Euripid. *Bacch.* 29. *Asterie*, Cœi Titanis filia, Jovis amplexus fugiens, in coturnicem mutata, atque in mare abjecta est, unde insula Ortygia orta. Hygin. *fab.* 53 ; *Apollod.* I. iv. 1 ; cf. *Spanhem.* ad *Callim.* h. *Del.* 37. 39. Videtur Jupiter ea in re *aquila* ministerio usus.

110. *Celatus*.] Vide ad v. 326. *Nyctæida*, Antiopen, Nyctei, regis in Bœotia, filiam, ex qua nati sunt *gemini*, Zethus et Amphion. Hygin. *fab.* 8 ; *Apollod.* III. v. 5 ; *Schol. Apollon.* *Rhod.* iv. 1090 ; *Lutat.* ad *Stat.* *Theb.* ix. 423. Sed Homerus, *Od.* Δ. 259. eam facit Asopi filiam : de quo dissensu vide *Pausan.* *Corinth.* p. 124 ; cf. omnino *Valkenar.* *Diatrib.* p. 58 sqq. ubi *fragm.* *Antiopæ* Eurip. *Tyrinthia*, Alcmena, quam Jupiter, sumpta Amphitryonis conjugis forma, vitiavit. Hygin. *fab.* 29 ; *Homer.* d. l. versu 265. *Asopida*, Æginam, Asopi filiam ; confer vii. 616 : vide *Spanhem* ad *Callimachum*, *hymn.* *Del.* 78. Eam vitiavit Jupiter in *ignem*, aut, ut *Clemens Hom.* v. 13. *Nonnus Dionys.* vi. 212. *Lutat.* ad *Stat.* vii. 427. malunt, in aquilam conversus. In insula Ægina peperit Æacum. *Apollod.* I. ix. 3 ; III. xii. 6. *Deoïda*. *Ceres Græcis Δηώ* dicta, unde *Proserpina Δηοῦς*

Jupiter implêrit gemino Nycteïda foetu ;
 Amphitryon fuerit, quum te, Tiryntia, cepit ;
 Aureus ut Danaen ; Asopida luserit igneus ;
 Mnemosynen pastor ; varius Deoïda serpens.
 Te quoque mutatum torvo, Neptune, juvenco 115
 Virgine in Æolia posuit : tu visus Enipeus
 Gignis Aloïdas : aries Bisaltida fallis :
 Et te, flava comas, frugum mitissima Mater,
 Sensit equum : te sensit avem crinita colubris
 Mater equi volucris : sensit delphîna Melantho. 120
 Omnibus his faciemque suam, faciemque locorum
 Reddidit : est illic agrestis imagine Phœbus ;
 Utque modo accipitris pennas, modo terga leonis
 Gesserit ; ut pastor Macareïda luserit Issen.
 Liber ut Erigonen falsa deceperit uva : 125
 Ut Saturnus equo geminum Chirona creârit.
 Ultima pars telæ, tenui circumdata limbo,
 Nexilibus flores hederis habet intertextos.
 Non illud Pallas, non illud carpere livor

κόρη, quod Noster et Ausonius, Epist. 4. ad Theon. expresserunt per *Deoïda*. Vide Spanhem. ad Callimachum, h. Cer. ver. 133.

116. *Æolia virgo*, vel Arne, vel Canace, Æoli filia, quam Neptunus in taurum conversus vitiavit. *Enipeus*, fluvius Thessaliæ, in quem Neptunus conversus Iphimediæ, Aloï uxorem, compressit, ex qua nati Othus et Ephialtes, *Aloïdæ* dicti. Homer. Od. A. 304 sqq. ; Virgil. Æneid. vi. 582 sqq. *Bisaltida*, Theophanen, Bisalti filiam, quam Neptunus in ovem, se autem in arietem mutavit. Hygin. fabula 188.

118. *Et te, flava*, etc.] Ceres, ut Neptuni insidias fugeret, se in equam mutavit ; quod quum Neptunus rescisset, in equum et ipse conversus

eam iniit. Inde natus Arion, equus. *Crinita colubris* ; Medusa, quæ ex Neptuno concepit Pegasum. *Melantho*, Deucalionis filia.

121. *Faciem suam*, formam eam, sub qua mulieres compresserunt. *Agrestis*, quum pavit Admeti armenta.

124. *Macareïda*, Macarei filiam, vel Lesbiam vel Eubœam. *Erigone*, Icarî filia.

126. *Ut Saturnus* in equum conversus ex Philyra genuit centaurum *Chirona*. *Geminum*, quia ex parte equus, ex parte homo. *Tenui limbo*, subtili fascia ; est enim *limbus* fascia ultimam vestis partem ambiens.

129. *Non illud Pallas*, etc.] Jam hic expectat lector exitum certaminis, et iudicium de utriusque lanificæ tela. Non victrix, sed invidia, quæ

Possit opus : doluit successu flava virago ; 130
 Et rupit pictas, cœlestia crimina, vestes.
 Utque Cytoriaco radium de monte tenebat,
 Ter, quater, Idmoniaë frontem percussit Arachnes.
 Non tulit infelix, laqueoque animosa ligavit
 Gutturum : pendentem Pallas miserata levavit ; 135
 Atque ita, “ Vive quidem, pende tamen, improba,”
 “ Lexque eadem pœnæ, ne sis secunda futuri, [dixit :
 Dicta tuo generi, serisque nepotibus esto.”
 Post ea discedens succis Hecateïdos herbæ
 Spargit ; et extemplo tristi medicamine tactæ 140
 Defluxere comæ, cumque his et naris, et auris ;
 Fitque caput minimum, totoque in corpore parva
 est :

etiam Deos tangit, commota Pallas punit, atque invidia ejus exacerbatur etiam criminibus Deorum effectis. *Non livor illud opus carpere possit*, proverbii speciem habuisse videtur, monente Zinzerl. *Promuls.* cap. 41. *Cœlestia crimina* Deorum stupra et adulteria dicuntur. Vide *Burm.* Sic et *Propertius*, II. v. 25 : *Non istis olim variabant tecta figuris. Tum paries nullo crimine pictus erat. Crimina, vestes*, telam, in qua flagitia.

132. *Cytoriaco.*] Vide ad iv. 311. *Animosa* refertur melius ad *gutturum*, quam ad ipsam *Arachnen* ; sed quaeritur, quo sensu vir doctus in *Biblioth. Tigur.* Vol. III. P. i. p. 94. explicet spirantia, et comparet ex vii. 604. *pars animam laqueo claudunt.* Laudat idem *Amor.* I. vi. 51 ; ubi *animosum ventum* putat esse spirantem, flantem, et e *Cic. N. D.* ii. 6. *animum spirabilem.* Haud scio tamen, an possis superba explicare, ut versu 206, ut gutturi more poetarum tributâ sit affectio dominæ. In junctura verborum *ligavit, levavit* sane est negligentia quædam, neque tamen illa

sollicitare Heinsius debebat ad corrigendum. Vide ad ii. 398. *Levavit*, leviolem ei sortem tribuit.

137. *Lex*, modus et ratio. Pœna ejusdem modi constituta esto. Per *genus* et *nepotes* araneas intelligit. Ita *nepotes* etiam xi. 48. Inde autem et aranea *invisa Minervæ*, *Virg. Georg.* iv. 246.

139. *Hecateis*, venenata et magica, ut xiv. 44. *Hecateia carmina* sunt incantationes. *Hecate* enim invocabatur a veneficis. *Medicamen*, omnis succus, quo inficitur aliquid. *Defluere* et *defluvium* dicitur de capillis. *Totoque in corpore* *Burm.* dedit ex tribus MSS. ; vulgo *toto quoque corpore*. Licet habeat totum et integrum corpus, parva tamen est, et omnia ejus membra sunt exilia. Mox Heinsius *mallet venter obit*, sed male. *Eleganter, Cetera venter habet*, sunt *venter.* III. *Trist.* iv. 46. *habet cetera pontus.* *Obire* potius de actu, quo mutatur aliquid. i. 552. *Exercet.* Debebat sequi *artem*, sed dixit *telas*, et quidem *antiquas*, *pristinâs*. Nam *exercere* omnino est tractare.

In latere exiles digiti pro cruribus hærent :
 Cetera venter habet ; de quo tamen illa remittit
 Stamen, et antiquas exercet aranea telas. [facti
 II. Lydia tota fremit ; Phrygiæque per oppida
 Rumor it, et magnum sermonibus occupat orbem.
 Ante suos Niobe thalamos cognoverat illam, 148
 Tum quum Mæoniam virgo Sipylumque colebat :
 Nec tamen admonita est pœna popularis Arachnes
 Cedere Cælitibus, verbisque minoribus uti :
 Multa dabant animos ; sed enim nec conjugis artes,

146—312. *Niobe*, Tantalii filia, Amphionis, regis Thebani, uxor. Fabula a multis scriptoribus, multis deperditis tragœdiis, multis monumentis, multis denique epitaphiis celebrata. Cf. Hom. II. Ω . 602 sqq. ; Callimach. h. Apoll. 22 ; Pausan. Corinth. p. 160 ; Apollod. III. v. 6. qui in plurimis consentit cum Nostro ; et Diod. Sic. iv. 74 ; Schol. Eurip. ad Phœn. 162. e Cod. Voss. ; Hygin. fab. 9. 10. 11. Tractaverant hæc et Hesiod. Pherecydes, Hellenicus et plurimi poetæ. Signum vetustum Niobes cum liberis excellentissimum Florentiæ servatur, de quo Winkelm. in Hist. Art. p. 170. 205. 226 ; et in Mon. Ined. n. 89. Palæphat. cap. 9. fabulam sic explicat, Nioben fecisse sibi statuam lapideam in tumulo liberorum. Philemon fab. inde natam arbitrabatur, quod Niobe præ doloris magnitudine nihil proloqui potuerit. Nec aliter Cic. Tusc. iii. 26 : *Niobe fingitur lapidea, propter æternum, credo, in luctu silentium*. Hinc ab Æschylo inducta fuerat velato capite. *Fremere* hic non de indignatione et dolore popularium Arachnes capiendum, sed, ut Schirach. recte observat, de fama pervagante Lydiam, quia hæc dignior factio Minervæ, quam indignatio. Phædrus, I. fabula v. 20 : *Rumor de tibicine fremit in theatro*. De Fama
 VOL. III.

fremere est, xii. 748. *It per oppida*, ut apud Virgilium, *fama it per urbes*. Male Heinsius suadet *magnam urbem*, id est, Sardes. Immo fama serpit primum per Lydiam, mox per vicinam Phrygiam, tandem per totum terrarum orbem, penetratque adeo et Thebas ad Nioben.

149. *Mæoniam*, imprimisque *Sipylum* colebat. Nam *Sipylus* et mons et urbs Lydiæ. Plin. ii. 59. Anacr. Od. 20. annumerat quidem eam Phrygiæ ; sed Lydia relata olim fuit a multis ad Phrygiam Magnam. Vid. Strabo, ii. p. 89. Etiam mox versu 177. *gentes Phrygiæ*. E Mæonia eam cum Pelope in Peloponnesum venisse, putat Heynius ad Apollod. d. l. nisi potius in Lydia jam nupsit Amphioni. Certe a Pausan. ix. p. 720. Amphion ob Tantalii affinitatem Lydicos modos a Lydiis didicisse narratur. *Admoneri* exemplis, iis impelli, ut tibi consulas. *Verbis minoribus uti*, submissius loqui, ut versu 368. Vide ad ix. 31.

152. *Animos*, superbiam. *Sed enim*, at vero. *Artes*, musica, qua excellabat Amphion, quæ inde *Amphionia ars* apud Sidonium Apoll. ab Heinsio laudatur. In Twisd. Cod. glossæ adscripta erat, *quia citharædus erat* : vide ad versum 178. Sed Brouckh. ad Propert. III. vii. 39. per *artes* h. l.

U u

Nec genus amborum, magnique potentia regni,
 Sic placuere illi, quamvis ea cuncta placebant,
 Ut sua progenies; et felicissima matrum 155
 Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.
 Nam sata Tiresia, venturi præscia, Manto
 Per medias fuerat, divino concita motu,
 Vaticinata vias: "Ismenides, ite frequentes,
 Et date Latonæ, Latonigenisque duobus, 160
 Cum prece tura pia; lauroque innectite crinem:
 Ore meo Latona jubet." Paretur; et omnes
 Thebaides jussis sua tempora frondibus ornant,
 Turaque dant sanctis et verba precantia flammis.
 Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba,

intel. urbem Thebas, quam Amphion
 lyræ canore construxerat, quemad-
 modum apud Propert. d. l. Pergama
 ex Brouckh. emendatione dicuntur
Apollinis artes. Ita vero musices,
 qua tantum sibi nomen Amphion pa-
 raverat, nulla fieret mentio. Possit
 forte utrumque hic intelligere, mu-
 sicam et moenia. Vid. ad ver. 178.
Sic—Ut sua progenies. Hæc causa ei
 fuit superbix, calamitatis, insani do-
 loris et mutationis. *Sibi visa fuisset*,
 atque felicitatis illius sensu elata.

157. *Nam sata*, etc.] Niobe Theba-
 nis interdixerat Latonæ sacra cele-
 brare. Hoc tractavit, ut poeta. Va-
 tem inducit sacra indicientem, mu-
 lieres jussis parentes, Nioben in pub-
 licum prodeuntem, se jactantem, Dea
 maledicentem. *Manto* (α μαντεύσ-
 θαι) sæpe a Veteribus commemora-
 tur. In ejus verbis non inest *vaticini-
 um*, quod vulgo sic dr. sed indictio
 sacrorum. Nempe *vaticinari* omnino
 est impulsu Dei loqui. *Divino con-
 cita motu*; vide ad iii. 711. Confer
 Senec. Agam. 319. qui Nostrum ex-
 pressit: *Quam fatorum præscium Manto
 Sata Tiresia Latonigenus Monuit sa-*

cris celebrare Deos. Pertinuerunt illa
 sacra ad mulieres tantum. *Et date*,
 etc. Formula solennis in indictione
 sacrorum. Confer *Æneid.* viii. 274.
Pia, quæ pium animum declarant.
Cum prece. Intelligenda comprecatio,
 quæ sacrificio addebat preces. Confer
 ix. 159. Ut in sacris Bacchi pampi-
 næ aut hederacæ, in honorem Her-
 culis populeæ frondes *innectebantur
 crinibus*, sic in Apollinis sacris *lau-
 rus*. *Jussis*. Ita et i. 399; iii. 105;
 iv. 32; xi. 635. Et ex more Ovid.
 post *jubet repetitum jussis*. Non ta-
 men spernenda altera lectio, *festis*.
 Ita iii. 528. *festi ululatus*; vide et ad
 iii. 111; Virgil. *Æneid.* ii. 249. de-
 lubra Deum *festa velamus fronde*.

165. *Ecce venit comitum*, etc.] In-
 cessus mulieris superbæ et præ super-
 bia indignantis egregie hic describi-
 tur; *celeberrima*, stipata multis comi-
 tibus, more reginarum orientalium.
 De *Phrygiis vestibibus* vide ad ver. i.
Movens, concutiens, indignationis cau-
 sa, ut Jupiter in libro i. versu 179.
Immissi in faciem *capilli* signum erant
 vel squaloris, vel certe negligentix,
 qualis est mulierum domi sedentium,

Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro, 166
 Et quantum ira sinit, formosa; movensque decoro
 Cum capite immissos humerum per utrumque ca-
 pillos

Constitit: utque oculos circumtulit alta superbos;
 “Quis furor auditos,” inquit, “præponere visis 170
 Cœlestes? aut cur colitur Latona per aras?

Numen adhuc sine ture meum est? mihi Tantalus
 auctor,

Cui licuit soli Superorum tangere mensas;
 Pleiadam soror est genetrix mihi; maximus Atlas
 Est avus, ætherium qui fert cervicibus axem: 175
 Jupiter alter avus; socero quoque gloriator illo.
 Me gentes metuunt Phrygiæ; me regia Cadmi

v. 338. Verum h. l. *immissi* absolute sunt soluti, fluentes, quales sunt Apollinis. Tibul. III. iv. 27: *Intonsi crines longa cervice fluebant*. Apud Homer. d. l. ἡύκομος Ντόβη. *Alta*, quia superbi elato capite incedunt. Ver. 275. *resupina*. Senec. Epist. lxxx. p. 624. ed. Lips.: *Ille, qui in scena elatus incedit, et hæc resupinus dicit, En impero Argis*.

170. *Quis furor auditos*, etc.] Hinc cuncta illa, quæ animos dabant (152.) ut se Latonæ præferret, ipsa non enumerat modo, sed et amplificat. Hæc sunt magna illa verba, quæ minuere nolebat, et quibus elata, versu 184. fidenter subjicit, *Quarite nunc*, etc. De formula *quis furor?* ad iii. 531. Quæ ipsi videmus, ea et certiora et præsentiora sunt auditis, de quibus fando aliquid accepimus. *Per aras* non est, aris extractis, sed in aris plurimis, ut quæ *per urbes*, plurimis in urbibus, fieri dicuntur. *Numen meum*, ut versu 4. *Tantalus*, rex Lydiæ opulentissimus, sæpe ad Deorum convivium admissus, unde *conviva*

Deorum, Hor. I. Od. xxviii. 7. *Auctor*, scilicet generis. *Soli*; licuit quidem et Ixioni et Pelopi, sed illi posteriores Nioba. *Heinsius*. Maximus autem honos *tangere mensas*, interesse convivii *Deorum*, isque olim non nisi Diis concessus, atque adeo divinitatis signum. Æn. i. 79. Æolus ad Junonem: *tu das epulis accumbere Divum*.

174. *Pleiadam sorores* erant Hyades (Hygin. P. A. ii. 21.) e quibus una Dio (Schol. Hom. ad Il. E. 486.) quam nonnulli faciunt Niobes genitricem. Hygin. fab. 9. 82, 83. Sic *Atlas* ejus avus, et *Jupiter*, Tantali pater, *alter avus*, atque adeo *socer* quoque, quia et Amphion Jovis ex Antiopa filius. Pausan. Bœot. p. 720. *Ætherium qui fert*, etc. Confer in libro iv. versus 656 et seqq.

177. *Metuunt*, venerantur et colunt, ut felicem maximi regis filiam; vide ad i. 322. *Phrygia*. Vide ad v. 149. *Amphionem*, qui regnavit anno 1390 ante Christum, *fidibus* excelluisse (Plinius, vii. 56; Noster, ibid. 585.) earumque sono Thebas circum-

Sub domina est; fidibusque mei commissa mariti
 Mœnia cum populis a meque viroque reguntur.
 In quamcunque domus adverto lumina partem,
 Immensæ spectantur opes: accedit eodem 181
 Digna Deæ facies: huc natas adjice septem,
 Et totidem juvenes, et mox generosque nurusque.
 Quærite nunc, habeat quam nostra superbia cau-
 Nescio quoque audete satam Titanida Cœo [sam:
 Latonam præferre mihi; cui maxima quondam 186

dedisse muris (Horat. A. P. 394.) id est, musices suavitate ita oblectâsse Thebanos, ut muris extruendis operam navare non gravarentur (Maximus Tyr. Dissert. 21. Palæph. 42.) constat. Hinc igitur *mœnia fidibus mariti mei commissa*, constructa. Apud Propert. i. 9—10. *Amphionia mœnia lyrae*. Plura de ejus arte musica habet Pausan. Bœot. p. 720. De muris ejus vid. Homer. Od. A. 261. *Populi, cives.*

182. *Digna Deæ.*] Confer v. 182. De numero liberorum Niobes studiose quæsierunt Veteres, Æl. V. H. xii. 36; Gellius N. A. xx. 7; Schol. Eurip. ad Phœn. 162. et e recentioribus Cuper. Obs. iii. 7. Noster sequutus est Eurip. Æsch. Aristoph. Lasium, qui septem filios totidemque filias Niobæ dabant. Sic et Hyginus, Apollodorus, et Scholiastes Euripidis, e Cresphonte. Homerus non nisi sex utriusque sexus numerat, Hesiodus et Ælianus omnino viginti, Herodotus duos filios, tres filias.

185. *Nescio quoque, etc.*] Cum splendida sua fortuna comparat miseram Latonæ sortem, de qua Homer. h. Apoll. et Callimachus h. in Delph. adeundi. *Nescio quoque audete genitam*, quod habuit vir Cl. Gierig, grave mendum est; hoc emendavimus, Heinsio freti: raro quidem ponitur *quod* post *nescio quis*; tamen quum uno

tractu legatur *nescio quis*, quasi adjectivus, nil obstat quominus admittat post *quis* vel *quo* particulam *que*. Tanaq. Faber, cui suum caput, sua libido est, non timuit mutare textum, non infeliciter, sed sine auctoritate, his verbis: *Et nunc nescio quo genitam Titanida Cœo Latonam præferre mihi!* Fuit autem *Cæus* unus ex Titanibus, cujus filia Latona a Jove compressa Apollinem simul et Dianam concepit.

186. *Cui maxima—terra negavit;*] Jurejurando obstrinxerat Juno omnes terras ne parturienti Latonæ locum concederent: latuit tum sub aquis Delos insula, quam emergere jussit Neptunus et locum parturienti præbere: vide infra quæ addit Gierig de insula Delo. De erroribus Latonæ parturientis, vid. Homer. h. Apoll. 30. et de Delo *miserata vagantem*, ver. 61 sqq. et Callim. h. Del. 201 sqq. *Exul mundi* eadem syntaxi, qua *exul mentis, fugitivus regni*, etc. vide Burm. Graviter *exul mundi*, quum alii tantum sint *exules patriæ*. *Ego in undis*. Delos olim instabilis (Stat. Achil. i. 388.) et errans in mari, sed nato Apolline statim immota facta est et incussa, hæsitque inter Gyarum Myconumque Cyclades; Æneid. iii. 75 sqq. ubi: *oras et litora circum Errantem Mycone celsa Gyaroque revinxit*. Vide dialogum Iridis et Neptuni, apud Lucianum, et quos laudat Spanhem. ad

Exiguam sedem parituræ terra negavit. [est:
 Nec cælo, nec humo, nec aquis Dea vestra recepta
 Exul erat mundi; donec miserata vagantem,
 Hospita tu terris erras, ego, dixit, in undis; 190
 Instabilemque locum Delos dedit: illa duobus
 Facta parens: uteri pars est hæc septima nostri.
 Sum felix: quis enim neget hoc? felixque manebo;
 Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
 Major sum, quam cui possit fortuna nocere; 195
 Multaque ut eripiat, multo mihi plura relinquet.
 Excessere metum mea jam bona: fingite demi
 Huic aliquid populo natorum posse meorum;
 Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum,

Callimac. h. Del. 273. Utrum utramque prolem in hac insula deposuerit Latona, an Dianam alio loco, de eo dissentiunt poetæ; vide ad i. 694. Delos autem hic loquens inducitur, ut apud Homer. ver. 61 sqq. et commode, quum ambæ similem sortem experientur. *Instabilem* contemptim. Confer ver. 333 sqq.

192. *Uteri*, etc.] Hi duo non faciunt, nisi septimam partem eorum, quos ego enixa sum. *Uterus* de tota, eaque numerosa, prole. Homer. II. d. l.: Φῆ δ' οὐὸ τέκεϊν, ἢ δ' ἀπ' τῆ γείνατο πολλοῦς. Inde et apud Apollod. ἐπτεκνωτέραν se jactat Latona. Jam incipit oratio languescere, maxime insertis illis *quis enim*, etc. *Hoc quoque*, etc. et ταυτολογεῖν, quum inde a vocab. *tutam* usque ad *spoliata duorum* eadem sententia quinquies repetita sit. *Populus* omnino multitudo, ut xi. 634. ubi vide notas. Ita *cohors liberorum*, Æneid. x. 328; *totus familiae populus*, Plin. xxxv. 2.

199—203. *Non tamen ad numerum*, etc.] Hic locus valde corruptus et disturbatus. Gronovius, Observation. iv. 15. primum versum postposuit mul-

tis et secundum sic emendavit: *Latona: turba qua quantum distabat ab orba?* Heinsius probat transpositionem Gronovii, et legit præterea: *turba quo quantum distat ab orba!* Burmannus mallet: *turba qua* (scilicet duorum, ut ironice vocat) *quantum distat ab orba?* Schirachius denique suadet: *Latona torvæ, quæ, quantum distat ab orba.* Insuper cætera mendis laborant; legebatur: *Ite sacris propere sacris*, quod Gronovius fatetur se non intelligere; suadet igitur: *Ite, sat est operæ sacris*, aut, *Ite, satis pro re sacri*, aut, *Ite satis propere sacris*, ut per contemptum ita appellet Thebaidas mulieres superstitiosas, festinasque ad sacra accipienda. Jac. Gronovius, in Antiquitatum Græcarum thesauro, tom. i. volebat: *Ite aris propere ab sacris*; Burmannus conjecturabat *Ite, manus prohibete sacris*; Schirachius: *Ite satis, propere sacris*, quod inter alia suaserat Heinsius. Ex his omnibus corruptionibus ac disturbanceibus horum versuum, vix sensus commodus erui potest. Nos interpunximus, non post *Latona*, sed post *turba*, et quo mutavimus in *quæ*. Sensus: Si vel

Latonæ turba: quæ quantum distat ab orba? 200
 Ite sacris, properate sacris; laurumque capillis
 Ponite." Deponunt, infectaque sacra relinquunt,
 Quodque licet, tacito venerantur murmure numen.
 Indignata Dea est; summoque in vertice Cynthi,
 Talibus est dictis gemina cum prole loquuta: 205
 "En ego vestra parens, vobis animosa creatis,

maxime pluribus liberis spolier, non tamen in tanta meorum turba redigar ad numerum duorum Latonæ; quæ cum duobus suis, quantum, quam parum, distat ab orba? Mutationi huic, quam sensus commendat, accedit aliquid auctoritatis e MSS. Si proxima servamus, sane post *ite* et *properate*, subintelligimus præpositionem *a*.

Ea fuit opinio Cl. Gierig et cæterorum quos nominavit: in hoc loco tam difficili liceat quoque nostram emendationem nostramque explanationem subjicere. Primo dicamus quæ sit lectio nostrorum Codicum: *Num tamen ad numerum redigar spoliata duorum? Ite sacris, propere sacris; laurumque capillis Ponite: deponunt infectaque sacra relinquunt; Quodque licet, tacito venerantur murmure numen Latonæ; turba quantum distabat ab orba.* Ita versus extremus legitur in codice A; sed codex B habet eodem loco *Latonæ turba; quæ quantum distat ab orba?* uterque rejicit versus *tantum animosa*, etc. certe spurium, de quo loquitur Cl. Gierig. Quæ lectiones ultimi versus non parum impediunt sententiæ tenorem; nam cætera, usque ad hunc versum, plane fluunt; nihil enim vividius hac interrogatione: *Fingite demi—num tamen—redigar?* Quid aptius est ferociori jubentis feminæ animo quam ista acerbiter dicta: *Ite sacris, propere sacris* abscedite; et *laurum*, qua præcingitur caput vestrum, *deponite*. *Deponunt* quidem; sed mireris metum

volgi inconstantiamque: dum, Niobes metu, *sacra Latonæ relinquunt*, hanc *tacito murmure, quod licet, venerantur*. Nihil hactenus quod non laudemus: sed quid hic versus iste: *Latonæ; turba quantum distabat ab orba*, quem nullo modo interpretari queas, etiamsi utaris glossa marginali quam habet codex alius antiquissimus, qui eandem præbet lectionem; ea nempe est glossa, *a turba orbarum matrum quantum distabat*. Quare hunc versum, hoc loco saltem inutilem, cum Cl. Gierig, post versus *Num tamen* relinquimus; et, *turbam* pro *turba* scribentes, ita explicamus totum locum: "Num igitur spoliata redigar ad numerum duorum filiorum, quæ est turba Latonæ? Quam parum hæc distat a matre spoliata suis filiis! Ergo, quum Latona numero liberorum mecum se conferre nequeat, ejus sacra relinquit, et deponit laurum qua, jubente *Manto*, crines vestros cinxistis." *Murmure*, de precante etiam 327; *tacito*, leni. Compressis labris mussitant. Loco citato: *pavido, faveas mihi, murmure dixit*, etc.

204. In *Cyntho*, Deli monte, Latona colebatur cum Apolline. Breviter Apollod. liberos *παρῳξυνε*. *Animosa*, superba. *Dubitor* Burmannus inter singularia refert. Dictum ut *imperator* et alia. De divinitate Latonæ non dubitaverat Niobe; sed ira solet maledicta alterius augere. *Arætur* Deus aris, quando ejus sacra in aris interduntur; habitare enim ibi credebatur.

Et, nisi Junoni, nulli cessura Dearum,
 An Dea sim, dubitor; perque omnia secula cultis
 Arceor, o nati, nisi vos succurritis, aris.
 Nec dolor hic solus; diro convicia facto 210
 Tantalus adjecit, vosque est postponere natis
 Ausa suis; et me, quod in ipsam recidat, orbam
 Dixit; et exhibuit linguam scelerata paternam."
 Adjectura preces erat his Latona relatis: [relas."
 "Desine," Phœbus ait, "pœnæ mora longa, que-
 Dixit idem Phœbe; celerique per aera lapsu
 Contigerant tecti Cadmeïda nubibus arcem. 217
 Planus erat, lateque patens prope mœnia campus,
 Assiduis pulsatus equis; ubi turba rotarum,
 Duraque mollierant subjectas ungula glebas.

212. *Recidat* verbum in hac re proprium, et primam interdum producit. Vide Brouckh. ad Propert. IV. viii. 44. Hujus prima syllaba semper apud recentiores corripitur; unde quidam metri corrigendi causa scripserunt, *recidat*. Veteres autem, ubi ominosi aliquid audierant, in hostes id vertere solebant. *Exhibere linguam paternam*, peccare lingua, ut pater Tantalus, divulgatis Jovis arcanis. *Magna lingua Niobæ* tribuitur ab Horatio, IV. Od. vi. 1: Apollo, quem proles Niobeæ magnæ *Vindicem linguæ sensit*.

215. *Desine*.] Desinere aliquid, id est, id deserere, ab eo desistere. Vide Heinsium ad Art. Amat. ii. 726.

216. *Phœbe*.] Diana, quæ eadem esse cum Luna dicitur. *Cadmeïda arcem*; Thebanam arcem, a Cadmo extractam. *Tecti nubibus* solent esse Dii descendentes ad puniendum, ut Apollo, II. A.

218. *Planus erat*, etc.] E priscae vitæ ritu ante urbes erant loca lata, campi, in quibus juvenes armis exer-

cebantur et cursu. Homer. II. B. 811 sqq.; Æneid. vii. 162. Homero auctore pueri æque ac filiæ in ædibus perierunt; secundum Apollod. ex Euphorione et Hygin. venantes in Cithærone monte interfecti sunt. Timagoras, apud Schol. Euripid. ad Phœn. 162. putat, a Thebanis per insidias sublato esse Amphionis liberos. Pestilentia eos esse absumptos, censet Eustath. ad Hom. d. I. Confer Pausan. Bœot. p. 721. Apollo enim sagittis suis (h. e. sol radiis) pestilentiam excitare credebatur. Nomina illorum habent Hyginus, fab. 11; Apollod. Schol. Eurip. Noster filiorum tantum nomina habet, in quibus non multum ab Apollod. discrepat. *Pulsari* dicitur campus curru et ungula equorum; confer Æneid. x. 216; Noster, infra 487. *Assiduis equis*, assiduo equorum cursu. Schirachius profert *aquis* pro *equis*, et *pulsare* explicat, alluere. Tum verbis *ubi turba* viam regiam juxta campum describi putat. At *aquis* nulla auctoritate se tuetur; neque de via, sed de ipso campo sermo est.

Pars ibi de septem genitis Amphione fortes 221
 Conscendunt in equos, Tyrioque rubentia fucō
 Terga premunt; auroque graves moderantur ha-
 benas.

E quibus Ismenos, qui matri sarcina quondam
 Prima suæ fuerat, dum certum flectit in orbem 225
 Quadrupedes cursus, spumantiaque ora coerces,
 “Hei mihi!” conclamat; medioque in pectore fixus
 Tela gerit, frenisque manu moriente remissis
 In latus a dextro paulatim defluit armo.

Proximus, audito sonitu per inane pharetræ, 230
 Frena dabat Sipylus: veluti quum præscius imbris
 Nube fugit visa, pendentiaque undique rector
 Carbasa deducit, ne qua levis effluat aura,
 Frena dabat: dantem non evitabile telum
 Consequitur; summaque tremens cervice sagitta
 Hæsit, et extabat nudum de gutture ferrum. 236
 Ille, ut erat pronus, per colla admissa jubasque
 Volvitur; et calido tellurem sanguine fœdat.
 Phædimus infelix, et aviti nominis heres

222. *Conscendunt in equos* vestibis purpureis tectos. Confer viii. 33. Seculo tamen heroico exercitationes non in equo, sed in curru instituebantur. *Fucus*, color. *Moderari* dicimus et equum frenis, et ipsa frena. BURM. *Ismenos*, a fluvio Bœotiae. *Cursus quadrupedes* poetica audacia, pro cursum equi, ipsum equum. *Certum in orbem*, in palæstra equestri usitatum. Vide ad xii. 468; Virgil. Georg. iii. 191: *Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare Compositis.*

229. *Defluunt* qui debilitati, animo delinquentes, aut morientes deciduunt. *Defluere ab equis* etiam Livius, ii. 20. Sic et *defluunt folia, capilli.*

231. *Sipylus*, a monte Sipylo. Pen-

dentia, ex antennis suspensa. Vide ad iii. 663. *Sonitum* audiebat, quia Apollo cum clangore sagittarum in pharetra incedit. II. A. 45.

234. *Non evitabile*, inevitabile, ut versu 45. *non territa*, interrita.

237. *Per colla.*] *Colla admissa* non videntur esse, in quibus frena laxata et remissa pendent, sed colla equi admissi, h. e. ad cursum incitati, quantum tunc frena laxantur. Amor. ii. 16. 50: *Per admissas jubeas. Ut erat.* Vide ad ii. 272. *Pronus*, ut x. 652. *de currente, carcere pronus emicat.* *Volve*, de eo, qui præcepit cadit. *Per*, juxta. *Fœdare*, de sanguine fuso passim.

Tantalus, ut solito finem imposuere labori, 240
 Transierant ad opus nitidæ juvenile palæstræ ;
 Et jam contulerant arcto luctantia nexu
 Pectora pectoribus, quum tento concita cornu,
 Sicut erant juncti, trajecit utrumque sagitta.
 Ingemuere simul ; simul incurvata dolore 245
 Membra solo posuere ; simul suprema jacentes
 Lumina versârunt ; animam simul exhalârunt.
 Aspicit Alphenor, laniataque pectora plangens
 Advolat, ut gelidos complexibus allevet artus ;
 Inque pio cadit officio : nam Delius illi 250
 Intima fatifero rumpit præcordia ferro.
 Quod simul eductum, pars est pulmonis in hamis
 Eruta ; cumque anima cruor est effusus in auras.
 At non intonsum simplex Damasichthona vulnus
 Afficit : ictus erat, qua crus esse incipit, et qua
 Mollia nervosus facit internodia poples ; 256
 Dumque manu tentat trahere exitiabile telum,
 Altera per jugulum pennis tenus acta sagitta est :
 Expulit hanc sanguis, seque ejaculatus in altum
 Emicat, et longe terebrata prosilit aura. 260

240. *Labori.*] Agitationi equorum. *Transierant ad opus palæstræ* juvenes, jam finitis exercitationibus campestribus ; apud Romanos natæ etiam solebant per Tiberim. Horat. I. Od. viii. Luctantes in palæstra oleo ungebantur, ut mollirentur artus, hinc *nitida* ; et Heroid. xi. 19. *uncta palæstra*.

242. *Et jam contulerant ; jam luctari cœperant.* De *nexu* luctantium, vide ad ix. 52.

246. *Suprema lumina*, morientes oculos.

248. *Alphenor.*] Apollodorus, *Alphenor*. *Laniata plangens*, plangens sic, ut laniaret. Vide ad i. 32. Frequenter *laniare* de *στυπνορρηξία* sive *planc-*
VOL. III.

tu. Cædebant enim pectora et laceratos, ut liverent ; confer versum 279.

253. *Cumque anima*, etc.] Virgilius, *Æneid.* ii. 532. *multo vitam cum sanguine fudit* ; et ix. 349. *Purpuream vomit ille animam* : ex mente illorum, qui sanguinem animæ sedem esse opinabantur.

254. *At non intonsum.*] *Æneid.* ix. 181. *ornatus : Ora puer prima signans intonsa juventa*. Recte *poples* vocatur *nervosus* quia ibi plurimi nervi : vide *Burm annum*. *Internodia*, spatium inter nodos, qui crus et poplitem colligant.

260. *Terebrata prosilit.*] Supra iv. 124. *sanguis e vulnere emicans icti-*

X x

Hyginus, Archon (Fab. 11.) - 2

Ultimus Ilioneus non profectura precando
 Brachia sustulerat; "Dique o!" communiter om-
 Dixerat, ignarus non omnes esse rogandos, [nes
 "Parcite!" motus erat, quum jam revocabile telum
 Non fuit, Arcitenens; minimo tamen occidit ille
 Vulnere, non alte percusso corde sagitta. 266
 Fama mali, populique dolor, lacrimæque suorum
 Tam subitæ matrem certam fecere ruinæ,
 Mirantem potuisse, irascentemque, quod ausi
 Hoc essent Superi, quod tantum juris haberent;
 Nam pater Amphion, ferro per pectus adacto, 271
 Finierat moriens pariter cum luce dolorem.
 Heu! quantum hæc Niobe Niobe distabat ab illa,
 Quæ modo Latois populum submoverat aris,
 Et mediam tulerat gressus resupina per urbem,
 Invidiosa suis; at nunc miseranda vel hosti, 276
 Corporibus gelidis incumbit; et ordine nullo
 Oscula dispensat natos suprema per omnes.

bua aera rumpit, hoc autem loco, *terebrat*, perforat *auram*. Sed verba temere cumlâsse videtur fœcundum Ovidii ingenium: sanguis *se ejaculatur*, *emicat*, *prosilît*, *terebrat auram*. Paulo post in *minimo vulnere* ludit Ovidius.

268. *Tam subitæ ruinæ*; strages tot filiorum egregie carorum; *certam fecere* admonuere. *Miratio* in summo dolore vix locum habebat. Verius ver. 280 seq. ejus affectus expressus.

271. *Amphion* apud Lucianum, de Saltat. 41. præ dolore ad insaniam adigitur; inde forte ipse ferrum per pectus adegit; quanquam hæc verba etiam ex Apollod. explicari possint, *ἔροξεῖθθῆ δὲ καὶ Ζῆθος καὶ Ἀμφίων*. Auctore Hygino, fabula 9. quum Apollinis templum expugnare vellet, interficitur ejusdem Dei telis. Secun-

dum Timagoram cæsus est a Spartis. *Dolorem* Lenzius intelligit e vulnere conceptum: malim, e jactura liberorum. Niobe dolet, sed Amphion finit dolorem: sed ne morte quidem dolorem finire potuit; apud inferos enim ejus contumeliæ, qua Niobe Latonam affecit, pœnas pendere credebatur: Pausanias, Bœot, p. 721.

273. *Hæc Niobe*, quasi alia esset; *Æneid. ii. 274. quantum mutatus ab illo Hectore*. Magnam autem vim habet pristinae et præsentis fortunæ comparatio. *Pristinae* repetendæ immoratur. *Resupina*. Vide ad versum 169. *Invidiosa*; quum in summa nostra felicitate etiam nostri dicere soleant, Invideo tibi hanc sortem. *Dispensantur*, quæ per partes ac vices fiunt, non uno momento. Horat. I. Od. xxxvi. 6. *dividere oscula*.

A quibus ad cœlum liventia brachia tendens,
 “Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore, 280
 [Pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu,]
 Corque ferum satia,” dixit: “per funera septem
 Efferor: exulta, victrixque inimica triumphâ.
 Cur autem victrix? miseræ mihi plura supersunt,
 Quam tibi felici: post tot quoque funera vinco.”
 Dixerat: insonuit contento nervus ab arcu; 286
 Qui, præter Nioben unam, conterruit omnes:
 Illa malo est audax. Stabant cum vestibus atris
 Ante toros fratrum demisso crine sorores:
 E quibus una, trahens hærentia viscere tela, 290
 Imposito fratri moribunda relanguit ore:
 Altera, solari miseram conata parentem,
 Conticuit subito, duplicataque vulnere cæco est;
 [Oraque compressit, nisi postquam spiritus exit.]
 Hæc frustra fugiens collabitur; illa sorori 295

280—282. *Pascere*, etc.] Heinsius censuit tollendum versum 282. quem commenti sint, qui non intellexerint, quantum esset acuminis in illo, *Efferor*; aut, si quis malit, posse præcedentem deleri. Certum est, non posse utrumque versum *Pascere, ait*, et *Corque*, etc. genuinum esse. Heinsius posteriorem uncis inclusit, ego priorem, quia ille acerbior, et quia *efferor* (sensu funebri,) perspicuitatis causa, verba *per funera septem* postulat. Cæterum *pasci* et *ferum* sic conjunxit etiam Claudian. xxii. 14. ubi Dea Clementia docet, *ut pœnis hominum vel sanguine pasci Turpe ferumque putes. Victrixque*; voti compos: hinc autem stulta Niobes superbia colligitur, quæ ne filiorum quidem morte in Deos maledicta jactare desinat.

286. *Arcus*, nempe Dianæ, a qua filias interfectas esse cæteri auctores

tradunt, atque Noster ipse, ver. 215 sqq. haud obscure indicat. Perierunt autem illæ, etiam Homero auctore, in regia. Nomina earum Ovidius retinet. Portas Thebarum ab iis esse appellatas, narrat Hygin.

288. *Atræ vestes* in luctu mulierum priscarum. Vide *Winkelmann, Histoire de l'Art chez les Anciens*, p. 77. *Demisso crine*; dissolutis capillis, ut fieri solet in luctu. *Toros*, lectulos, in quibus erant ad funus compositos.

293. *Duplicari*.] Ut Græce *πρὸς-σεσθαι*, pro incurvari: vide Burmannum ad hunc locum, et Heynium ad Virgilium, *Æneid.* xi. 645. qui observat esse Homericum *ἰδνοῦσθαι*; Valerius Maximus, v. 1. *duplicatum frigore corpus*. Idem Virgilius, *Æneid.* xii. 926. *incidit ictus—duplicato poplite Turnus*. Confer et Gronovii *Observat.* iv. p. 747.

Immoritur : latet hæc ; illam trepidare videres :
 Sexque datis leto, diversaque vulnera passis,
 Ultima restabat, quam toto corpore mater,
 Tota veste tegens, “ Unam, minimamque relinque ;
 De multis minimam posco,” clamavit, “ et unam :”
 Dumque rogat, pro qua rogat, occidit : orba resedit
 Exanimes inter natos, natasque, virumque ; 302
 Diriguitque malis : nullos movet aura capillos :
 In vultu color est sine sanguine : lumina mœstis
 Stant immota genis : nihil est in imagine vivi. 305
 Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
 Congelat, et venæ desistunt posse moveri ;
 Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,
 Nec pes ire potest : intra quoque viscera saxum est.
 Flet tamen, et validi circumdata turbine venti 310
 In patriam rapta est ; ubi fixa cacumine montis
 Liquitur, et lacrimas etiamnum marmora manant.

298. *Ultima restabat*, etc.] Ex Argivorum traditione duæ servatæ erant, Melibœa, postea Chloris dicta, et Amycla, hæque templum Latonæ extruxerant. Vid. Pausanias, Corinth. p. 160. qui addit, se Homerum sequi, qui nullam superfuisse memoret. Hyginus, fabula 10. tradit, unam Chlorin, nuptam Neleo, superstitem fuisse, eademque Chloris occurrit Homero, Od. A. 180. Apollodorus auctor est, etiam unum filium servatum, Amphiona. Sic fere et Elidenses. Pausan. v. p. 417.

303. *Diriguit*, naturam saxeam accepit, ut v. 186. Sed idem et de iis ponitur, quos summus dolor aut metus invadit. vii. 115. Eoque sensu ab initio dicta videtur Niobe diriguisse. Vide ad 146. Secundum Nostrum Thebis mutata et vento in Sipyllum translata est ; quod mireris. Apud

alios auctores, relictis Thebis, ad patrem redit, et in ipso Sipylo, quum ipsa hoc a Jove petiisset, fit lapidea. Secundum Homerum, *diriguit* etiam populus.

306. *Lingua* ; quæ peccat pars, luat pœnas.

311. *Montis*, Sipyli. Ibi perpetuo flere credebatur. *Lacrimas* ; vulgo *lacrimis* (ita quoque Regii nostri.) *At manare* passim cum casu quarto reperitur : vide Heinsium, qui plura hujusce syntaxis exempla refert. Nostrum expressit Seneca, Agamemnone, 371. ubi de Niobe : *Stat nunc Sipyli vertice summo Flebile saxum, Et adhuc lacrimas marmora fundunt Antiqua novas.* Confer et Propert. II. xvi. 7. Fontem fabulæ ostendit Pausan. Attic. p. 49. ubi narrat, se, ut Nioben spectaret, ascendisse in Sipyllum montem, ibique vidisse rupem præcipitem, quæ

III. Tum vero tanti manifestam numinis iram
 Femina, virque timent; cultuque impensius omnes
 Magna gemelliparæ venerantur numina Divæ: 315
 Utque fit, a facto propiore priora renarrant.
 E quibus unus ait: Lyciæ quoque fertilis agris
 Haud impune Deam veteres sprevere coloni.
 Res obscura quidem est ignobilitate virorum;
 Mira tamen: vidi præsens stagnumque locumque
 Prodigio notum; nam me jam grandior ævo, 321
 Impatiensque viæ genitor deducere lectos
 Jusserat inde boves; gentisque illius eunti
 Ipse ducem dederat: cum quo dum pascua lustrò,
 Ecce lacus medio, sacrorum nigra favilla 325
 Ara vetus stabat, tremulis circumdata cannis.

procul stanti imaginem mulieris mœstæ et lacrimantis exhibebat. Similiter Quintus Smyrnæus, i. 292 sqq. Apollodorus et Hyginus. Idem confirmavit Chandler in Itiner. Confer et Sophocles, Antig. 835.

313—381. *Tum vero*, etc.] Lyciam hanc fabulam Menecrates Xanthius in Lyciacis narraverat. Inde eam hausit Nicander, et ex eo Antoninus, qui vero in nonnullis dissentit. Confer et Probus ad Virgil. Georg. i. 378. et Servius ad eundem locum, qui, forte memoria lapsus, tradit, Ovidium de Cerere Proserpinam quærente hanc fabulam retulisse. Forte ara Latonæ in stagno quodam ranis abundante hunc mythum peperit. *Manifestam*, factis declaratam. *Gemelliparæ*, Latonæ, quæ gemellos uno partu edidit; aptum Latonæ epitheton, quod etiam Fastis, v. 452; sed vix apud alium auctorem occurrit.

316. *A facto propiore*, etc.] A facto recentiore sumunt occasionem repetendi alia, eaque antiquiora. *Renarrant* (ita in Regiis nostris.) Burman-

aus e tertio Gronoviano et Barb. probat *retractant*, quod non modo sermonibus, sed etiam animo repetere significet. De hoc verbo alibi dictum. Id tuor et nunc, quia de sermonibus tantum agitur. Quoniam autem res omnis in Græcia geritur, ut e ver. 401 sqq. apparet, ille *unus* fuit haud dubie ex Lydiis iis, qui Nioben in Græciam comitati erant. Bene autem, vel varietatis causa, narrantem aliquem inducit, qui peregrinans in ipsa Lycia fabulam cognoverat, factique monumentum ipse viderat. Etiam e Phrygia commode nos deducit in Lyciam.

320. *Vidi præsens*.] Confer viii. 622. Sæpe Noster *locum* conjungit cum voc. rei, quæ est in loco, ut docet Burmannus. *Impatiens viæ*, qui molestias longinqui itineris ferre non potest. Glareanus eum lanium fuisse putat. Immo olim magna pars divitiarum in armentis cernebatur. *Gentisque illius*. *Lycium* mihi itineris ducem addit.

326. *Tremulæ*, quas huc illucve agi-

Restitit, et pavido, Faveas mihi, murmure dixit
 Dux meus; et simili, Faveas, ego murmure dixi.
 Naiadum, Faunine foret tamen ara rogabam,
 Indigenæne Dei; quum talia reddidit hospes: 330
 “ Non hac, o juvenis, montanum numen in ara est.
 Illa suam vocat hanc, cui quondam regia Juno
 Orbem interdixit; quam vix erratica Delos
 Orantem accepit, tum quum levis insula nabat.
 Illic, incumbens cum Palladis arbore palmæ, 335
 Edidit invita geminos Latona noverca.
 Hinc quoque Junonem fugisse puerpera fertur,
 Inque suo portasse sinu, duo numina, natos:
 Jamque Chimæiferæ, quum sol gravis ureret arva,
 Finibus in Lyciæ, longo Dea fessa labore 340

tant venti, ut ii. 875. *tremulæ sinuantur flamine vestes.*

327. *Resistere*, consistere, subsistere. Vide Schwarzium ad Plinii Paneg. x. 4. *Pavido*, convenienter dictum religioni paganorum, qui metu et pavore Deos colebant. De *murmure*, vide ad versum 203. *Faveas* et *propitius sis* formulæ solennes precationis.

330. *Indigena*, *χθόνιος*, homo ejus terræ propter merita inter Deos relat-
 tus, Deusque terræ tutelaris factus. Is *indigetari*, invocari pro patriæ salute, dicebatur. *Reddidit*, respondit, ut supra. *Montanum numen*; qualis est Faunus.

333. *Orbem* revocavi auctoritate plurimorum MSS. et Schol. MS. Senec. ad Agam. 371: namque *interdicere* et accusativum adjunctum sibi habet. *Erratica Delos*; vide ad versum 190. Confer Callim. h. Del. 36 sqq. *Orantem* potest explicari ex Homeri hymno ad Apoll. 51 sqq. Et videtur h. l. esse significantius. Schi-
 rachius tamen cum Pontano mallet

errantem, more Ovidiano. Etiam Lactantius, in Argumento, *errantem* memorat; et ab *erroribus* nota Latona. Confer 190.

335. *Palmam* solam memorant Homerus, hymno Apoll. 117; Callimachus, h. Del. 210: sed Eurip. Hec. 458. *oleam* (*Palladis arborem*) et *lauream* addit. Cum Nostro consentit Schol. Hom. ad Il. A. 9. Plutarchus vero, in Pelop. p. 286. tradit, duos fontes esse in Delo; quorum alterum *Palmam*, alterum *Oleam* dicant; inter hos, non inter arbores, peperisse *Latonam*.

339. *Chimæiferæ* vocatur Lycia, quia ibi *Chimæra*, mons indesinenter ignem vomens. Plin. ii. 106. Sed a poetis describitur ut monstrum triforme, caput leonis, corpus capræ, caudam draconis habens, et ignem faucibus evomeas: Lucret. v. 902. A *Chimæra* autem Lycia in primis olim memorabilis, ut e Geographis apparet. *Sol gravis*, de æstu. *Siccus*, *aridus*, et *αβαλῆος*, de sitiente. *Colligere sitim*, ut v. 446.

Sidereo siccata sitim collegit ab æstu ;
 Uberaque ebiberant avidi lactantia nati.
 Forte lacum melioris aquæ prospexit in imis
 Vallibus : agrestes illic fruticosa legebant
 Vimina cum juncis, gratamque paludibus ulvam.
 Accessit, positoque genu Titania terram 346
 Pressit, ut hauriret gelidos potura liquores.
 Rustica turba vetant. Dea sic affata vetantes :
 ‘ Quid prohibetis aquis? usus communis aquarum :
 Nec solem proprium Natura, nec aera fecit, 350
 Nec tenues undas : ad publica munera veni ; [tros
 Quæ tamen, ut detis, supplex peto : non ego nos-
 Abluere hic artus, lassataque membra parabam,
 Sed relevare sitim : caret os humore loquentis,
 Et fauces arent ; vixque est via vocis in illis ; 355
 Haustus aquæ mihi nectar erit ; vitamque fatebor
 Accepisse simul ; vitam dederitis in unda.

343. *Forte lacum*, etc.] Apud Antoninum venit ad Melitem (apud Probum, ad Melam) *fontem*, ejusque aqua uti vult ad abluendos infantes ; sed prohibita a bubulcis, infantes portat ad Xanthum fluvium, et inde reversa pastores lapide percussos mutat in ranas. Sed majorem commiserationem Ovidii figmentum facit. *Melioris*, non male se habet ; quum enim lacus turbidam fere aquam habeant, non temere monetur, Latonam a *meliore* aqua invitatum esse ad bibendum. Et *melior* certo respectu legitur etiam i. 79. Burmannus putat, assentiente Verheyk ad Anton. in *melioris* latere nomen *Meliten*. Codices nostri habent *mediocris*. Heinsianæ conjecturæ et Cl. Gierig opinioni tantisper adhæreamus : quid significat epitheton *melioris*? quod, quum comparationem indicet, ibi minime convenire potest, ubi nulla aquæ

cujuslibet mentio facta fuit. Porro epitheton *mediocris* apprime consentit cum sequentibus versibus, 363 et 364 : dicitur enim incolas *pedibusque manaque turbavisse lacus, imoque e gurgite*, etc. et his verbis innuitur lacum fuisse *mediocrem*. Jam diximus Heinsii conjecturis sæpe infelicibus textum Ovidianum fuisse subversum.

348. *E turba vetante* a Probo commemoratur Neocles pastor.

349. *Quid prohibetis*, etc.] Oratio fortis ad persuadendum et movendum. *Communis usus* ; libro i. 135 : *Communem—humum longo signavit limite mentor*. Paulo post, in versu 353, pro *artus*, vir doctus, in Ephemer. lit. Norimb. conject. *natos*, quia sequitur *lassata membra*. Ita respexit poeta auctores illos fabulæ quos deseruit. *Vixque est via* ; vix præ siccitate vox permeat.

357. *Dederitis* ; in hoc vocabulo

Hi quoque vos moveant, qui nostro brachia tendunt
 Parva sinu.' Et casu tendebant brachia nati.
 Quem non blanda Deæ potuissent verba movere?
 Hi tamen orantem perstant prohibere; minasque,
 Ni procul abscedat, conviciaque insuper addunt.
 Nec satis hoc: ipsos etiam pedibusque manuque
 Turbavere lacus; imoque e gurgite mollem
 Huc illuc limum saltu movere maligno. 365
 Distulit ira sitim: neque enim jam filia Cœi
 Supplicat indignis; nec dicere sustinet ultra
 Verba minora Dea; tollensque ad sidera palmas,
 'Æternum stagno,' dixit, 'vivatis in isto.'
 Eveniunt optata Deæ: juvat îsse sub undas; 370
 Et modo tota cava submergere membra palude;
 Nunc proferre caput; summo modo gurgite nare:
 Sæpe super ripam stagni considerare; sæpe
 In gelidos resilire lacus: et nunc quoque turpes
 Litibus exercent linguas; pulsoque pudore, 375

Ovidius sæpe penultimam producit. Regii nostri Codices nihil mutant, nisi quod Codex A habeat *in undis* pro *in unda*; nullum exemplum *dederitis* novi apud Nostrum: sed, ii. 516. *videritis*; iv. ex P. V. 45. *dixeritis* habent τὸ ρι correptum. De hujus syllabæ metro certant critici; forsân hoc loco *dederitis* fuit productum ex *Annal. v. fragm. Ennii*, qui: *Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis. Simul; vitam dederitis in unda*; postquam mihi vitam aquis instauraveritis.

358. *Hi quoque vos moveant.*] Infantes enim Apollinem et Dianam illis ostendit ut saltem eorum ætate moveantur.

366. *Distulit sitim; sic differre iram. Verba minora*, ut supra 151. *verbis minoribus.*

370. *Juvat îsse sub undas.*] Secun-

dum Lactantium, in Argumento, Jupiter eos transformat. *Juvat*, quia jam induunt naturam ranarum, quibus volupe est sub aquas ire. Præclare lusum ranarum et coaxationes describuntur. *Proferre caput*, ut Phædrus, I. fab. ii. 17. suavissime: *Forte una tacite profert e stagno caput*; ubi singula verba delecta sunt, et vim habent. *Considerare*. Nostris Regiis, *consistere*, quod mihi oppositum magis videtur verbo *resilire*, in versu sequenti. *Exercent linguas litibus*, adhibent linguas ad *lites*, jurgium, cui coaxatio similis, quæ etiam a Phædro, I. vi. 5. *convicium* vocatur. Servius, dicto loco (*Georg. i. 378.*) hæc ait de his rusticis: *Quum contra eam emitterent turpem naribus sonum, illa irata eos convertit in ranas: quæ nunc quoque ad illius soni imitationem coaxant.*

Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant. [mescunt;

Vox quoque jam rauca est; inflataque colla tu-
Ipsaque dilatant patulos convicia rictus.

Terga caput tangunt; colla intercepta videntur;
Spina viret; venter, pars maxima corporis, albet:
Limosoque novæ saliunt in gurgite ranæ.” 381

IV. Sic ubi nescio quis Lycia de gente virorum
Rettulit exitium; Satyri reminiscitur alter,

376. *Sub aqua, sub aqua*; quæ repetitio ranarum coaxationem non ineléganter exprimit. *Intercepta*, quasi absorpta et e medio tergo sublata; nam ranæ collo carent. Elegans est hic hujus verbi usus: confer Schwarzium ad Plinii Panegyri. 16. *Spina viret*; tergum viride est.

382—400. *Marsyas in flumen.*] Tres musicos celebres habuit Phrygia, Hyagnidem, Marsyam ejus filium (male enim eum Hyginus Æagri; Apollodorus autem et Palæphatus Olympi filium faciunt) et Olympum, Marsyæ et discipulum et amasium; de quibus eorumque inventis Plutarchus, de Musica, et Casaubonius, ad Athenæum, xiv. 2. adeundi. Ac Hyagnis quidem in Marm. Arund. Ep. x. tempore Erechthonii Celænis, urbe Phrygiæ, tibias, modosque Phrygios primus reperisse traditur. Marsyas non modo alios modos invenit, Pausan. Phoc. p. 873; sed auctor etiam fistulæ, quæ cera adglutinatur, exhibetur apud Athenæum, iv. p. 174. Neque dubium est, tibiam esse Phrygium inventum, certe e Phrygia in Græciam allatam; passim enim apud Græcos et Latinos auctores *barbara* aut *Phrygia tibia*, item *Phrygii modi*, etc. occurrunt: vide Spanhem. ad Callimachi hymnum ad Dian. 245. Marsyæ autem fabula, quam Noster brevis justo narrat, legitur etiam apud Herodotum,

VOL. III.

vii. 26; Apollodorum, I. iv. 2; Diodorum Sic. iii. p. 192; Hyginum, fab. 165; Palæphatum, cap. 48; Fulgent. iii. 9. qui mystice fabulam interpretatur. Gloss. MS. in Fulgent. Confer Noster, Fast. vi. 696 sqq. ibid. 551. Injuste eum damnatum dicit Lucianus, in Dialogo Junonis et Latonæ. *Lycia* — *virorum* referendum ad *exitium*. *Satyrius* est ipse Marsyas. Hygino, *Marsyas pastor, unus ex Satyris*; unde eum pictum cum cauda porcina auctor est Fulgentius. *Silenum* eum vocat Herodotus dicto loco. *Arundo*, tibia, quæ tum ex aliis rebus, loto, buxo, etc. tum ex arundinis genere, inde dicto *ἀβλητικῆ* (Theophrast. Hist. Plant. iv. 12.) fieri solebat. Eam inter Græcos *Tritonia* sive Minerva reperisse credebatur, et quidem ex hinnulorum ossibus. Bion, Id. iii. 7; Callimachus, hymno ad Dian. 244; Schol. Pindari ad Pyth. Od. xii: quam ob deformitatem vultus ex flatu intumescentis a Dea abjectam excepit Marsyas. Is quum eam inflare didicisset (Noster, Fast. vi. 703 sqq.) primum certavit cum Musis, mox cum ipso Apolline coram Musis iudicibus. Ab initio vicit Marsyas, sed quum Apollo citharam versaret, hoc est, interprete Salmasio, ad Solin. p. 119. ad aliud modulationis genus citharam accommodaret, Marsyam ars sua destituit.

Y y

Quem Tritoniaca Latoïus arundine victum
 Affecit pœna. “ Quid me mihi detrahis?” inquit:
 “ Ah piget! ah non est,” clamabat, “ tibia tanti!”
 Clamanti cutis est summos derepta per artus;
 Nec quidquam nisi vulnus erat: cruor undique
 manat:

Detectique patent nervi; trepidæque sine ulla
 Pelle micant venæ: salientia viscera possis, 390
 Et perlucentes numerare in pectore fibras.
 Illum ruricolæ, silvarum numina, Fauni,
 Et Satyri fratres, et tunc quoque clarus Olympus,
 Et Nymphæ flêrunt; et quisquis montibus illis
 Lanigerosque greges, armentaque bucera pavit.
 Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas 396
 Concepit lacrimas, ac venis perbibit imis;

385. *Quid me mihi detrahis?*] Quid cutem meam mihi detrahis? Sic irruit in mediam rem; sed lusum adhibet intolerabilem. Similiter v. 546. *sibi ablatus. Non est tibia tanti!* non erat, cur tibia canere discerem, quum mihi causa exitii sit. Vide Valken. ad Euripidem, Hippol. 441.

387. *Cutem* ei detraxit vel ad pinum, vel ad platanum (quæ Plinii adhuc ætate ostendebatur. Plinius, xvi. 44.) ligato. *Ea cutis* suspensa est ab Apolline Celænis. Herodotus, d. 1.; Lucanus, Phars. iii. 206; Ælianus, xiii. 21. Apud Hyginum, membratim discerpitur. Sequitur descriptio fœdæ istius operationis, quæ Romanis fortasse placuit, quorum oculi sanguini assueti erant, sed nostris vix probabatur.

390. *Salire et micare et trepidare* verba, quum de motu cordis et venarum agitur, usurpantur: vid. Ciofanus et Burmannus. *Viscera*, cor.

393. De *Olympo*, discipulo Mar-

syæ, vide, præter superius laudatos, Eustath. ad Homerum. II. A. p. 21. Pausanias, Phoc. p. 873. tabulam Polygnoti describit, in qua Marsyæ assidebat Olympus, habitu adolescentis ita, ut tibiis discere videretur. Invenit modos ad tibiam, qui commemorantur ab Euripide, Iph. Aul. 576; ubi vide Barnes. *Is tunc quoque*, vivente adhuc magistro, *clarus* esse cœpit. Apud Hyginum, Marsyæ corpus discerptum ei sepeliendum traditur. Et ipse in monumentis antiquis sæpe occurrit. Heynius in *Antiqu. Aufs.* P. ii. p. 69. *Nymphæ*. Apud Athenæum, xiv. 2. *Nympha* genitus fuisse narratur. *Bucera armenta*, boves. *Bucera*, cornuta, e græcis βούς et κέρας vocabulis; Lucret. ubi *bucera secla*, et *buceriæ greges* occurrunt.

396. *Caducas*, decidentes, ut *foli caduca*. *Concepit*. *Excepit*. *Venis perbibit imis*; venas terræ puta esse meatus aquarum et spirituum.

Quas ubi fecit aquam, vacuas emisit in auras :
 Inde petens rapidum ripis declivibus æquor,
 Marsya nomen habet, Phrygiæ liquidissimus amnis.

V. Talibus extemplo redit ad præsentia dictis
 Vulgus; et extinctum cum stirpe Amphiona lugent.
 Mater in invidia est: tamen hanc quoque dicitur
 unus [quam

Flësse Pelops; humeroque, suas ad pectora post-
 Deduxit vestes, ebur ostendisse sinistro. 405

Concolor hic humerus, nascendi tempore, dextro,
 Corporeusque fuit: manibus mox cæsa paternis
 Membra ferunt junxisse Deos, aliisque repertis,
 Qui locus est juguli medius summique lacerti
 Defuit: impositum est non comparentis in usum
 Partis ebur; factoque Pelops fuit integer illo. 411

399. *Ripis declivibus*, pronis atque inclinatis.

400. *Marsyas* fluvius haud procul a Celænis, ubi habitavit Marsyas musicus, in Mæandrum influit. Vid. Livius, xxxviii. 13; Curtius, III. i; Palæphatus, d. l. Sed secundum alios non e lacrimis popularium, verum ex ipsius sanguine fluvius ille ortus est. Plutarchus, de Fluminibus, ex Alex. Cornelio addit, et Satyros ortos ex ejus sanguine.

401—411. *Pelopsis humerus eburneus.*] Pelops, Tantali filius, tempore Acrisii in Græciam venit, ibique et magnitudine divitiarum, quas secum advexerat, et multitudine liberorum tantam consequutus est potentiam famamque, ut Peloponneso nomen daret. Thucyd. i. 9; Plutarch. Thes. p. 2. Sed hic de humero ejus fabulose agitur. Tantalus enim, quum Deos aliquando convivio excepisset, velletque eorum divinitatem experiri, Pelopis filii membra cocta reliquisque cibis admixta iis apposuit. Quod fœdum

facinus quum animadvertissent Dii, membra rursus composuerunt præter humerum, quem Ceres consumpserat. Eburneus igitur ei humerus datus. Confer Lycophron. Cass. 159; Hyginus, fab. 83; Servius, ad Virgilium, Georg. iii. 7; Schol. Pindari, ad Olymp. i. Impiam et incredibilem eam fabulam judicant Pindarus, d. l. et Euripides, Iphig. Taur. 387 sqq. Forte poeta aliquis humerum ejus *eburneum* vocaverat, ut pulchrum significaret.

403. *Mater*, Niobe, cujus frater *Pelops*. Is præ luctu vestem deducit, atque ita humerus ejus apparet. Sic intruditur potius, quam intexitur fabula. *Ad pectora deduxit vestes*. Ita, libro iii. 480. *summa vestem deducere ab ora*, quod fiebat planctus causa.

409. *Qui locus*, etc. scapula. Lucianus *ὀμοπλάτην* habet. De syntaxi *juguli medius et lacerti*, vide ad v. 644. *Facto illo*, illo Deorum beneficio. *Integer*; cui nullum membrum deest, *ὀλόκληρος*.

VI. Finitimi proceres coeunt; urbesque pro-
Oravere suos ire ad solatia reges, [pinquæ
Argosque, et Sparte, Pelopeïadesque Mycenæ,
Et nondum torvæ Calydon invisæ Dianæ, 415
Orchomenosque ferax, et nobilis ære Corinthos,
Messeneque ferox, Patræque, humilesque Cleonæ,

412—676. *Procne, Philomela et Tereus in aves.* Pandion II. Cecropis II. filius, pater Ægei, qui regnavit anno 1333. ante ær. Chr. filias habuit *Procnen* et *Philomelam*, quarum priorem *Tereo* Thraci, ut opes suas stabiliret, in matrimonium dedit. Sic Pausanias, Attic. p. 13; verum Noster intellexit Pandionem I. Erichthonii filium, qui fuit annis 130 antiquior. Nam infra, versu 677. ejus successorem facit Erechthea. Sic etiam Apollodorus; et hanc Ovidianam rationem probat Meursius, Regn. Attic. lib. ii. cap. 4 et 5. Fabulam tractaverant Æschyl. et Sophocles. Respicit eam etiam Hesiodus, *Epy. 568. Confer Pausan. Attic. p. 13. 100; Phoc. p. 807; Apollod. iii. xiv. 8; Eustath. ad Od. p. 710; Tzetz. Chil. vii. 142; Hygin. fab. 45. Diversum mythum in suavi similitudine memorat Homerus, Od. T. 518. ubi Pandarei filia in lusciniam mutata luget Itylum filium, quem imprudens ære interfecit. In alia discessit etiam Boeus apud Anton. Lib. cap. 11. Ex mente Pausan. Tereus ipse mortem sibi conscivit, et in tumulo ejus prima upupa visa est. Mulieres autem, quæ Athenas fugerunt, ibique præ dolore contabuerunt, in hirundinem et lusciniam mutatæ creduntur, quod hæ aves cantus miserabiles et luctuosos edunt.

413. *Ad solatia*, scilicet danda, irent consolatum. Simili transitu jam usus est, i. 577. Tales autem urbium catalogi passim inseruntur.

414. *Mycenas* tenuerunt *Pelopis* posterius, Eurystheus, Atreus, Thyestes,

Agamemnon. *Argos, Sparte* et *Mycenæ* etiam ab Homero et ab aliis sic uno versu comprehenduntur, quoniam hæ tres urbes Junoni in primis caræ. *Calydon*, Ætoliæ oppidum, in quo *Diana Laphria* potissimum colebatur. Ejus Deæ signum memorabile Augustus sublato Patrensibus donavit. Pausan. Messen. p. 357; Achaic. p. 569. Tum nondum *invisæ torvæ*, iratæ, *Dianæ*. Vide ad viii. 272 sqq. Similiter, ii. 219. *nondum Æagrius*.

416. *Orchomenos*.] Duæ fuere in Græcia hujus nominis urbes, altera in Arcadia, altera in Bœotia, *Orchomenos* *Minyeia* dicta. Equidem cum *Micyllo* et *Burmanno* puto, *Ovidium* *Arcadicam* in mente habuisse, ejus situs et memorabilia a Pausania, *Arcad.* p. 626. describuntur. Ab Homero, *Il. B.* 600. vocatur *πολύμηλος*; a *Pindaro*, *Olymp. Od.* xiv. 4. *λιπαρά*; ab *Apollonio Rhodio*, *iii.* 512. *ἀφνειός*, et hinc a Nostro, *ferax*. *Nobilis ære*. Si *æs Corinthium* casu ortum est, quum urbs a *Mummio* cremaretur (*Flor.* ii. 16.) quomodo jam tum *nobilis ære* esse potuit? Neque e veriore ratione eorum, qui diu ante Corinthi excidium arte repertum illud æs censebant, *Plinius*, xxxiv. 2. illo tempore sic dici poterat; sed Noster suo more eam designavit a re, qua postea demum inclaruit.

417. *Ferox* ob suscepta toties pro libertate bella; et ne victi quidem *Messenii* aliquoties domari potuerunt. *Cleonæ* sita inter *Corinthum* et *Argos*. *Humiles*, parvæ. Pausanias, *Corinth.* p. 142. *πόλις οὐ μεγάλη*, sed ea bene

Et Nelea Pylos, neque adhuc Pittheia Trœzen,
 Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab isthmo,
 Exteriusque sitæ bimari spectantur ab isthmo.
 Credere quis possit? solæ cessâstis Athenæ. 421
 Obstitit officio bellum, subvectaque ponto
 Barbara Mopsopios terrebant agmina muros.
 Threicius Tereus hæc auxiliaribus armis
 Fuderat; et clarum vincendo nomen habebat: 425
 Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem,
 Et genus a magno ducentem forte Gradivo,

munita. *Nelea Pylos*; vide ad ii. 689. *Trœzen*, cujus rex tum nondum erat *Pittheus*, Pelopis filius.

419. *Quæque urbes*, etc.] Exornavit illud: urbes ab utraque isthmi parte, urbes Peloponnesi et Græciæ proprie sic dictæ. Accommodate isthmi et peninsulæ naturæ claudi. Etiam a Cicerone, *Bul. l. et Velleio, l. iii. 3.* isthmus et Corinthus ibi sita *claustra Peloponnesi* vocantur. Et spectantur *sitæ*, exquisitius, quam, *sitæ* sunt. *Bimari*. Vide ad v. 407. Etiam talibus repetitionibus, qualis est in *bimari ab isthmo*, delectatur Ovidius.

421. *Quis possit?*] Quæritur, quis Pandioni bellum intulerit? Meursius, *Regn. Att. lib. i. cap. 4.* Labdacum fuisse docet, et sic Apollod. diserte tradit. Sed recte Burmannus monet, hujus agmina nec *barbara*, nec *subvecta*, aut, si cum aliis MSS. malis, *subjecta ponto* dici potuisse. *Micyllus* contendit, Amazonas intelligendas, quæ in campis Themiscyniis (*Justin. ii. 4.*) non procul a *Ponto Euxino* habitaverint. At quis de hac Amazonum expeditione in Pandionis terram unquam audivit? Fortasse res expediri nequit; dicam tamen, quid repererim. *Pausanias, p. 100.* tradit, ejus Græciæ, quæ postea Hellas dicta, magnam partem olim tenuisse *Barbaros*, quos

Tereus subigere non potuerit. Hi si ad sinum Saronicum aut Corinthiacum habitârunt, *ponto subjecti* dici poterunt. Consentit Lactantius, *Argument. Quam a proximis*, inquit, *civitatibus oppugnaretur Pandion. Mopsopii*, Athenienses, ut libro v. 661. Verum ante Theseum Athenæ *muros* non habuerunt. Præfert ergo Burmannus ex uno *mandras*, id est, vel stabula, vel antra, specus; priscos enim Athenienses habitâsse in specubus, ut docuerit Meursius, *Fort. Att. cap. 3.* Verum mihi parum credibile videtur, Ovidium tam contemptim de Athenis loquutum esse. Neglexit potius poeta, quod centies fecit, temporis rationem.

424. *Threicius*, Thraciæ rex. Thracæ tum eam partem tenebant quæ *Daulis* in Phocide dicebatur. Confer *Thucydides, ii. 29*; *Pausanias, p. 100. Fuderat*. Plusquamperfectum sic et alibi, ut *ix. 102. Opes*, divitiæ et amplitudo regni. *Viri*, milites, ut in formula *arma virosque*.—*A magno Gradivo*. *Gradivus*, id est, Mars, Deus Thracum, cujus filius *Tereus*. Illius auxilium imploraverat Pandion, quem una victoria, auctore Apollodoro, impulit, ut Terea sibi generum adsumeret. Noster triplicem causam affert.

Connubio Procnes junxit : non pronuba Juno,
 Non Hymenæus adest, illi non Gratia lecto.
 Eumenides tenere faces de funere raptas ; 430
 Eumenides stravere torum ; tectoque profanus
 Incubuit bubo, thalami in culmine sedit.
 Hac ave sunt juncti Procne Tereusque ; parentes
 Hac ave sunt facti : gratata est scilicet illis
 Thracia ; Disque ipsi grates egere ; diemque, 435
 Quaque data est claro Pandione nata tyranno,
 Quaque erat ortus Itys, festam jussere vocari.
 Usque adeo latet utilitas ! jam tempora Titan
 Quinque per autumnos repetiti duxerat anni ;
 Quum blandita viro Procne, " Si gratia," dixit, 440

428. *Connubio Procnes, etc.*] Vestustiores recte, *Procne*, non *Progne* ; est enim Græca vox *Πρόκνη*. Formulæ solennibus, quæ plures hic cumulatae, præmonetur lector, quam infaustum matrimonium illud fuerit. Confer x. init. ; Heroid. ii. 47 sqq. ; vi. 45 ; Musæus, 274 sqq. Alia mala nuptiarum omina habet Virgilius, *Æneid.* iv. 166. *Junoni* præcipue curæ conjugia ; inde *τελεία* et *pronuba* dicta. *Hymenæum*, ut *adesset*, sic fere invocabant : *Io Hymen, Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.* Catul. 63. Etiam *Gratiis* partes quædam datæ erant in nuptiis. Pollux, iii. 3 ; Etym. M. in *γαμηλία*.

430. *Faces de funere raptæ* res dirissima olim habita. Valerius Maximus, ix. 1. de *Catilina* : *Filium suum veneno sustulit, protinusque ex rogo ejus maritalem facem accendit.* Tales igitur faces et *Furiis* tribuebantur. Senec. Herc. Fur. 156. *Profanus bubo* ; dirum mortalibus omen. *Sola bubo ferali carmine queritur.* *Æn.* iv. 462. Conf. v. 550 ; vii. 269 ; x. 453 ; Claudianum, xx. 407. *Incubuit* Burmanno suspectum videtur, nec satis

conveniens *τῶ* sedit quum gravius sit *incubare*, quam *in culmine sedere* : mallet *insonuit*, vel *ingemuit*. Regii nostri Codices habent *incubuit* ; nec video cur Burmanno displiceat hoc loco verbum *incubare*. *Buboni* enim crura sunt adeo curta, ut *incubare* videantur potius quam *sedere*.

433. *Huc ave* ; hoc augurio : aves consulere in nuptiis celebrandis jubet Hesiodus, *Æpy.* 36. Horatius, I. Od. xv. 5. *Mala ducis avi domum Helenam.* Tibullus, II. ii. 21. *hac venias ave.*

438. *Tempora anni*, annus, isque *repetitus*, quoniam semper redit. *Titan* ducit solem, poetis etiam *annum*, qui efficitur decursu solis. *Per autumnum* ad finem vergit annus. Cæterum epiphoneina illud, *Usque adeo latet utilitas*, Burmannus ad sequentia refert, ad adventum sororis. Postest etiam ad antecedentia referri, quod festos jusserant esse illos dies.

440. *Quum blandita viro, etc.*] In sequentibus mores egregie notati sunt ; conjux sororem visere cupiens, soror blande patrem rogans, ut proficisci liceat, amor effrenus Terei, cura pa-

“ Ulla mea est, vel me visendæ mitte sorori,
 Vel soror huc veniat : redituram tempore parvo
 Promittes socero : magni mihi numinis instar
 Germanam vidisse dabis.” Jubet ille carinas
 In freta deduci ; veloque, et remige portus 445
 Cecropios intrat ; Piræaque litora tangit.
 Ut primum soceri data copia, dextera dextræ
 Jungitur ; et fausto committitur omine sermo.
 Cæperat, adventus causam, mandata referre
 Conjugis ; et celeres missæ spondere recursus : 450
 Ecce venit magno dives Philomela paratu ;

rentis de salute et reditu filiæ. Quæ quod diligentius expressa sunt, eo magis commovetur animus lectoris calamitate, qua mox afficietur Philomela. *Si gratia ulla meæ est ; si quid apud te possum.*

443. *Magni mihi numinis instar dabis.*] Illustratur hæc locutio locis ab Heinsio allatis. xiv. 408. *Numinis instar eris semper mihi.* Ibid. 843. *quæ si modo posse videre Fata semel dederint, cælum accepisse fatebor.* Drakenb. ad Silium, viii. 233. legendum putat, *muneris instar*, quod multo languidius. Rem autem aliter narrat Hyginus : *Tereus ad Pandionem socerum venit rogatum, ut Philomelam alteram filiam sibi in conjugium daret ; Procnem suum diem obisse dicit.* Sic et Apollodorus.

445. *Deduci* proprie dicuntur naves, quum machinis suppositis in mare retrahuntur. Contrarium est *subduci*. *Velo et remige*, celerissimo cursu : *portum* intraturi solebant quidem *vela* substringere, malum adeo deponere (Drakenb. ad Sil. ii. 11 ;) sed Poeta hoc vult : *velo* et *remige* festinavit, ut brevi perveniret ad *portus* illos. *Portus Cecropios*, portum Athenarum. *Piræa* ; debebat dicere *Pirææa*, sed

dissimulavit syllabam : vide Gronovium, *Observat.* i. 3. *Piræum*, inquit Pausanias, in Atticis, *ἠμῶν μὲν ἐκ παλαιῶν*, navale et portum fecit Themistocles, namque Phalerum prius navale fuerat Athenis.

448. *Fausto omine.*] “ Quale id omen fuerit, aut unde captum, non addit Noster. Sed credibile est, Tereæ blandissima verba protulisse ; quod et dextrarum conjunctio, quæ optimi ominis erat, indicat. Nondum enim aliquid sceleris Tereæ meditabatur ; postea demum, visa Philomela, in ejus amorem incensus est.” Sic Burmannus. Forte *omen* hic pro precibus. Livius, in præfatione, *Cum bonis ominibus votisque incipere.*

451. *Paratu*, ornatu, ut iv. 761. nove dictum. *Divitior*, excellentior. *Incedere*, de iis, qui cum dignitate quadam aut majestate eunt atque oculos hominum in se convertunt. Vid. Schwartzius, ad Plinii Paneg. 46. Mox Burmannus, ex Codice Leidensi, *illi*. At Dryades non paratu memorabiles sunt. Revocavi ergo *illis*. Confer i. 695 sqq. Vehementiam amoris duplici similitudine illustrare voluit ; sed neutra placet, quia ignes illi et amor sunt res diver-

Divitior forma : quales audire solemus
 Naidas et Dryadas mediis incedere silvis,
 Si modo des illis cultus similesque paratus.
 Non secus exarsit conspecta virgine Tereus, 455
 Quam si quis canis ignem supponat aristis ;
 Aut frondem, positasque cremet fœnilibus herbas.
 Digna quidem facies : sed et hunc innata libido
 Exstimulat ; pronumque genus regionibus illis
 In Venerem est : flagrat vitio gentisque suoque. 460
 Impetus est illi, comitum corrumpere curam,
 Nutricisque fidem : nec non ingentibus ipsam
 Sollicitare datis ; totumque impendere regnum ;
 Aut rapere, et sævo raptam defendere bello :
 Et nihil est, quod non effreno captus amore 465
 Ausit ; nec capiunt inclusas pectora flammæ.
 Jamque moras male fert, cupidoque revertitur ore
 Mandata ad Procnes, et agit sua vota sub illis.
 Facundum faciebat amor ; quotiesque rogabat
 Ulterius justo, Procnen ita velle ferebat : 470
 Addidit et lacrimas, tanquam mandâsset et illas.
 Proh Superi, quantum mortalia pectora cæcæ
 Noctis habent ! ipso sceleris molimine Tereus

sissimæ. Cum priore cf. i. 492. *Canis*, ut i. 110. *Herbæ posite fœnilibus* mera periphrasis fœnilis.

458. *Digna*, scilicet, tali tantoque amore. *Sed et hunc*. Burmannus malit *sed ad hoc*, id est, præterea, et post *Venerem* delet *est*. *Genus*, scilicet, humanum, populus. Thraces autem et vinolenti et proclives in *Venerem*. Immoratur causis illius furoris, quia inde atrocissimum facinus. Mox vim furoris sedulo notat, tam internam, quam se exserentis Athenis et in itinere.

461. *Comitum curam nutricisque*

fidem elegantius, quam comites, nutriticemque. *Nutrices* apud Veteres ubique alumnas suas comitabantur, et magna ab iis pietate colebantur. *Sollicitare*, pudicitiam ejus tentare.

467. *Cupido*, quod cupide profert verba. *Agit*, proponit et consequi cupit.

472. *Quantum mortalia, etc.*] Sententia gravis et vera. *Cæca*, obscura. *Nox* sunt studia occulta, sensus profunde latentes in pectore humano. Cic. Marc. 7. et Plinius, III. Ep. iii. 6. *latebras et altos recessus* dixerunt. *Sumit*, parat sibi, consequitur.

Creditur esse pius ; laudemque a crimine sumit. [tis
 Quid, quod idem Philomela cupit? patriosque lacer-
 Blanda tenens humeros, ut eat visura sororem, 476
 Perque suam, contraque suam, petit usque salutem.
 Spectat eam Tereus, præcontractatque videndo :
 Osculaque, et collo circumdata brachia cernens,
 Omnia pro stimulis, facibusque, ciboque furoris
 Accipit ; et quoties amplectitur illa parentem, 481
 Esse parens vellet : neque enim minus impius esset.
 Vincitur ambarum genitor prece : gaudet, agitque
 Illa patri grates ; et successisse duabus
 Id putat infelix, quod erit lugubre duabus. 485
 Jam labor exiguus Phæbo restabat ; equique
 Pulsabant pedibus spatium declivis Olympi.
 Regales epulæ mensis et Bacchus in auro
 Ponitur : hinc placido dantur sua corpora somno.
 At rex Odrysius, quamvis secessit, in illa 490
 Æstuat : et repetens faciem, motusque, manusque,

478. *Præcontractat videndo*, jam nunc membris ejus spectandis libidinem suam pascit. Bene dictum de homine isto impuro. Cicero, Verr. iv. 28. sic *præcipere oculis*. Sed nec alterum insolens : Tacit. An. iii. 12. *nudare corpus et contractandum oculis permittere*, ubi vid. Ernesti et Buenem. ad Lactant. Opif. Dei. i. 15. *Fax*, quod vim irritandi habet. *Cibus*, alimenta. Animus commotus cumulat verba etiam diversa. Plinius, VIII. Ep. xii. 1. *portus, sinus, præmiū studiorum*. *Accipit pro stimulis*, habent illa in eo vim stimulorum. *Neque enim minus impius esset*. Etiam si parens esset, tamen filiam suam corrumperet.

483. *Ambarum prece* ; scilicet, precibus Procnes absentis et Philomelæ ; at Tereus præsens non minus arden-

ter precatus fuerat : quapropter recitius, nostro judicio, Codex Regius A habet *amborum*, scilicet, Terei et Philomelæ. *Et successisse*, etc. Quoniam aliquoties jam lectorem de exitu rei præmonuit, hæc poterant omitti. *Equi pulsabant*, etc. e Virgilio, Æn. x. 216. *curru Noctivago Phæbe medium pulsabat Olympum*. *Poni pro apponi*, de vino. Vide Heinsium, ad Art. Amat. i. 231. *Dantur sua corpora somno*, possis ita capere : somno dantur corpora ea, quæ ipsi debentur ; namque suus sæpe, apud poetas in primis, sic et similiter adhibetur.

490. *Odrysæ*, gens Thraciæ. Pausanias, Attic. p. 22 ; Senec. Thyest. 273 : *Vidit infandas domus Odrysia mensas*. *Æstuat in illa*, misere eam amat. *Cura*, amor.

Z z

Qualia vult fingit, quæ nondum vidit: et ignes
 Ipse suos nutrit, cura removente soporem. 493
 Lux erat; et, generi dextram complexus euntis,
 Pandion comitem lacrimis commendat obortis:
 “ Hanc ego, care gener, quoniam pia causa coegit,
 Et voluere ambæ, voluisti tu quoque, Tereu, 497
 Do tibi: perque fidem, cognataque pectora sup-
 Per Superos oro, patrio tuearis amore; [plex,
 Et mihi sollicitæ lenimen dulce senectæ [mittas.
 Quamprimum, omnis erit nobis mora longa, re-
 Tu quoque quamprimum, satis est procul esse
 sororem,

Si pietas ulla est, ad me, Philomela, redito.”

Mandabat; pariterque suæ dedit oscula natæ:
 Et lacrimæ mites inter mandata cadebant. 505
 Utque fide pignus dextras utriusque poposcit,
 Inter seque datas junxit; natamque nepotemque
 Absentes, memori pro se jubet ore salutent;
 Supremumque vale, pleno singultibus ore,

496. *Hanc ego, etc.*] Valedictio et preces patris ad commovendum apertissimæ. Invitus, propter piam causam, in breve tempus, dimittit filiam, quam unam secum habet, qua senectutis imbecillitas diu carere non potest, eamque cum gravibus obtestationibus Terei fidei commendat, ut patris vices præstet. *Pia causa, amor filiæ.*

497. *Et voluere ambæ, etc.*] Quidam hunc versum superiori, 496. præmittunt; Heinsius et Capofer. delendum recte censent. *Cognata pectora.* Schepper. conjecturat *fadera*; probat Burmannus *pignora*, et fatetur se non capere *cognata pectora*; sed si per *corpus* alterius obsecrare et jurare licet, ut Heroid. xiii. 159. quidni etiam per *pectus cognati*? Regii nostri, *pectora.*

504. *Dedit, quod etiam Burmanno placebat, e quinque MSS. recepi, ut legibus linguæ satisfaceret, et κακόφωνον vitaretur. Dum hæc mandabat et lacrimæ cadebant, dedit filiæ osculum. Inæqualitas temporum deceptit librarium, ut dedit in dabat mutaret. Mites, quæ non in luctu, sed in animo lenius commoto funduntur.*

506. *Utque fide—utriusque.*] Codices nostri, *Ut fidei—utrasque.* Vir doctus in Bibliotheca Tigur. p. 70. præfert Vulgatam *utrasque*, quia *utrique* de duobus rarius quidem occurrit, auctoritatibus tamen comprobatum sit. Vide Freinshemii Indicem in *Florum. Dextra* apud omnes gentes *fidei pignus* habita est: vide Freinshemium, ad Curtium, VI. iv. 14.

Vix dixit; timuitque suæ præsentia mentis. 510
 Ut semel imposita est pictæ Philomela carinæ;
 Admotumque fretum remis, tellusque repulsa:
 “Vicimus,” exclamat; “mecum mea vota ferun-
 Exultatque animo, vix et sua gaudia differt [tur!”
 Barbarus; et nusquam lumen detorquet ab illa.
 Non aliter, quam quum pedibus prædator obuncis
 Deposuit nido leporem Jovis ales in alto; 517
 Nulla fuga est capto; spectat sua præmia raptor.
 Jamque iter effectum; jamque in sua litora fessis
 Puppibus exierant; quum rex Pandione natam
 In stabula alta trahit, silvis obscura vetustis;
 Atque ibi pallentem, trepidamque, et cuncta ti-
 mentem, 522
 Et jam cum lacrimis, ubi sit germana, rogantem,
 Includit; fassusque nefas, et virginem, et unam

510. *Præsentia mentis.*] De talibus *præsentia*, cf. xi. 457; Homer. Il. Z. 486; Virgil. *Æneid.* xii. 72. *Admotum fretum remis*, insolens locutio videtur Intt. qui eam vel emendant, ut Burmannus, vel per hypallagen explicant: sed sine causa, opinor, utrumque. *Navis repellitur a tellure*, sed id dum fit, propter æqualem et celerem navis motum terra *repelli* et *recedere* videtur: confer xi. 466. Hinc *tellus repulsa*. Huic simillimum est alterum, quod impugnatur, *fretum admoventur remis* pro, remi admoventur freto. Schirach. putat, labores remigum hic describi, dum instant et repellunt aquas. *Vicimus*. De hac voce exultantium, vide ad iv. 356.

514. *Exultatque animo*, etc.] Hic versus suspectus Heinsio, effectus Burmanno videtur ex iv. 350. et ii. 863. *Detorquet*. Alii, *distorquet*, *deflectit*, etc. Burmanno arridet duorum MSS. lectio, *declinat*: sed *detorquet* bene

delectum, quia lumen fixum erat in illo. Languet contra *declinat*, quia furor exprimendus est.

516. *Pedibus obuncis*; vulgo *aduncis* (et ita quidem Regii nostri;) sed vide Burmannum, ad Virgilium, *Æneid.* xi. 755. *Jovis ales*. Drakenb. ad Silium, xii. 56. ex *Æliani H. A.* ix. 10. monet, non omnem aquilam dictam esse *Jovis alitem*, sed eam duntaxat, quæ nunquam carne vescatur. Verum talia non urgenda sunt in poeta. *In alto*; multi, *ab alto*, quod ad sequentia referendum foret.

519. *Effectum*, perfectum, finitum. *Fessæ* poetis finguntur naves aut jactatæ, aut longum iter emensæ. *Stabula alta* etiam Latinus habebat, *Æneid.* ix. 388. *Silvis obscura vetustis*, ideo obscura, quia silva, in qua arbores nullæ cæsæ, densa erat. *Æn.* vi. 179: *Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum*.

524. *Nefas*, nefariam libidinem. *Et*

Vi superat; frustra clamato sæpe parente, 525
 Sæpe sorore sua, magnis super omnia Divis.
 Illa tremit; velut agna pavens, quæ saucia cani
 Ore excussa lupi, nondum sibi tuta videtur:
 Utque columba, suo madefactis sanguine plumis,
 Horret adhuc, avidosque timet quibus hæserat
 ungues. 530

Mox ubi mens rediit, passos laniata capillos,
 Lugenti similis, cæsis plangore lacertis,
 Intendens palmas: "Pro diris, barbære, factis,
 Pro crudelis," ait! "nec te mandata parentis
 Cum lacrimis movere piis, nec cura sororis, 535
 Nec mea virginitas, nec conjugalia jura?
 Omnia turbâsti: pellex ego facta sororis;
 Tu geminus conjux, non hæc mihi debita pœna.
 Quin animam hanc, ne quod facinus tibi, perfide,
 restet,

virginem, et unum Vi superat. Maximam hominis barbariem ostendit poeta, qui sustinuerit virginem, et solam, et sibi creditam, et patrem, sororem, et imprimis Deos implorantem, violare.

527. *Velut agna pavens, etc.*] Similitudines delectæ. *Canis.* Vide ad i. 238.

532. *Lugenti* — *lacertis*, ineptus versus, quem Heinsius recte judicat adulterinum; sed sqq. *Pro diris, etc.* sana puto. Invidiose enim *barbari* vocabulum hic adhibitum esse, sponte apparet. Recte igitur addi potuit *diris factis*.

537. *Turbâsti, violâsti, polluisti.* Vid. vir doctus in *Bibl. Tigur.* p. 91. qui putat Nostrum respexisse Virg. *Æneid.* iv. 362 sqq. Cum *gemino conjuge* Heinsius comparat *duplices thalamos*, apud Stat. *Theb.* xii. 471; sed h. l. in summa desperatione justo

argutius dictum. Porro Heinsius putat, alterum hemistichium, *non hæc—pœna* a sciolo additum, et lacunam esse relinquendam, quales multæ apud Virgilium occurrant. Nec mihi illa verba magnopere placent, quippe nimis languida h. l. ubi pleraque animum commotissimum spirant. Negat tamen Burmannus Ovidium lacunas reliquisse, putatquæ, sensum elegantem effici, si legatur, *non hæc mihi credita pœna*, ut *pœna* sit calamitas, miseria.

539. *Hanc*, tam miseram, quam tædet vitæ.—*Hanc* non habet noster Codex B; et multi interpretes deleverunt. Sed ea vox, gravior sonans more Virgiliano, præstat. *Vacuas, etc.* Sancta descendissem ad inferos. At illa sic quoque criminis vacua erat; quandoquidem anima peccat, non corpus.

Eripis? atque utinam fecisses ante nefandos 540
 Concubitus! vacuas habuissem criminis umbras.
 Si tamen hæc Superi cernunt; si numina Divum
 Sunt aliquid; si non perierunt omnia mecum;
 Quandocunque mihi pœnas dabis: ipsa, pudore
 Projecto, tua facta loquar: si copia detur, 545
 In populos veniam: si silvis clausa tenebor,
 Implebo silvas et conscia saxa querelis.
 Audiat hæc æther, et si Deus ullus in illo est.”
 Talibus ira feri postquam commota tyranni, 549
 Nec minor hac metus est; causa stimulatus
 Quo fuit accinctus, vagina liberat ensem, [utraque,
 Arreptamque coma, flexis post terga lacertis,
 Vincla pati cogit: jugulum Philomela parabat,
 Spemque suæ mortis viso conceperat ense. 554
 Ille indignanti, et nomen patris usque vocanti,
 Luctantique loqui, compressam forcipe linguam
 Abstulit ense fero: radix micat ultima linguæ;

542. *Si numina, etc.*] Si, quoniam, Dii aliquid valent, si potestas eorum est satis valida. i. 545. *Si non perierunt, etc.* Vox summi doloris, qui ita auget suam miseriam. *In populos veniam*, ad populum prodibo. *Querelis* ex Langermanni Excerptis dedit Burm., quum vulgo legatur *movebo*. Dubitabat enim ille, an ex consuetudine Ovidiana absolute dicatur *implere silvas*. Sed vir doctus in Bibliotheca Tigur. p. 70. negat duram esse ellipsin; posse enim ex antecedentibus factis facile suppleri. Etiam verba *pudore projecto* lectionem rejectam postulare. Neque Philomelam velle omnino queri, sed facta dira Terei eloqui vel hominibus, vel saxis saltem et silvis. Dictam autem esse Vulgatam ad illud Virgil.: *Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.*

555. *Ille indignanti,—vocanti, Luctantique.* Codices nostri Regii habent *indignantem, vocantem, luctantem*; et hæc lectio forte fuit vera, quam interpretes tautologia offensi mutaverunt: hæ voces referuntur ad *linguam*.

557. *Radix micat, etc.*] Fœda rursus res et ingrata, quam tamen similitudine adeo illustrat poeta. Apud Hyginum, Tereus vitiatam Philomelam mandat ad Lynceum regem. Sed Noster videtur de industria fœdissima quæque et crudelissima hac fabula exprimere voluisse. *Terra innormurata*, in his verbis intolerabilem esse lusum vir doctus judicat in Bibliotheca Tigur. p. 58. Sed et alii sic luserunt, ut ad v. 105. notatum. *Uique salire, etc.* Quintus Smyrnæus, xi. 74: *ἄτε βλοσυροῦτο δράκοντος οὐρῆ ἀπομηθεῖσ' ἀναπάλλεται. Domina*

Ipsa jacet, terræque tremens immurmurat atræ :
 Utque salire solet mutilatæ cauda colubræ,
 Palpitat, et moriens dominæ vestigia quærit. 560
 Hoc quoque post facinus, vix ausim credere, fertur
 Sæpe sua lacerum repetisse libidine corpus.
 Sustinet ad Procnen post talia facta reverti ;
 Conjuge quæ viso germanam quærit : at ille
 Dat gemitus fictos, commentaque funera narrat.
 Et lacrimæ fecere fidem : velamina Procne 566
 Deripit ex humeris, auro fulgentia lato ;
 Induiturque atras vestes ; et inane sepulcrum
 Constituit, falsisque piacula manibus infert ;
 Et luget non sic lugendæ fata sororis. 570
 Signa Deus bis sex acto lustraverat anno.
 Quid faciat Philomela ? fugam custodia claudit :

vestigia quærit ; illud sumptum ex
Æn. x. 395 : Te decisa suum, Laride,
dextera quærit, Semianimesque micant
digiti, ferrumque retractant.

561. *Hoc quoque post facinus ; post*
extractam linguam. Lacerum corpus,
mutilatum lingua.

565. *Commenta funera, fictam Phi-*
lomelæ mortem.

566. *Lacrimæ fecere fidem ; effe-*
cerunt lacrimæ ut Procne mortem
Philomelæ veram esse crederet.

569. *Constituit servandum censeo,*
quod molem monumenti ædificati me-
lius significat. Veteres quum inse-
pulti corporis animam Stygem transire
haud posse arbitrarentur, mortuis,
quorum corpora reperire non possent,
inania sepulcra, κενováφια, extruere
solebant. Infra, xii. 3. inanes infe-
riæ, quæ dantur sepulcro inani. Pro
inferiis nunc dixit piacula falsis, falso
credit. Inferre verbum proprium
in hac re. Lugendæ quidem, sed non
sic, inani sepulcro et inferiis.

571. *Signa Deus, etc.] Apollo, Sol,*
et est anni rotatio.

572. *Claudit exquisitius, quam, im-*
pedit, quoniam ipsa clausa teneba-
tur. Non satis est, quod Burmannus
laudat, auferre et adimere fugam, in
quibus fuga, fugiendi facultas. Rec-
tius comparabis vii. 604. animam clau-
dere luqueo, et viii. 548. claudere iter.
Rigent exquisitius, quam, sunt. Mæ-
nia, parietes. Os mutum facti caret
indice ; os mutum scelus indicare non
potest. Lingua est animi interpres, ut
ait Lucretius, vi. 1147 ; et factorum
index. Grande dolori Ingenium. Mar-
tialis, de Spectac. 14 : O quantum
est subitis casibus ingenium. Inge-
nium tribuitur et iræ, munificentæ,
pœnis, etc. Vide Drakenb. ad Si-
lium, xvi. 46 : hoc loco intelligatur
solertia in inveniendis rebus, quam
excitat dolor. Venit, excitatur : su-
pra, versu 29. usus venit ab annis,
comparatur.

Structa rigent solido stabulorum mœnia saxo :
 Os mutum facti caret indice : grande dolori
 Ingenium est ; miserisque venit solertia rebus. 575
 Stamina barbarica suspendit callida tela ;
 Purpureasque notas filis intexuit albis,
 Indicium sceleris ; perfectaue tradidit uni,
 Utque ferat dominæ gestu rogat. Ille rogata
 Pertulit ad Procnen ; nec scit, quid tradat in illis.
 Evolvit vestes sævi matrona tyranni, 581
 Germanæque suæ carmen miserabile legit :
 Et, mirum potuisse, silet : dolor ora repressit ;
 Verbaque quærenti satis indignantia linguæ 584
 Defuerunt ; nec flere vacat ; sed fasque nefasque
 Confusura ruit ; pœnæque in imagine tota est.
 Tempus erat, quo sacra solent Trieterica Bacchi

576. *Stamina barbarica suspendit.*] Ex antiqua texendi ratione stamina ad perpendiculum *suspendebuntur* ; unde apud Nostrum alibi *pendula tela, stantes telæ*, etc. *Notæ*, literæ : III. Trist. iii. 72. *grandes notæ in tumuli marmore* ; Heroidd. i. 62. *charta notatu* ; infra, ix. 523. *notare tabellas. Indicium sceleris*, patradi a Tereo. *Uni*, ex ancillis.

579. *Ille rogata.*] Codices Regii dant *Illa rogata*, quod potius convenire videtur, quia probabilius est fuisse ancillam, non servum, quæ *rogata* fuerit ut vestem deferret ad dominam.

581. *Evolvit*, explicat, *matrona sævi tyranni*, Procne, uxor sævi Terei. *Vestes* ; velum a Philomela missum.

582. *Germanæ.*] Codices nostri, *Fortuna*, id est, domus suæ, sororis suæ, simul ac sui ipsius carmen legit : recentiores hanc lectionem mutasse videntur. *Carmen*, eleganter notæ *intextæ*, quæ loquebantur fata sororis.

Carmen enim de omni formula verborum, etiam de paucis vocibus literisque sententiam aliquam experimentibus. Apollodorus, ἡ δὲ ὑφήνασα ἐν πέλῳ γράμματα. Dolor utique vim habet ora reprimendi ; ergo inepte additur, *mirum potuisse. Ruere*, de impetu et furore animi. *Pœnæ imago*, pœna, quam animo sibi effingit. *Imago sæpe cogitatio rei*. Vide ad xi. 427. et ad Plinium, vii. Ep. v. 1.

587. De *sacris Trietericis* et cultu Bacchantium diximus ad iii. 517. *Sithones*, gens Thraciæ. Thracia autem sedes præcipua Orgiorum. *Nox conscia sacris* : *Nocte*, etc. *Burmannus* malit *nox conscia sacris Nocte* ; quæ conjectura codicibus non firmatur. *Nox conscia sacris*, nil, nisi, noctu sacra celebrantur. Sic *loca conscia facti*, in quibus aliquid gestum. De *ære acuto*, vide ad iii. 532. De *Ritibus* illis, iv. 6 sqq. *Furiatia*, quibus utuntur Bacchantes furentes. Similiter *tibia furiosa*, Fast. iv. 341.

Sithoniæ celebrare nurus : nox conscia sacris :
 Nocte sonat Rhodope tinnitibus æris acuti ;
 Nocte sua est egressa domo regina ; Deique 590
 Ritibus instruitur ; furialiaque accipit arma.
 Vite caput tegitur ; lateri cervina sinistro
 Vellera dependent ; humero levis incubat hasta.
 Concita per silvas, turba comitante suarum,
 Terribilis Procne, furiisque agitata doloris, 595
 Bacche, tuas simulat : venit ad stabula avia tandem,
 Exululatque, Evoëque sonat, portasque refringit,
 Germanamque rapit ; raptæque insignia Bacchi
 Induit ; et vultus hederarum frondibus abdit ;
 Attonitamque trahens intra sua limina ducit. 600
 Ut sensit tetigisse domum Philomela nefandam,
 Horruit infelix, totoque expalluit ore.
 Nacta locum Procne, sacrorum pignora demit,
 Oraque develat miseræ pudibunda sorori ;
 Amplexuque petit : sed non attollere contra 605
 Sustinet hæc oculos, pellex sibi visa sororis :
 Dejectoque in humum vultu, jurare volenti,
 Testarique Deos, per vim sibi dedecus illud
 Illatum, pro voce manus fuit : ardet, et iram

592. *Cervina Vellera*, nebrides. *Levis hasta*, quæ pampinis ornata, thyrus vocatur.

595. *Furiis*, furore. *Exululat* ; iii. 528. *festisque fremunt ululatilibus agri*. *Sonat*, clamat. *Evoëque sonat* ; utitur Baccharum clamoribus referentium verba Jovis ad filium : nam *Evoe* et *Evan* in sacris Bacchi jactabantur ab iis qui ipsum invocabant. *Evoe*, Græce *Εἴω*, quasi dicas, bene sit tibi.

603. *Nacta locum* ; secretum subaudiamus. *Pignora* ; signa ut, vii. 497. *veteris pignora formæ Induitur*.

Sacrorum ; habitum et ornatum Bacchantis, quo modo Philomelam in simulatis orgiis dissimulârat, exuit.

607. *Dejicere vultum*, ut conjicere oculos. *Iram non capit suam*, non par est perferendæ iræ suæ. *Contra Seneca, Herc. Fur. 412 : Hoc ipsum placet, Animo ruinas quod capis magno tuas*. Et ita passim capere, idoneum esse ad aliquid perferendum, faciendum, intelligendum. Tam insigni autem dolori accommodata est seq. oratio.

Non capit ipsa suam Procne; fletumque sororis
Corripiens, "Non est lacrimis hic," inquit, "agen-
dum, 611

Sed ferro; sed si quid habes, quod vincere ferrum
Possit: in omne nefas ego me, germana, paravi.
Aut ego, quum facibus regalia tecta cremâro,
Artificem mediis immittam Terea flammis; [dorem
Aut linguam, aut oculos, aut quæ tibi membra pu-
Abstulerunt, ferro rapiam; aut per vulnera mille
Sontem animam expellam: magnum, quodcun-
que paravi. 618

Quid sit, adhuc dubito." Peragit dum talia Procne;
Ad matrem veniebat Itys: quid possit, ab illo
Admonita est; oculisque tuens immitibus, "Ah!
Es similis patri!" dixit: nec plura loquuta, [quam
Triste parat facinus, tacitaque exæstuat ira.
Ut tamen accessit natus, matrique salutem
Attulit, et parvis adduxit colla lacertis, 625
Mixtaque blanditiis puerilibus oscula junxit:
Mota quidem est genetrix; infractaque constitit
Invitique oculi lacrimis maduere coactis. [ira;

613. *Parant se in vel ad* aliquid, qui animum inducunt ad aliquid faciendum. *Quum facibus*, etc. Potest hic esse præpositio *cum*, quam Latini interdum instrumento, quo aliquid agitur, addere solent. Tunc aut verus sequens per *ἀσύνδερον* adjectus est, aut legendum cum aliis *mediisque vel et mediis*. Sic Burm. *Artificem*, auctorem malorum et facinorum; id est, qui nefandum hunc incestum perpetrare potuit.

619. *Quid sit, adhuc dubito.*] Nondum, inquit, decrevi quo malo Te-reum affectura sim: subauditur *futura*. *Peragit dum talia*; dum talia

loquitur et minatur. Conferatur *Medæ furor*, III. *Trist.* ix. 21 sqq. *Admonita est*, eo conspecto succurrit, quid posset. *Ah! quam Es similis*. Unus Basileensis atque unus Mediceus, *Ah quam, Quam similis*: id probat Heinsius; atque etiam vir doctus in *Bibliotheca Tigur.* p. 71. plus affectus esse in hac repetitione putat, et Ovidium amare hanc repetitionem, ut ii. 704 sq.; viii. 128 sq. *Similis*. Similitudo illa causa fit facinoris.

625. *Adduxit colla.*] Non erat cur interpretes hic hærent; *adduxit*, id est, attraxit ad se, quod facere solent infantes blandientes. *Infracta-*

Sed simul ex nimia matrem pietate labare 629
 Sensit; ab hoc iterum est ad vultus versa sororis;
 Inque vicem spectans ambos, "Cur admovet," in-
 "Alter blanditias; rapta silet altera lingua? [quit,
 Quam vocat hic matrem, cur non vocat illa sororem?
 Cui sis nupta vide, Pandione nata, marito;
 Degeneras: scelus est pietas in conjuge Tereo."
 Nec mora, traxit Ityn, veluti Gangetica cervæ 636
 Lactentem fœtum per silvas tigris opacas.
 Utque domus altæ partem tenere remotam;
 Tendentemque manus, et jam sua fata videntem,
 Et mater, mater! clamantem, et colla petentem,
 Ense ferit Procne, lateri qua pectus adhæret; 641
 Nec vultum avertit: satis illi ad fata vel unum
 Vulnus erat: jugulum ferro Philomela resolvit; [bra
 Vivaque adhuc, animæque aliquid retinentia mem-

que, etc. Fracta est et cessavit ira. *Consistere* proprie dicuntur qui a cursu, deinde qui a perturbatione animi quiescunt. Heinsius tamen coniecit *concidit ira*. *Coactæ lacrimæ*; quæ cum vi retinentur.

629. *Matrem*, affectum maternum: similiter *pater* et *rex* usurpantur. Vide loca ab Heinsio et Burmanno laudata. Sed mox matrem ita exiit, ut filium trucidans, ne *vultum* quidem *avertat*. *Labare*, deterrerè a proposito. Hinc nova furoris incrementa sumit ex aspectu sororis. *Ab hoc*; ab hujus Itys aspectu. *Inque vicem*; vicissim, per vices. *Cur admovet Alter blanditias*; cur valent apud me alterius, filii scilicet, blanditiæ, ut parcam, et non valet alterius, sororis Philomelæ, dedecus propter quod linguam amisit, ut ulciscar? *Mater* quidem sum illius, sed eadem soror hujus.

634. *Pandione natam* se vocat, ut a genere fortitudinis stimulos sumat.

Hinc addit, *degeneras*. *Pietas in conjuge*. Codex Regius A. a prima manu, habet *pietas cum conjuge*; potest recipi. Est etiam nuptæ interpretamentum. *Cervæ lactentem fœtum*. Periphrasis est hinnuli.

638. *Domus altæ*; erat enim regia. *Partem remotam*; penetrabilia: vide ver. 646. Et *mater*, etc. *Eia*, quod blandientis est, clamasse puerum jam sua fata videntem, vix crediderim. Revocavi ergo: *Et mater, mater! clamantem*, quod habent omnes MSS. præter unum Neapolitanum, in quo *Eia* legitur, unde Heinsius sumpsit, cui illa vox valde placuisse videtur.

642. *Ad fata*, ad mortem. *Animam* seu vitam retinent membra ea, quæ adhuc palpitant. *Exultare* et de aqua fervente, ut vii. 263. et de carnibus, quæ aqua fervente molliuntur. Confer. Seneca, Thyest. 765 sqq. *Inde*, ex pueri membris. *Mensis*, epulis.

Dilaniant: pars inde cavis exultat ahenis;
 Pars verubus stridet: manant penetralia tabo. 646
 His adhibet conjux ignarum Terea mensis,
 Et patrii moris sacrum mentita, quod uni
 Fas sit adire viro, comites famulosque removit.
 Inde sedens solio Tereus sublimis avito 650
 Vescitur, inque suam sua viscera congerit alvum.
 Tantaque nox animi est, "Ityn huc arcessite," dixit.
 Dissimulare nequit crudelia gaudia Procne,
 Jamque suæ cupiens existere nuntia cladis; 654
 "Intus habes, quod poscis," ait: circumspicit ille,
 Atque ubi sit quærit; quærenti, iterumque vocanti,
 Sicut erat sparsis furiali cæde capillis,
 Prosiliit, Ityosque caput Philomela cruentum
 Misit in ora patri: nec tempore maluit ullo
 Posse loqui, et meritis testari gaudia dictis. 660
 Thracius ingenti mensas clamore repellit,
 Vipereasque ciet Stygia de valle sorores:

651. *Viscera*; vide ad v. 18. Imitatus Nostrum est Valerius Maximus, vii. 6: *quo diutius armata juventus viscera sua visceribus suis aleret, infelices cadaverum reliquias*, etc. Verbo *congerere* mox opponitur *egerere*. *Nox*, cæcitas, ignorantia.

660. *Meritis dictis*, convenientibus verbis.

662. *Viperias sorores*, id est, Furias, audacter dictum, quarum comis viperæ intextæ. *Pectus*, ventriculus; *re-serato*, pectore *egerere*, nil nisi, evomere. Gronovianus quidem habet, pro *egerere*, *exigere*, quod æque elegans Burmannus judicat; at Codices nostri dant *egerere* quod recte servavit Cl. Gierig. *Demersaque* prætulit Burmannus quod et Regio placuerat; nam vulgata *immensa*que inepta est. *De-*

mergi passim de cibis devoratis, ut xv. 105; ibid. 387. *Bustum*; τήμβρον. Longinus, f. 3. vituperat Gorgiam Leont. qui vultures dixerat esse *sepulcra viva*, quam reprehensionem etiam in hoc *bustum miserabile* cadere Tolloius et Pearceus ad illum Longini locum existimant. Verum Longinus non nisi *viva sepulcra* vituperat, quia nulla sepulcra *viva* sunt: vide Ernesti Init. Rhetor. sect. 319. In Gorgiæ vitium incidit Lucretius, v. 991: *Viva videns vivo sepeliri viscera busto*. Etiam alii poetæ ventrem cum sepulchro compararunt. Burmannus laudat Lycophr. Cass. 159. qui de Cerere mandente Pelopis humerum dicit: ἐτύμβενσε τάφω, ubi Tzetzes τάφον interpretatur γαστέρα. Attius in Atreo: *Natis sepulcrum est ipse parens*.

Et modo, si possit, reserato pectore diras
 Egerere inde dapes, demersaque viscera gestit :
 Flet modo, seque vocat bustum miserabile nati :
 Nunc sequitur nudo genitas Pandione ferro. 666
 Corpora Cecropidum pennis pendere putares ;
 Pendebant pennis ; quarum petit altera silvas ;
 Altera tecta subit : neque adhuc de pectore cædis
 Effluxere notæ, signataque sanguine pluma est.
 Ille dolore suo, pœnæque cupidine velox, 671
 Vertitur in volucrem, cui stant in vertice cristæ ;
 Prominet immodicum pro longa cuspidē rostrum.
 Nomen Epops volucris ; facies armata videtur.
 Hic dolor ante diem, longæque extrema senectæ
 Tempora, Tartareas Pandiona misit ad umbras. 676

VII. Sceptra loci, rerumque capit moderamen
 Erechtheus ;

667. *Pendere.*] Vide ad xi. 341 ; xii. 566. *Alterā*, Philomela in lusciniā mutata, petit silvas ; *altera*, Procne in hirundinem mutata, tecta subit. Plinius, x. 24. de hirundinibus : *Thebarum tecta subire negantur, quoniam urbs illa sæpe capta sit : nec Bixia in Thracia propter scelera Terei.* Pausan. Phoc. p. 807. narrat, in Daulide hirundines nec parere nec nidos struere. Alii tamen, Anacreon, Od. 12 ; Apollodorus, d. l. ; Tzetzes Chil. vii. 142 ; Gabrias, fab. 43 ; Schol. Aristoph. ad Aves, ver. 216. tradunt, Philomelam in hirundinem esse mutatam, Procnen autem in lusciniā, de quo dissensu vid. Meursius de Regno Athen. ii. 5. Cæterum ab hac fabula hirundo vocatur *Πανδιονίς*, apud Hesiod. "Εργ. 568. De pœna, quam luunt illæ mulieres etiam aves factæ, vid. Ælian. V. H. xii. 20. *Neque adhuc*, etc. Virg. G. iv. 15 : *manibus Procne pectus signata cruentis, hirundo.*

671. *Pœnæ cupidine* ; quæ Procnen Philomelamque afficeret. Upupam autem, quæ a Græcis *epops* appellatur, poeta describit.

674. *Facies upupæ armata* videtur ob seriē pennarum longiorum, quæ galeæ instar in utroque latere ad cervicem procurrit. Apud Hyginum Tereus in accipitrem mutatur. Vide ibi Munker. Nonnulli et Ityn in palumbem transformatum narrant. *Ante diem*. i. 148. *ante diem misit—ad umbras, προΐαψεν αἰδι.*

677—721. *Zetes et Calais.*] Orithyia, Erechthei filia, rapitur a Boreā vento, ex eaque nascuntur Zetes et Calais. Confer. Orpheus Arg. 216 sqq. ; Apollonius Rh. i. 211 sqq. ; Apollod. lib. III. xv. 1, 2 sqq. ; Hyginus, fabula 14. Fabulam tractaverant et Æschylus atque Sophocles. Eam explicat Parrhasius apud Claudian. Rapt. ii. 19 : " Fuit et Strymonis filius Boreas, Orithyiae raptor, ut Isagoras in Megaricis tradit ; sed poetæ rem

Justitia dubium, validisne potentior armis.

Quattuor ille quidem juvenes, totidemque creârat
 Feminæ sortis : sed erat par forma duarum, 680
 E quibus Æolides Cephalus te conjuge felix,
 Procri, fuit : Boreæ Tereus Thracesque nocebant ;
 Dilectaque diu caruit Deus Orithyia,
 Dum rogat, et precibus mavult, quam viribus, uti.
 Ast ubi blanditiis agitur nihil, horridus ira, 685
 Quæ solita est illi, nimiumque domestica, vento ;
 “ Et merito,” dixit, “ quid enim mea tela reliqui,

ab homine ad ventum transferunt. Hermias vero Platonicus Erechthei filiam Aquilonis impetu ex alto dejectam periisse credit, et inde factum, ut hominum more a vento rapta dicatur. Idem docet Acesilaus, referente Apollodoro.” Apud Palæphatum, cap. 23. Boreas hic vocatur *ἀνὴρ οὐκ ἄσμηρος*. Cæterum hæc rapina expressa erat in arca Cypseli, ubi Boreas loco pedum anguium caudas habebat. Pausanias Eliac. p. 424. *Erechtheus* successit Pandioni i. anno 1423 ante ær. Chr. Is justitia non minus, quam virtute bellica, excellebat. Summa regis laus.

679. *Quattuor ille—juvenes.*] E filiis Cecrops II. successit patri. *Quattuor* plurimi memorant. Pausanias, ii. 25; Eustath. ad II. B. p. 291. Etiam apud Apollodorum ubi tres tantum memorantur, Heynius excidisse putat quartum Cænea. *Sortis*, sexus. In filiabus duæ sibi æquales pulchritudine, e quibus Procrin duxit Cephalus, Deionei filius, *Æoli* nepos, vid. Heinsius, ad vii. 672; Munke. ad Hygini fabulam 14; quanquam alii eum Mercurii filium faciunt, unde *Cyllenia proles*, Art. Amat. iii. 725. Orithyian rapuit Boreas, cui petenti filiam Erechtheus dare noluerat, territus inaudita Terei Threicii crudelitate. *Te*

conjuge felix; confer vii. 696: fuit veluti formula solennis. *Tereus Thracesque nocebant*; crudelitas Terei ac Thracum Boreæ, ne Orithyian duceret, nocebat. *Deus*. Boreas enim Deus habebatur, cui sacra faciebant Megapolitani, Thuri, Athenienses. Pausanias, Arcad. p. 673; Ælian. V. H. xii. 61; Herod. vii. 189. Hymno eum celebravit Orpheus: is est h. 79. Athenienses vero ob raptam Orithyian, eum affinem sibi censuerunt. Ælianus, d. I. ubi vid. Perizon.

685. *Horridus ira.*] Non mala Boreæ horridi descriptio: *Hic Deus et terras et maria alta domat*; Propert. II. xx. 52; cf. Claudian. Rapt. i. 69 sqq. *Domestica*, sibi propria et consueta; nove sic dictum. Burmannus putat, Ovidium his duabus vocibus, *solita* et *domestica*, exprimere voluisse Græc. *οἰκεῖος*, cujus vim exposuerit Victor. ad Cic. i. Att. 10.

687. *Et merito* abrupte incipit, ut ix. 584. ubi vid. nota. Ita et Propert. I. xvii. 1. *Admovere preces*, bona loquutio, ut docent viri docti ad Phædrum, I. fab. xix. 6. *Adhibere preces*, dixit Noster, iii. 376. et Cic. N. D. i. 2. *Vim* verbis gravissimis declarat, maxime in fine. Ergo assurgit oratio. Quia *nubila pellit*, propterea *αἰθρηγένης*, et *clarus* dicitur. *Concutio*,

Sævitiā, et vires, iramque, animosque minaces?
 Admōvique preces, quarum me dedecet usus?
 Aptā mihi vis est: vi tristia nubila pello; 690
 Vi freta concutio, nodosaque robora verto,
 Induroque nives, et terras grandine pulso.
 Idem ego quum fratres cœlo sum nactus aperto,
 Nam mihi campus is est, tanto molimine luctor,
 Ut medius nostris concursibus intonet æther;
 Exiliantque cavis elisi nubibus ignes. 696
 Idem ego, quum subii convexa foramina terræ,
 Supposuique ferox imis mea terga cavernis;
 Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.
 Hac ope debueram thalamos petiisse; socerque
 Non orandus erat, sed vi faciendus, Erechtheus.”
 Hæc Boreas, aut his non inferiora loquutus, 702
 Excussit pennas; quarum jactatibus omnis

commoveo. Boreas, μέγα κῶμα κολί-
 δει. Pulso, facio, ut grando in terram
 decidat. Sic imber dicitur verberare
 humum, Æn. ix. 669; verberare janua-
 m, Tib. I. ii. 7. Similiter τῦπτειν de
 vento Homerus, Il. A. 306. Sed de
 Borea confer Claudian. R. P. i. 69:
*Turbine rauco Quum gravis armatur
 Boreas, glacieque nivali Hispidus et
 Getica concretus grandine pennas Bella
 cupit, pelagus, silvas, camposque sonoro
 Flamine rapturus. Cælum apertum*
 alias est purum, non obductum nubi-
 bus, sed h. l. ubi nil moratur ejus im-
 petum, nil frangit ejus vim. Nempe
 apertus solenne epitheton campi. Cœ-
 lum autem est campus, in quo venti
 pugnant. Virg. Georg. iv. 77. de
 apibus præliantibus, ubi ver nactæ
 sudum camposque patentes, aerem pu-
 rum tempore verno. Cum sequenti-
 bus confer xi. 435. ibique notam.
 Concursibus, præliis, quæ vis verbi
 concurrere nota est. De ignibus illis

vid. Lucretius, vi. 199 sqq. *rotantque
 cavis flammam fornacibus intus, Donec
 divolsa fulserunt nube corusci.* Adde
 Plin. ii. 48 et 49. Etiam terræ motus
 plurimi Veterum ventis tribuebant.
 Lucretius, vi 556: Senec. N. Q. vi. 3.
*Convexa foramina ornate, speluncas.
 Supposui mea terga gravissime, spiro.*
 Gravissime etiam Sollicito, etc. vel
 metu impello tremoribus inferos et
 superos, vel concutio subterranea et
 supera; utramque enim significatio-
 nem habet τὸ Sollicito.

703. Excussit, jactavit, movit. Mare
 perhorrescit, quum commovetur, ut
 fluctus edat. Sequitur admirabilis
 phantasia. Pulvis, quem movet Bo-
 reas, est ejus palla, quam trahit, ut
 solet syrma vestis trahi. Verrere ter-
 ran et mare, solenne poetis de ventis
 rapidis, superficiem terræ stringenti-
 bus, ejusque pulverem secum auferenti
 bus. Lucretius, i. 279; vi. 624; Æn.
 i. 63. Sed h. l. respicitur ad pallam,

Afflata est tellus, latumque perhorruit æquor ;
 Pulvereamque trahens per summa cacumina pal-
 lam, 705
 Verrit humum ; pavidamque metu caligine tectus
 Orithyian amans fulvis amplectitur alis.
 Dum volat, arserunt agitanti fortius ignes ;
 Nec prius aerii cursus suppressit habenas,
 Quam Ciconum tenuit populos, sua mœnia, raptor.
 Illic et gelidi conjux Actæa tyranni, 711
 Et genetrix facta est ; partus enixa gemellos,
 Cætera qui matris, pennas genitoris haberent.

quæ et ipsa *verrere humum* dicitur, xi. 166. *Pavidam metu*. Propert. III. v. 29 ; *Aquilo raptæ timor Orithyie*. *Fulvis alis*. Silius, xii. 617. *fuscis Africus alis*, ubi vide Drakenb. Rapuit Orithyian ad Ilissum ludentem : sic Pausanias, Attic. p. 45 ; sed apud Apollonium rapit *κεκροπήθεν*.

708. *Arserunt*, etc. quoniam *ignes* qui pr. dicuntur motu celeri magis excitantur. Ludit ingenium Ovidii, isque lusus ineptus. Heroid. xviii. 41. de Borea : *Tum gelidus quum sis, non te tamen, improbe, quondam Ignibus Actæis incaluisse negas*.

709. *Cursus habenas ποιητικώτερον*, quam *currus habenas*, quod habent alii, inter quos unus Heinsii, et huic ipsi non displicebat. Et *currus*, ne locum quidem nunc habet, quia Boreas non curru vehitur, sed alis volat. *Supprimere habenas cursus aerii* paulo audacius, desistere currere per aerem. *Cicones*, gens Thraciæ. Thracia autem habebatur ventorum, Boreæ imprimis, habitaculum, isque in monte Hæmo speluncam quandam incolere credebatur. Vide Theophrastum, de Causs. Plant. v. 17. et de Ventis, p. 409. Hinc *Θρηκίος* et *Σπρυμόνιος* vocatur. *Mœnia* dignius quam spelunca.

Raptor ; *rapi*, proprie de virginibus.

711. *Et gelidi* ; quidam *egelidi*, quod præfert Mar. Accursius, qui monet hoc vocabulum et vehementer et mediocriter frigidum notare. Regii nostri, et *gelidi*. *Gelidi tyranni* ; Boreæ, qui frigidissimus omnium ventorum. *Actæa*, Attica : vide ad i. 313 : *Actias Orithyia*, apud Virg. Georg. iv. 463. *Partus* de prole. Sed in qua corporis parte illi *pennas* habuerint, de eo non consentiunt poetæ. Hyginus, fabula 14 : *Hi capita pedesque pennatos habuisse feruntur* ; apud Orpheum volant *ρασοίσιν ἵπου-αρίοις*, *alis sub aures enatis*, vid. Wesseling. Probab. ix. p. 78. ubi copiose de hoc poetarum figmento agit, et nummum antiquum commemorat, in quo alatum Calais caput. Et Antiqui ventos temporibus alatis finxerunt. Drakenb. ad Sil. vii. 257. *Caluis* autem et *Zetes* expressi etiam in solio Amyclæi : vid. Heynii Exc. vii. ad Æn. iii. et in libro *Antiq. Aufsætz*. Is monet, turbines inter Asiam et Græciam frequentes originem huic fab. dedisse. *Submissa barba*, ut alibi *promissa*. *Zetes*. In Ciofani MSS. omnibus legitur *Zethus* : sic etiam Palæphatus, 23. Vide Munker. ad Hygini fabulam 14.

Non tamen has una memorant cum corpore natas ;
 Barbaque dum rutilis aberat submissa capillis ;
 Implumes Calaisque puer, Zetesque, fuerunt. 716
 Mox pariter ritu pennæ cœpere volucrum
 Cingere utrumque latus ; pariter flavescere malæ.
 Ergo, ubi concessit tempus puerile juventæ,
 Vellera cum Minyis nitido radiantia villo, 720
 Per mare non motum prima petiere carina.

720. *Nitido radiantia villo, villis aureis.* *Non motum*, scil. remis, in quo nemo unquam navigavit, adeoque ignotum. Etiam Manil. i. 76. *immotum pontum* dixit ; *Pulsa vada*, Tibul. II. v. 34 ; *Remo movere* est Amor. II. xi. 5. *Prima carina.* Argum primam navem fabricâsse multi poetæ crediderunt. Vide loca ab Heinsio laudata. Hinc

quum navigationes detestantur, increpant Argonautarum audaciam, ut Phædrus, IV. fab. vi. 6 sqq. ; Ovidius, Amor. iii. 2. Nempe hæc fuit prima navis bellica, quam Græci fabricârunt ; Plin. vii. 56 : *Longa nave Jasonem primum navigâsse, Philostephanus auctor est.* Confer. Diodorus, iv. 41.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER SEPTIMUS.

N. B. Argumentum hujus libri septimi Metamorphoseon, relatum invenies in serie CANTERI, supra pag. 55.

FAB. I.

JAMQUE fretum Minyæ Pagasæa puppe secabant,
Perpetuaque trahens inopem sub nocte senectam

1—158. *Jason et vellus aureum et Medeam in patriam reportans.*] Nobilis satis et perquam utilis cosmographiæ, nauticæ arti et mercaturæ Græcorum expeditio Colchica, suscepta a Jasone, Thessalorum duce, anno 1253 ante ær. Chr.; sed eadem fabulis adeo involuta, ut, quid veri subsit, vix constitui certo possit. Vere haud dubie ductu antiqui cujusdam scriptoris monet Eustath. ad Dionys. Perieg. ver. 689. mercaturæ potissimum causa patefacere sibi voluisse Græcos Pontum Euxinum, classeeque instructa sibi parere emporia quædam in Colchide. Noti sunt poetæ, qui hanc expeditionem carminibus suis celebrârunt. De hac nostra fab. confer Heroid. vi. et xii; Hygin. fab. 21. 25; Apollod. I. ix. 23. Noster plurimus est in Medææ amore notando. *Jamque fretum, etc.* Nexus causa quædam de itinere Argo-

nautarum præmittuntur, sed brevissime. *Minyæ*, Argonautæ, quorum plurimi et præstantissimi originem se trahere gloriabantur a *Minyæ* filiabus, de quibus iv. 1; Apollon. Rh. i. 239. Ipse Jason *Minyæ* neptem habuit matrem. Perizon. ad Ælian. v. H. III. xlii. p. 310. Alii aliter. Vide Hælzlin. ad Apollon. d. l. *Pagasæ*, portus ad pedem Pelii montis, ubi navis Argo fabricata, et unde solverunt Argonautæ. Mela, II. iii. 85. Argonautæ appulerunt in Thracia, ubi *Phineus*, vates, de quo multa fabulantur scriptores Argonautici. Vid. Cerda ad Virgilium, Æn. iii. 216. Is, sive quod Deorum consilia enunciaverat, sive ut excæcatorum filiorum pœnam lueret, excæcatus erat et ipse, eique additæ erant Harpyiæ, quæ cibum miseri senis ab ore auferrent, aut reliquias fœdo odore implerent. Eas vero Zetes et

3 B

Phineus visus erat; juvenesque Aquilone creati
 Virgineas volucres miseri senis ore fugârant;
 Multaque perpessi claro sub Iasone, tandem 5
 Contigerant rapidas limosi Phasidos undas. [cunt,
 Dumque adeunt regem, Phryxæaque vellera pos-
 Lexque datur numeris magnorum horrenda la-
 borum,

Calais, qui erant inter Argonautas, sublimes per aera, fugârunt in insulas Strophades. Quo facto, Phineus Argonautis viam monstravit, eosque consiliis variis adjuvit. Orph. 665 sqq.; Apollon. ii. 178 sqq.; Apollod. lib. I. ix. 21. Senectutem hebetâsse aciem oculorum Phinei, ejusque opes dispersas esse a filiabus, quas Zetes et Calais ex oppido expulerint, putat Palæph., xxiii. Harpyiarum mentio fit apud Homerum, pluribus locis, et apud Hesiod. Th. 267. Vide Heynii Exc. vii. ad Æn. iii; cui meteori, vel procellosi venti genus sic innuisse videntur Antiqui. *Trahere vitæ molestias et calamitates exprimit.* Æn. ii. 92: *vitam in tenebris luctuque trahebam*; iii. 647; Phædrus, III. vii. 12. *Perpetua nox, ut æterna nox*, iii. 335. *Sub re esse dicitur, qui ex ea laborat.* iii. 525; ix. 465. *Virgineas volucres*, Harpyias, quibus virginei vultus, fœdissima ventris proluviæ, unæ manus, et pallida semper ora: confer. Virgilius, Æn. iii. 216. *Ore*; deest, ab. *Multa perpessi*, soleune de navigantibus; Æn. i. 199. *o passi graviora*; Horat. I. Od. vii. 30. *pejoraque perpessi mecum.* Od. A. 4. *πολλὰ πάθειν.* *Claro*; sortitus ille erat *πανεξοχον αίμα*; Orpheus, 80: adde virtutem et famam. *Rapidus et limosi* communia epitheta et ornantia; Phasis enim ab Orpheo, 761. *πρηνὸ βέων*, placide fluens, et, 655. *καλλίροος*, pulchre fluens, vocatur. *Phasidos*; fluvii Colchidis in Euxinum mare se exonerantis.

7. *Dumque adeunt regem*; apud Orphea, 784 sqq. *Æetes* prior eos adit ad Phasin adhuc sedentes. *Phryxæa*, quæ Phryxus Æetæ attulerat. Palæphatus, 31; cujus ex mente *vellera* sunt opes, quas Phryxus, Athamantis insidias fugiens, in Colchidem attulerat; nec aliter Herodotus, vii. 197; Diodorus, iv. 47. Lanam et pelles e Colchide exportâsse mercatores Græcos censet Varro R. R. ii. 1. *Velleribus jam olim e fluviis collectas esse arenas aureas, idque originem fabulæ dedisse monet Strabo, xi. p. 763.*

8. *Lex*, conditio. Hyginus, fabula 22; *Æeta Jasoni hanc similitudinem* (hanc conditionem ex similitudine profectam; vide Munckerum, ad fabulam 84.) *constituit.* Verum *lex* non nisi unus MS. habet, unde Heinsius sumpsit. Cæteri, *Voxque.* Quod quum auctoritate MSS. se tueatur, quum *vox sæpe et dari* proprie de responsis usurpetur, quum vix dubium sit quin Noster respexerit Valerius Flaccus, i. 209. *Vix reddita tandem vox horrenda viris*: apparet, temere invecum esse Schirachium in Burmannum, qui satis modeste monuerat, vulgatum *Voxque* defendi posse. *Numeris laborum*, propter multitudinem laborum. Apud Hesiodum, Theog. 993. *Jason peragit σπονδιέντας αἰθλους, τοὺς πολλοὺς ἐπέτελλε μέγας βασιλεύς.* Quamquam *numeri* etiam possunt esse partes illius horrendi laboris, tauri ignem vomentes, seges armatorum, draco vellus custodiens: sic *numeri veritatis, officii,*

Concipit interea validos Æetias ignes ;
 Et luctata diu, postquam ratione furorem 10
 Vincere non poterat : “ Frustra, Medea, repugnas ;
 Nescio quis Deus obstat,” ait, “ mirumque, nisi
 hoc est,
 Aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur.
 Nam cur jussa patris nimium mihi dura videntur ?
 Sunt quoque dura nimis : cur quem modo deni-
 que vidi, 15
 Ne pereat, timeo ? quæ tanti causa timoris ?
 Excute virgineo conceptas pectore flammæ,
 Si potes, infelix : si possem, sanior essem.
 Sed trahit invitam nova vis ; aliudque Cupido,
 Mens aliud suadet : video meliora, proboque ; 20

legionis, partes, quæ illas res constituunt. Atque hanc rationem prætulim priori. Lenzius vero malit cum aliis *Minyis*, quia labores illi non numero memorabiles fuerint. *Magnorum laborum* ; Orpheus, 935. *διζυρος πόρος*.

9. *Concipit interea*, etc.] Juno, Jasoni favens, Venerem impulerat, ut Medæ hunc amorem injiceret : Hygin. fab. 22 ; sic et Orpheus, 864 sqq., ubi tamen et dira Erinnys sagittam in ejus viscera mittit. Horat. Epod. iii. 9 : *Argonautas præter omnes candidum Medea mirata est ducem*. In sequentibus præclare notatur tumultus animi internus, conflictus furoris et rationis. Omnino Noster felix est in ejusmodi lucta ad naturæ veritatem describenda. Confer viii. fab. 1 ; IX. fab. viii. et vii ; X. fab. vii. *Æetias*, Medea, *Æetæ* et *Idyæ* filia. Apollon. iii. 242. *Validus* et de igne proprie sic dicto et de amore ponitur. *Furor*, insanus amor (h. l. cum dilectu, quia opponitur *rationi*,) tanto difficilior vinci poterat, quia eum humanitas adjuvabat :

quæ duo per omnem hunc locum commode miscentur. Ad extremum furor, ut fit, vincit. *Mirumque*, etc. Rudis adhuc virginis simplicitas notatur.

15. *Modo denique*, nunc primum, ut iii. 650 ; mox versu 86. *tum denique*. Mira in omni h. l. est orationis suavitas.

17. *Excute*.] Ciofanus metaphoram a silice, e quo ignes eliciuntur, ductam putans, confundebat, ut Burmannus jam monuit, *excudere* et *excutere*. *Excuti* passim dicuntur affectus, qui deponuntur.

19. *Nova* ; mihi adhuc incognita, et antehac nunquam experta.

20. *Video meliora, proboque*, etc.] Hæc sententia semper placuit, quia et verissime et brevissime naturæ humanæ vitiositatem notat. Ciofanus monet, expressam eam esse ex Euripide (Hippol. 380.) *τὰ χρῆστ' ἐπιστάμεθα, καὶ γινώσκωμεν. Οὐκ ἐκπονοῦμεν δέ*. Ibi Valkenar. similes sententias collegit. Etiam Horat. I. Ep. viii. 11 : *Quæ nocuere, sequar ; fugiam, quæ profore credam*.

Deteriora sequor : quid in hospite, regia virgo,
 Ureris? et thalamos alieni concipis orbis? [an ille
 Hæc quoque terra potest, quod ames, dare : vivat,
 Occidat, in Dis est; vivat tamen; idque precari,
 Vel sine amore licet; quid enim commisit Iason?
 Quam, nisi crudelem, non tangat Iasonis ætas, 26
 Et genus, et virtus? quam non, ut cætera desint,
 Forma movere potest? certe mea pectora movit.
 At, nisi opem tulerō, taurorum afflabitur ore;
 Concurretque suæ segeti, tellure creatis 30
 Hostibus : aut avido dabitur fera præda draconi.
 Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam,
 Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor.
 Cur non et specto pereuntem? oculosque videndo
 Conscelero? cur non tauros exhortor in illum, 35

22. *Uri in aliquo, ut in aliquo ardere, æstuarè, capi. Concipis, scilicet, animo, cupis et speras. Amat Noster hæc vocabula, in Dis, in potestate Deorum, pendet a Diis; Heroid. xx. 44. Exitus in Dis est. Demosth. Cor. p. 292. 'Εν γὰρ τῷ θεῷ τὸ τοῦτου τέλος ἦν, οὐκ ἐν ἐμοί.*

27. *Ut cætera desint, etc.] Sic in libro v. 527 : ut desint cætera, quantum est Esse Jovis fratrem. Fortem, formosum ac nobilem Jasonem vocat Hyginus, fabula 25. De Forma vide Schol. Pindari, ad Pyth. Od. v. 6 : ὅτι δὲ εὐπρεπὴς ἦν ὁ 'Ιάσων, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ τὴν 'Ηραν αὐτῷ ἐπιμανῆσαι. Heroid. xii. 11. ei tribuuntur flavi capilli, decor et gratia linguæ. Et multa de illa forma apud Veteres.*

30. *Concurrere ponitur de conflictu prælii. Præda, qui obijciuntur vel vivi, vel mortui feris devorandi. Ita jam Homerus, II. A. 4. αὐτοῦς δ' ἐλώρια τεῦχε κύνεσσιν. Ferrum et scopulos in corde; confer ix. 612. Cru-*

delissimo et durissimo pectore, χάλκιοκαρδίος, essem. Euripides, Med. 1279. ὡστ' ἀρ' ἦθα πέτρος ἢ σίδαρος; Æschyl. Prom. 242. σιδηρόφρων κάκ πέτρας εἰργασμένος; Noster iii. Trist. xi. 3 : Natus es e scopulis, nutritus lacte ferino, Et dicam silices corpus habere tuum.

35. *Oculos conscelerat, qui facinus aliquod libenter spectat. Sic scelerare manus apud Virgilium, Æn. iii. 42. et conscelerare aures apud Livium, xl. 8. Exhortor. Sic hortari canes, x. 536. Terrigenus, e terra natos. Inopitum, pervigilem : Euripides, Med. 481. αὐπνον. Draconem, qui multis voluminibus servabat aureum vellus. Di meliora, abominandi et avertendi formula. Brisson. Form. i. p. 94. Additur hoc loco velint, quod plerumque reticetur. Prodamne; nempe responsum erat Æetæ, eum regnaturum, quamdiu vellus aureum teneat. Quidam Perdamne, quod sane melius opponitur τῷ servabitur.*

Terrigenasque feros, insopitumque draconem ?
 Dî meliora velint : quanquam non ista precanda,
 Sed facienda mihi : prodamne ego regna parentis ?
 Atque ope nescio quis servabitur advena nostra,
 Ut per me sospes, sine me, det linthea ventis, 40
 Virque sit alterius ? pœnæ Medea relinquer ?
 Si facere hoc, aliamve potest præponere nobis,
 Occidat ingratus : sed non is vultus in illo,
 Non ea nobilitas animo est, ea gratia formæ,
 Ut timeam fraudem, meritique obliviam nostri. 45
 Et dabit ante fidem ; cogamque in fœdera testes
 Esse Deos : quid tuta times ? accingere ; et omnem
 Pelle moram : tibi se semper debebit Iason :
 Te face solenni junget sibi ; perque Pelasgas
 Servatrix urbem matrum celebrabere turba. [osque,
 Ergo ego germanam, fratremque, patremque, De-
 Et natale solum, ventis ablata, relinquer ? 52
 Nempe pater sævus, nempe est mea barbara tellus ;
 Frater adhuc infans ; stant mecum vota sororis.
 Maximus intra me Deus est : non magna relinquer ;

43. *Non is*, tam infidelis, *vultus*, non ea, tam degener, *nobilitas*, non ea, tam fallax, *gratia formæ*. Non id denunciat vultus, nobilitas, forma. Monet Burmannus elegantem esse illum usum pronominis *is*. Liv. i. 34: *Eam alitem, ea regione cæli, et ejus Dei nuncium*; Plin. V. Ep. vi. 13: *Ea varietate ea descriptione oculi reficiuntur*. *Quinque, mobilitas*. Et *mobilis Æsonides* est Heroid. vi. 109; sed vulgata servanda propter *vultus* et *gratia*. Pro *formæ* Heinsius malit *morum*, quia præcessit *vultus*. Sed *vultus* et *forma* differunt.

46. *Et dabit ante fidem*; et, antequam illi opem feram, jurejurando

promittet me sibi uxorem futuram. *Fœdus*, omne id, de quo inter plures convenit.

48. *Debebit.*] *Se debet alteri*, qui fatetur, se omnem salutem suam ei debere: confer ver. 164. *Matres*, nempe Argonautarum ob filios servatos. Ver. 159.

53. *Nempe pater sævus.*] Elegans est hic usus vocis *nempe*, qui removet quod objectum est. *Barbara*, nempe e sermone Græcorum. *Soror*, Chalciope. Ejus et Phryxi filii, ab Argonautis in Dia insula reperti, Jasonem ad Colchos ducunt matricem commendant; quæ eundem Medæ sorori tradit. Ilyginus, fabula 21.

Magna sequar : titulum servatæ pubis Achivæ, 56
 Notitiamque loci melioris, et oppida, quorum
 Hic quoque fama viget, cultusque, artesque vi-
 rorum :

Quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
 Æsonidem mutâsse velim : quo conjuge felix, 60
 Et Dis cara ferar, et vertice sidera tangam.

Quid, quod nescio qui mediis concurrere in undis
 Dicuntur montes, ratibusque inimica Charybdis,

56. *Sequar*, vel *persequar*, vel *consequar*. *Titulus*, gloria, ut iv. 644. *Cultus*, vitæ ratio exulta. *Artes* quum et inventæ et excultæ apud Græcos sint, commode hic fit earam mentio. Male igitur hoc vocabulum, et sequens, licitatum est. Hoc autem nos morari non debet, quod illo tempore *artes* nondum effluerant inter Græcos; millies enim Noster temporum discrimen neglexit. Confer ii. 795.

60. *Mutare*, permutare. *Mutare* Jasonem *cum rebus* exquisitius, quam, *mutare* res cum Jasonem. Amat illam conversionem etiam Horatius, v. c. II. Od. xii. 13: *Num tu Mygdonias opes permutare velis crine Licymniæ*. Vid. Bentleius, ad II. Od. xvi. 19. *Conjuge felix*; at ab eventu *αἰνόγαμος* et *αἰνόλεχης*, conjugii infelix passim ab Orpheo dicitur. *Vertice sidera tangam*. Passim occurrunt apud poetas Dii, qui ita se attollunt, ut vestigia ponant in terra, capite autem cælum tangant: sic apud Callimachum, h. Cerer. 49. et Virgilium, Æn. iv. 176. Hinc fluxit formula poetis familiaris (Horat. I. Od. i. 36; Noster, i. Fast. 210.) *Vertice cælum ferire*, aut *tangere*, qua primum immensa et augusta quædam altitudo, deinde insignis quædam et plus quam humana felicitas exprimebatur. Ausonius, Id. viii. 52: *tum terque quater quebeat—tum tangam vertice cælum*.

62. *Quid, quod nescio*, etc.] Esse quidem pericula nonnulla subeunda intelligit, sed animum erigit eo, quod Jasonem suum habeat comitem. *Mediis*, etc. Intellige *Cyanæ*, insulæ, seu *petræ*, contra Pontum Euxinum, quæ quum propter angustum transitum ex illusionem optica *concurrere* viderentur navigantibus, *συμπληγάδες*, *συνδρομάδες*, *συνορμάδες*, et *concurrentia saxa* dicebantur: vide Schol. Euripidis, ad Med. 2; *Tournefort*, *Voyage du Levant*; tom. ii. p. 149 sqq.

63. *Charybdis*.] Nihil in freto Siculo nobilior *Charybdi* et *Scylla*. *Charybdim*, *ratibus*, quas appropinquantes absorbet, hodie minus quam olim *inimicam*, efficit vehementior undarum fluxus sibi invicem contrarius, ut observavit etiam nuper Brydon. in *Reise nach Sicilien*, tom. I. Epist. iii. Veteres autem putârunt, in mari esse vorticem, fluctus nunc *sorbentem* (*sorbere* et *resorbere* *ἀναρροῦσθῆν*, ponitur de vortice,) nunc *reddentem*. *Scylla* (hodie Sciglio) promontorium petrosum in litore Calabria, ad quod maximo cum sonitu alliduntur undæ freti. Cinctum est scopulis e mari prominentibus, in quibus speluncæ, quibus augetur strepitus ille undarum. Hos ergo Veteres (Homer. Od. M. 73 sqq. Virg. Æn. iii. 424.) cum *canibus*, scilicet marinis, *scævis* et *latrantibus* (quod verbum etiam de strepitu undarum,

Nunc sorbere fretum, nunc reddere; cinctaque
sævis

Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo? 65
Nempe tenens quod amo, gremioque in Iasonis
hærens, [hor;

Per freta longa trahar: nihil illum amplexa vere-
Aut, si quid metuam, metuam de conjuge solo.

Conjugiumne putas? speciosaque nomina culpæ
Imponis, Medea, tuæ? quin aspice, quantum 70
Aggrediare nefas; et, dum licet, effuge crimen.”

Dixit: et ante oculos rectum, pietasque, pudorque
Constiterant; et victa dabat jam terga Cupido.

Ibat ad antiquas Hecates Perseïdos aras,
Quas nemos umbrosum, secretaque silva tegebant.

apud Virg. *Æn.* vii. 538) comparârunt, Scyllam autem ipsam cum monstro horrendo, cujus facies varie a poetis, et in monumentis exprimitur. Vid. Brydon. d. l. *Cincta*. Sic *succincta canibus* Scylla, apud Lucret. v. 890; Tib. 3. 4. 89; Virg. *Ecl.* vi. 75. Cæterum etiam Homerus. *Od.* M. 69; Orpheus, *Arg.* versu 1247; Apollod. p. 65. tradunt, Argonautas illa loca penetrâsse. Conf. *Heroid.* xii. 123.

66. *Tenere* eleganter dicimur, quem nobis donatum aut servatum habemus, adeoque fere conjungitur cum *amplexibus*. Sic et infra versu 143. Vide ad Plin. VI. *Ep.* vii. 1. *Quod amo*, ut versu 23, *quod ames*. *Longa*, longinqua, ut viii. 142. *Trahar* nunc non de violento raptu capiendum, sed eleganter hoc verbum de longis per diversa maria laboribus usurpatur. Horatius, I. *Od.* xv. 1; Valer. Flac. vii. 271. Vid. Burmannus. *Verebor—metuam*; grave est horum et verbi *timere* discrimen, quod ex scriptoribus Romanis ipsis petemus. Cic. *Metuebant eum servi, verebantur liberi*. Vir-

gilius, *Vota metu duplicant matres propiusque periclo It timor*. Horatius, *Metuensque futuri*. Quare *metuere* de metu venturo et longinquo; *timere* de periculo jam proximo; *vereri* autem proprie de liberis qui, honesti gratia, pudore moventur.

69. *Conjugiumne putas?* Virgilius, *Æn.* iv. 172. *Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam*.

74. *Ibat ad antiquas, etc.*] De hac fabulæ parte confer Apollonium iii. 738 sqq. Apud Orphea, 874 sqq. Medea clam noctu venit ad Jasonem Argoamque navem. *Hecates*, cujus sacerdos Medea, et quæ præerat beneficiis, Apollon. iii. 500; *Æn.* iv. 511; Claudian. xxxiii. 15. *Perseïdos*, quia Persæ filia. Hesiodus, *Theog.* 419. Quantopere venerata sit Medea Hecaten, vide apud Euripidem, *Med.* 395 sqq. *Secreta silva*, circumlocutio luci, et versu 95. *lucus* vocatur. Non igitur erat, cur Burmannus *secreta* in *sacrata* mutari vellet. Hoc ipsum *nemus* descripserunt Orpheus, 909 sqq. Noster, *Heroid.* xii. 67.

Et jam fortis erat, pulsusque resederat ardor; 76
 Quum videt Æsoniden; extinctaque flamma re-
 Et rubuere genæ, totoque recanduit ore. [vixit;
 Ut solet a ventis alimenta assumere, quæque
 Parva sub inducta latuit scintilla favilla, 80
 Crescere, et in veteres agitata resurgere vires:
 Sic jam lentus amor, jam quem languere putares,
 Ut vidit juvenem, specie præsentis inarsit.
 Et casu, solito formosior Æsone natus
 Illa luce fuit: posses ignoscere amanti. 85
 Spectat; et in vultu, veluti tum denique viso,
 Lumina fixa tenet; nec se mortalia demens
 Ora videre putat; nec se declinat ab illo.
 Ut vero cœpitque loqui, dextramque prehendit

76. *Fortis*, confirmato adversus amorem animo. *Fortis*, scilicet Medea. *Revixit*; flamma eleganter dicitur *vivere, mori* et *reviviscere*: vid. Heinsius. *Recanduit*. Recaluit et rubore suffusus est totum os. Amat Ovidius h. v. Medea apud Orphea, 879 sqq. plus etiam facit: cum impetu irruens amplectitur Jasonem et osculatur etc.; sed Noster magis decorum servavit. Apollon. iii. 963 *ἄερμον δὲ παρηΐδας εἶλεν ἔρενθος*.

79. *Alimenta ignis assumit*; sumit, a lignis, h. l. a *ventis*; excitatur, i. q. mox *agitatur*. Similitudo a *scintilla* petita legitur apud Apollon. iii. 291 sqq. *Inducta*; Lactant. Opif. xviii. 4. *Latet ignis obducto cinere sopitus*.

82. *Lentus* de affectibus frigidis et remissis. Heroid. xv. 169: *Amor tetigit lentissima Pyrrhæ Pectora*. Amor. I. viii. 76: *Neve—lentescat sæpe repulsus amor*. *Ut vidit*, etc. Heinsius rejecit hunc versum, ut otiosum. At Ovidius non solet in similitudinibus apodosin suppressere. Lenzio etiam versus 82 spurius videbatur,

quia de reviviscente amore jam supra versu 77 dictum, putatque Nostrum plures interdum versus apposuisse, ut, si quando retractaret opus, meliores eligeret. Idem et censet, *præsentis* post *vidit* otiosum esse. Immo urgetur notio primaria. Codices nostri Regii nihil mutant nec omittunt. *Specie*, pulchritudine.

85. *Illam luce*; illo die. De vi illius pulchritudinis in animo Medæ confer Apollon. iii. 443 sqq. Nec video, cur Burmanno locutio, *amor specie*, decore et pulchritudine, *præsentis inarsit*, parum latina visa sit, quum Quintil. Inst. Or. XI. iii. 2. dixerit, *Affectus, si languescant, voce, vultu*, etc. *inardescere*.

88. *Nec se declinat ab illo*; nec oculos suos ab illo avertit spectando.

89. *Ut vero cœpit*, etc.] Confer viii. 32 sqq. *Submissa vox*, tenuis et exilis, qua utuntur amatores verecundi, cum pudore et reverentia amorem fatentes. Ita *submisso sono* loqui, apud Tibullum, III. i. 22; sic infra xi. 187. *voce parva*. Vir doctus in Miscel. Observ. vol. II. tom. i. p. 36. blandam interpretatur;

Hospes, et auxilium submissa voce rogavit; 90
 Promisitque torum; lacrimis ait illa profusis:
 “ Quid faciam video; nec me ignorantia veri
 Decipiet, sed amor: servabere munere nostro;
 Servatus promissa dato.” Per sacra triformis
 Ille Deæ, lucoque foret quod numen in illo, 95
 Perque patrem soceri cernentem cuncta futuri,
 Eventusque suos, et tanta pericula jurat.
 Creditus, accepit cantatas protinus herbas,
 Edidicitque usum; lætusque in castra recessit.

Postera depulerat stellas Aurora micantes: 100
 Conveniunt populi sacrum Mavortis in arvom;
 Consistuntque jugis: medio rex ipse resedit
 Agmine purpureus sceptroque insignis eburno.
 Ecce adamanteis vulcanum naribus efflant

Burmannus et Lenzius, supplicem. *Verum*, rectum.

94. *Triformis Dea*; Hecate τριπρόσωπος, τρίμορφος, τρισσοκάρηνος, *tergemina*, etc.; vel quia triplex caput, equi, canis, leonis habebat: Orpheus, Arg. 974; vel quia in triviis colebatur statuis tricipitibus: Nost. Fast. i. 141. In cœlo, in terra, apud inferos versabatur, eademque erat et Luna, et Diana et Proserpina: vid. Cerda ad Virgilium, Æn. IV. 511. *Pater Æetæ* fuit *Sol*, *cuncta cernens*. Solet autem *Per* ita repeti ab Ovidio, vid. Burmannus, ad Art. Amat. i. 96.

98. *Creditus*; fides ei habita. *Cantatas*, incantatas, fascinatas. *Medea* incantatrix et venefica insignis; et Colchis venenorum præsentissimum ferax. Apud Pindar. P. iv. 392 sqq.; Apollon. iii. 1041 sqq.; et Apollodorum, dicto loco, dat φάρμακον, quo Jason se et arma sua inungat. Multo operosius res agitur Orph. 955 sqq. *Castra*; locus, ubi consederant Argonautæ, et ubi in statione navis.

VOL. III.

Apud Apollonium, iii. 1147. Jason εἰς ἑτάρους καὶ νῆα-κεχάρμενος ὄρω νέεσθαι.

100. *Postera depulerat*, etc.] Confer Apollon. ii. 230 sq.; 409 sq.; iii. 1268 sqq. Hic consessus spectantium, terribilis taurorum natura, Jasonis pugna bene et ordinæ describuntur. *Populi*, incolæ. *Jugis*, nempe Caucasii, quibus illud *arvom*, ager, includebatur: Apollon. d. l. *Resedit* melius est, quam aliorum *sedebat*, ut actus residendi commemoretur; quod bene respondet verbis *conveniunt* et *consistunt*. Itaque in versu sequenti, *innixus*, quod nonnulli habent pro *insignis*, verum esse non potest; sed *insignis* bene convenit τῷ *purpureus*, id est, purpurea veste ornatus, ut viii. 33.

104. *Ecce adamanteis*, etc.] Primus laborum numerus. Conf. Apollon. iii. 1298 sqq. Erant duo tauri χαλκόποδες, στόματι φλόγα φνυσιδωντε. *Æs* robur pedum significat, πυρρῆνοι jam dicti Antimacho. Inde et habebant χάλκεια

3 C

Æripedes tauri; tactæque vaporibus herbæ 105
 Ardent: utque solent pleni resonare camini,
 Aut ubi terrena silices fornace soluti
 Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum:
 Pectora sic intus clausas volventia flammæ,
 Gutturæque usta sonant: tamen illis Æsone natus
 Obvius it: vertere truces venientis ad ora 111
 Terribiles vultus, præfixaque cornua ferro;
 Pulvereamque solum pede pulsavere bisulco;
 Fumificisque locum mugitibus implevere.
 Diriguere metu Minyæ: subit ille; nec ignes 115
 Sensit anhelatos; tantum medicamina possunt!
 Pendulaque audaci mulcet palearia dextra:
 Suppositosque jugo pondus grave cogit aratri
 Ducere, et insuetum ferro proscindere campum.

σρόματα, Nostro *adamanteas*, ferreas, *nares*. *Vapores*, ignes. Claudiano, xxviii. 346. sunt ignes fulminis, quibus ferrum dissolvitur.

106. *Ardent*.] Heinsius malit *Arent*. Par erat vehementiam vaporum similitudinibus illustrare. Prior probanda est, non item posterior; *silices* enim aspergine aquæ stridorem edunt, alienum illum a faucibus taurorum. Apollonius, dicto loco, eos cum follibus comparat ignem cum strepitu excitantibus. *Pleni*; nempe flammarum. *Terrena*. Burmannus conjecturat *Tyrrhena*: quum enim in Etruria multæ fuerint figulinæ, veri non esse dissimile et calcem ibi esse coctam. Regii nostri habent *terrena*, sed per compendium. *Terrena*, ex lateribus coctis constructa. *Silex*, calx cocta, quæ ubi arsit in fornace, aquis accenditur: Plin. xxxvi. 23. *Soluti*, mites facti. *Volvere* exquisitius, quam, vomere. Illud enim simul volumina exprimit et globos flammarum ex ore

prodeuntium. Tibullus, III. iv. 86. *flammam volvens ore Chimæra fero*. *Usta*, ardentia.

112. *Præfixa ferro*, præfixo ferro, omnino ferrea. *Pulvereamque*, etc. pulsaverunt solum sic, ut pulvis spargeretur, more taurorum pugnantium. Senec. Ira, I. *Cornua jactantur in vacuum et arena pulsu pedum spargitur*.

114. *Fumificis*, fumum efficientibus. *Implevere*; spondæo in quinta versus sede usus est poeta, ut boum mugitus redderetur.

116. *Medicamina*, herbæ incantatæ, venena, *φάρμακα*. Inde *φαρμακείτριαι*, incantatrices, et *φαρμακείεσθαι*, incantare. Noster, Heroid. xii. 15. *Isset anhelatos non præmedicatus in ignes*. De *palearibus*, vide ad ii. 854. De *jugo*, vide ad ii. 109. unde apparet, tauros recte dici *supponi* jugo. *Pondus*, etc. Apollon. iii. 232. *σπιθαροῦ ἀδάμαντος ἄροτρον*. *Insuetus*, quia Marti sacer, ver. 101. quem adeo aratro proscindere nefas.

Mirantur Colchi; Minyæ clamoribus implent, 120
 Adjiciuntque animos: galea tum sumit athena
 Vipereos dentes; et aratos spargit in agros.
 Semina mollit humus, valido prætineta veneno;
 Et crescunt, fiuntque sati nova corpora dentes.
 Utque hominis speciem materna sumit in alvo, 125
 Perque suos intus numeros componitur infans;
 Nec nisi maturus communes exit in auras:
 Sic ubi visceribus gravidæ telluris imago
 Effecta est hominis, fœto consurgit in arvo;
 Quodque magis mirum, simul edita concutit arma.
 Quos ubi viderunt præacutæ cuspidis hastas 131
 In caput Hæmonii juvenis torquere paratos;
 Demisere metu vultumque animumque Pelasgi.
 Ipsa quoque extimuit, quæ tutum fecerat illum:
 Utque peti juvenem tot vidit ab hostibus unum,

120. *Clamoribus implent*, nempe Jasonem de repetitis clamoribus hortantium accipiendum. Sic excitati dicuntur *pleni hortantium vocibus*. In se autem *implere* vim hortandi habere, quod Heinsius putabat, non credo, et in locis ab ipso congestis additur *hortatibus, animis*, etc.

122. *Vipereos dentes*.] Partem dentium serpentis illius, quem Cadmus interfecerat (iii. fab. 1.) Ætæ dederat Minerva. Apollon. iii. 1175; Apollod. d. l.; Tzetz in Lycophr. p. 36. *Prætineta*, infecta, habentia venenum. De satis his hominibus Virgilius, Georg. ii. 142. ornatus: *galeis densisque virum seges horruit hastis*.

125. *Utque hominis speciem*, etc.] Similitudo obvia, i. 420. *Numeros*; vide ad i. 428. *Componitur*, absolvitur. *Maturus*, ix. 282. *Communis*; ut i. 135. *Viscera sæpe* de terra, sed hoc loco cum vi, quia liberi inter viscera matris concepi dicuntur: Seneca

ad Helv. 16. *Imago hominis*, homo. *Effecta* dici, quæ quasi artificis manu perfecta sint et elaborata, tradit Burmannus; passim de structura membrorum corporis humani occurrit. *Fœtus*, qui modo peperit, enixus est, ut *fœta vulpes*, Horat. III. Od. xxvii. 4; *fœta capellæ*, Virg. Ecl. i. 50. *Consurgit*, ut planta, quæ surgere dicitur, quum enascitur. *Concutit*. Vide, ad i. 143.

131. *Præacutæ*.] Hoc vocab. multis auctoritatibus confirmat Heinsius. Amat Noster talia, ut *præfrigidus*, *prælustris*, illustris, *præsignis*, insignis. *Paratos*. Heinsius Medicei unius auctoritate expulit *parantes*; quod defendi tamen potest ex iii. 115. *Paratus* ponitur de milite: vid. Grævius ad Cicer. Catil. iii. 7. *Demisere*, etc. Vide ad ii. 601: confer Heroid. xii. 97. *Pelasgi*, Minyæ Thesali. *Ipsa quoque*, Medea. *Tutum*, inviolabile.

Palluit; et subito sine sanguine frigida sedit. 136
 Neve parum valeant a se data gramina, carmen
 Auxiliare canit, secretasque advocat artes.
 Ille, gravem medios silicem jaculatus in hostes,
 A se depulsum Martem convertit in ipsos. 140
 Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres;
 Civilique cadunt acie: gratantur Achivi;
 Victoremque tenent; avidisque amplexibus hærent.
 Tu quoque victorem complecti, barbarâ, velles;
 Obstitit incepto pudor: et complexa fuisses; 145
 Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famæ.
 Quod licet, affectu tacito lætaris; agisque
 Carminibus grates, et Dîs auctoribus horum.
 Pervigilem superest herbis sopire draconem,

137. *Gramina*; herbæ. *Carmen*, formula magica. Formulæ vim maximam tribuebant Veteres etiam in sanandis hominibus; Homerus, Od. T. 457; Pindarus, Pyth. iii. 89. *Advocat* bene se habet, et convenit *τῷ ἀσπληνῶν* auxiliari; est enim in auxilium vocare.

139. *Ille*, etc.] Conjectum ab Iasone in vulgus seditionis semen inruit, unde mutuo inter se civili bello interierunt, ut libro iii. 118.

143. *Victoremque tenent*; etc.] Advolant et redeuntem amplectuntur. De *tenere*, vide ad ver. 66. *Pudor*, quo verebatur virgo virum complecti; sed hunc pudorem vicisset, nisi reverentia famæ eam tenuisset, retinisset. Sic nihil hic otiosum. Non igitur erat, cur Heinsius versum 145 spurium judicaret; Lenzius vero eum cum sequenti in unum conflari vellet, ut verba *et complexa fuisses*; *Sed te, ne faceres* ex glossa illata essent. Hi duo versus 145 et 146 aliter ordinantur in nostris Codicibus: *Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famæ*; *Ob-*

stitit incepto pudor, ut complexa fuisses. Ut pro ne, quod post se trahit verbum *obstare*, contra leges sermonis videtur: nihilominus hæc lectio mihi arridet, et sic interpungo: *Obstitit incepto pudor: ut complexa fuisses!* Hinc vitium syntaxis abest; et hæc ita Gallicè interpretari possunt; *la pudeur t'a arrêtée; sans cela, comme tu l'eusses embrassé!* *Agis Carminibus grates*; agnoscis deberi hoc carminibus.

149. *Pervigilem*, etc.] Tertius numerus laboris, vellus aureum in luco Martis ex arbore suspensum et a dracone servatum: Apollon. iv. 100 sqq. 162—166. *Draco* describitur ab Orpheo, 926 sqq. Heroid. xii. 101. Erat *ἄμμορος ὄπλον*, *pervigil*. De linguis tribus, vide ad iii. 34. *Arietis aurei* dedit Heinsius unius MS. ductu pro *arboris aureæ*, quod ei durum videbatur de arbore vellus aureum ferente. Sed in *ariete aureo* metonymia non lenior. Suspensum autem vellus e sacra fago ita, ut speciem arietis ramo insidentis præberet: Orph. 924; ibique Gesnerus.

Qui crista linguisque tribus præsignis, et uncis 150
 Dentibus horrendus, custos erat arietis aurei.
 Hunc postquam sparsit Lethæi gramine succi;
 Verbaque ter dixit placidos facientia somnos,
 Quæ mare turbatum, quæ concita flumina sistant;
 Somnus in ignotos oculos advenit; et auro 155
 Heros Æsonius potitur; spolioque superbus,
 Muneris auctorem secum, spolia altera, portans,

152. *Lethæus*; habens vim soporificam, ut *lethæa papavera*, Virg. Georg. iv. 545. Apud Orph. 1002. ipse Orpheus somnum advocat, veniens sopiat vim draconis. *Quæ concita*, etc. ex Apollon. iii. 530: *φάρμακα, τοῖς καὶ ποταμοῦς ἴστησιν ἄφαρ κελαδεῖνὰ ῥέοντα*. Cf. infra ver. 199.

155. *Ignotos*; quos somnus nunquam oppresserat. Seneca, Med. 472: *somno lumina ignoto dare*. Somnus eleganter dicitur *repere, obrepere, subrepere, irrepere*; vid. Heinsius: sed non minus eleganter *venire, abire, redire*; vid. Burmannus. *Auro*. Hic nequeam non referre docti Farnabii diatriben ad hunc locum. "*Auro*; aureo vellere: sed quid illud? Utrumne aries vere aureo vellere insignis ex Mercurii contactu? ut volunt Orpheus, Apollonius, Catullus, cujusmodi a Simonide vocatur purpurea aut candida. J. Tzetz. *Πρόβατα χρυσόχροα φέροντα τὴν ἐρίαν*? An nativo insignia rutilo, qualia habet Iberia? quippe ibi talento singulos emi arietes *εἰς τὰς ὀσχεύρας* refert Strabo, lib. iii. Spart. in vita Diadumeni, inter imperii adipiscendi omina, recenset in agro patris ejus oves purpureas natas. Vide quæ nos ad Thyesten Senecæ, versu 222. de arcano Tantalidarum ariete et sceptro aurato. An forte phiala erant aurea, cujus in medio prominebat caper, aut agnus aureus? ut habet Athenæus,

lib. vi. 4. An opulentia Scytharum, apud quos aurifodinæ; nec non ramenta auri fluminibus devecta, et ab incolis excerpta tabulis perforatis et velleribus transverso flumine suspensis, Phryxo prius, deinde Iasoni expeditionis causam, poetis fabulandi argumentum dederunt? An utique templum erat a Phryxo, qui Chalcio-pen regis Colchici filiam duxerat, conditum, auroque quod ex Græcia secum abstulerat, aliisque *ἀναθήμασι* ditatum, ad quod vel repetendum, vel etiam prædandum navigarunt Argonautæ? spoliatum id a Pharnace prius, deinde a Mithridate Pergameno tradit Strabo, lib. xi. An denique liber membranaceus ex arietum pellibus contextus, auri per chymiam conficiendi artem continens? ut inter alios, in *δέφας* Suidas. De aureis malis *τοῖς μήλοις*, vide lib. iv. 638. Qui ad mores fabulam referunt, Iasonem volunt a Chirone educatum, doctumque *ἰασιν*, artem mendi sanandique, tum mentis, tum corporis morbos accepisse. Medæ itaque, id est *μήδεος*, consilii ope violentorum affectuum tauros, injuriæ, fraudis, avaritiæ, libidinis, aliorumque vitiorum serpentes domuisse."

156. *Heros Æsonius*; Jason Æsonides. *Muneris auctorem*; Medeam, alterum spoliū, quæ auctor et causa fuit, ut Iason vellere aureo potiretur.

Victor Iolciacos tetigit cum conjuge portus.

II. Hæmonix matres pro gnatis dona receptis,
 Grandævique ferunt patres; congestaque flamma
 Tura liquefiunt, inductaque cornibus aurum 161
 Victima vota cadit; sed abest gratantibus Æson,
 Jam propior leto, fessusque senilibus annis.
 Tum sic Æsonides: "O cui debere salutem 164
 Confiteor, conjux, quanquam mihi cuncta dedisti,
 Excessitque fidem meritorum summa tuorum;
 Si tamen hoc possunt: quid enim non carmina pos-
 Deme meis annis; et demptos adde parenti." [sint?
 Nec tenuit lacrimas: mota est pietate rogantis;
 Dissimilemque animum subiit Æeta relictus. 170

158. *Iolciacos*; Thessalicos; Iolcos enim urbs Thessaliæ, Iasonis patria. Eam intrasse Jasonem reducem discrete tradunt poetæ, Euripides, *Med.* 484; Hyginus, *fab.* 24; Hesiodus, *Theog.* 997. εἰς Ἴωλκὸν ἀφίκετο—ἐπὶ νηὸς ἄγων ἑλικώπιδα κοῦρην.

159—294. *Æson ex sene in juvenem.*] Fabulam narraverat Auctor carminis Νόστωι, unde duos versus servavit Schol. Aristoph. ad *Eq.* 1318. Secundum Pherecydem et Simonidem Medea ipsum Jasonem reddidit juvenem. De iis, quæ Medea in Thessalia fecit, vid. *Bættiger* in *Expl. vasorum pictorum.* Palæphatus, cap. 44. putat, Medeam invenisse et succum quendam, quo cani redderentur nigri (de quibus χρίσματα πολίων, vid. *Casaub.* ad *Theophr.* ii.) et sudationem sive fomentationem, quæ dicta fuerit παρέψησις, concoctio, atque ea in re eam usam esse ahenis, lignis et igne. *Dona*, donaria, ἀναθήματα. *Ferunt*, nempe templis. Pro felici filiorum, amicorumve reditu victimæ et *voveri* et mactari solebant. *Congesta* multitudinis notionem involvit, constipata,

in altum exstructa. *Liquefiunt*, incenduntur. Ita *liquefcere* Horat. I. Sat. v. 99. Simillimus est locus, viii. 265 sqq.; nam ibi quoque hæc tria, victimæ, thus, donaria commemorantur. Confer etiam Heroid. i. 25: *Argolici rediere duces: altaria fumant: Ponitur ad patrios barbara præda Deos. Grata ferunt Nymphæ (nuptæ) pro sulvis dona maritis. Inductaque cornibus aurum.* Hostiarum majorum in sacris cornua inaurare moris erat: Confer *Homerus Odys.* Γ. 384; *Brouckhusius* ad *Tibullum* i. 15. *Cadere* verbum proprium de victimis mactatis: vide *Heinsium*; confer *Heroid.* vi. 73 sqq. *Gratantibus* Ciofanus male explicat, Jasoni felicem reditum gratulantibus. *Gratari* nunc, Diis gratias agere pro felici reditu. Inde *gratulationes*, dies festi, de re læta. *Fessus*, fractus, debilitatus.

168. *Deme meis annis—parenti*; quidam, *meos annos*; unde *Heinsius* coniecit *meis annos—paternis*.

170. *Dissimilemque animum*; rediit *Medæ* in *animum*, Jasonis pietati *dissimilem*, *Æetes* pater, erga quem

Non tamen affectus tales confessa, “ Quod,” inquit,
 “ Excidit ore pio, conjux, scelus? ergo ego cuiquam
 Posse tuæ videar spatium transcribere vitæ?
 Non sinat hoc Hecate; nec tu petis æqua; sed isto,
 Quod petis, experiar majus dare munus, Iason.
 Arte mea soceri longum tentabimus ævum, 176
 Non annis revocare tuis, modo Diva triformis
 Adjuvet; et præsens ingentibus annuat ausis.”
 Tres aberant noctes, ut cornua tota coirent,
 Efficerentque orbem: postquam plenissima fulsit,
 Et solida terras spectavit imagine Luna; 181
 Egreditur tectis, vestes induta recinctas,

relictum satis impia fuerat. Sic omnia plana; nec erat, cur Burmannus suaderet *difficilem*, id est, durum, inexorabilem.

171. *Tales affectus*, animum pietate Jasonis commotum, non *confessa*, nec vultu prodidit, nec verbis, sed potius objurgavit Jasonem. Itaque non magno opere mihi placet *pio*, quod pro tuo ex Neapolitano, Urbinate, Berneggeriano, et aliis quibusdam induxit Heinsius. *Ergo* cum indignatione efferendum. *Spatium transcribere vitæ*, numerum annorum tuorum tibi demptum alteri addere. Est autem *transcribere* verbum fœneratorum, qui pecunias aliis creditoribus *transcribunt*.

174. *Non sinat hoc*; averruncandi formula. *Quod petis, experiar majus*, etc. O Jason, tu munus a me petis de patris ætate renovanda; conabor dare majus quam petis: nam illum ad juventutem traducam; et de tuis annis qui restant nihil decerpam.

177. *Diva triformis*; Hecate veneficiorum carminumque auctor. *Præsens*, propitia.

179. *Tres aberant noctes*; sequitur locus classicus de arte magica, de

qua multi poetæ Latini, genium suæ ætatis sequuti: Horatius, Epod. V. xvii; Sat. I. viii.; Virg. Ecl. viii. *Æn.* iv. 504 sqq.; Lucanus, vi. 402; Noster, Fast. v. 429: ad quæ loca interpretes istas teratologias satis illustrarunt. Confer etiam Apollon. iii. 1028. Noster in primis imitatus est locum ex *Æneïde*. Summa autem erat artis magicæ auctoritas: Plinius, xxx. I. Nata erat ex medicina; hinc herbæ, carnes animalium, et carmina, quibus et ipsis vim sanandi inesse credebatur superstitiosa multitudo, adhibebantur. Addebantur religionis vires, hinc ritus illi divini. Ad Lunam, eamque plenam, exerceri solebant illæ artes, quibus Hecate, quæ eadem et Luna, præerat. *Coire*, jungi, quod versu 530 legitur. Sed *cogi* sic x. 495. *Tota*, in totum, ex toto. *Imago solida*, orbis plenus. *Solidum*, cui nihil deest: cumulat verba, et idem quater dicit.

182. Codex Regius A. *vestes inducta relictus*, et supra vocem *inducta*, ab eadem manu *eruta*; vulgata mihi videtur emendatio recentiorum. *Recinctas* soluta zona; apud Horatium, I. Sat. viii. 24. currit *suc-*

Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos ;
 Fertque vagos mediæ per muta silentia noctis 184
 Incomitata gradus : homines, volucresque, ferasque
 Solverat alta quies ; nullo cum murmure sepes,
 Immotæque silent frondes ; silet humidus aer :
 Sidera sola micant : ad quæ sua brachia tendens,
 Ter se convertit ; ter sumptis flumine crinem
 Irroravit aquis ; ternis ululatibus ora 190
 Solvit : et in dura submisso poplite terra,
 “ Nox,” ait, “ arcanis fidissima ; quæque diurnis
 Aurea cum Luna succeditis ignibus, astra,

cincta quo expeditior esset. Expedita Sagana est, Horat. Epod. v. 25. Nuda pedem. Nonnulli, pedes; et mox nudis humeris, sed nudi capilli etiam iv. 261. Regii nostri, Nuda pedem, nudos. Virgilius, Æneid. iv. 518: Unum exuta pedem vinculis, in veste recincta, ubi Heynius notat, eum habitum expressum esse in signis Veterum, etiam in vasis Etruscis; sed Fast. d. l. habent gemini vincula nulla pedes. Horat. I. Sat. viii. 24. currit pedibus nudis passoque capillo. De mutis silentiis, vide ad iv. 433.

185. *Homines, volucres, etc.] Magæ noctu artes suas exercebant. Hoc notatur a poetis, et ab omnibus eodem modo nox describi solet, a quiete volucrum, ferarum, etc. Noster respexit Æn. iv. 522 sqq. ubi et hæc: silvæ quierant; — Quum tacet omnis ager, pecudes pictæque volucres, etc. Quies, somnus, frequenter dicitur artus, oculos, etc. antea intentos et occupatos, solvere, id est, remittere, relaxare. Hinc ὕπνος λυσιμελής apud Homerum. Occurrit etiam solvi in somnum, ut paulo post. Nullo cum murmure sepes. Olim vulgata habebat nullo cum murmure serpens, Sopotis similes nullo cum murmure sepes, Immotæque, etc. Quies recte quidem*

serpere dicitur, quando latenter membris infunditur; sed quo jure additur nullo cum murmure? Tum repetitio eorundem verborum versu sequenti molestissima est. Itaque Naugerus, Scaliger et Heinsius viderunt, legendum esse, sepes, Immotæque, mediis exclusis, quæ etiam absunt a MSS. quibusdam. Immotæ, non agitata ventis.

188. *Ad quæ sua brachia tendens; notus mos manus porrigendi ad eos Deos, quos adorabant; quod quum faciebant, simul in orbem se convertebant: vid. Dacier ad Horatium, III. Od. xxvi. 5. Ululatus et ululare de magis etiam, xiv. 405; et apud Horatium, Sat. I. viii. 25; Virgilium, Georg. i. 486. Idem, Æneid. iv. 510: Ter centum tonat ore Deos. Ternarius numerus Inferis sacer. Flumine sumptis. Ea aqua vim purgandi habebat. Sed Horat. Ep. v. 26; Virgil. Æneid. iv. 512. Avernalis aqua adhibetur.*

193. *Aurea cum Luna, etc.] Qui hic invocantur, magici Dii dicuntur; Tibul. I. ii. 62. Luna et Hecate eadem Dea; sed alias vires hujus nominis declarabat Hecates nomen, alias Lunæ. Hinc et Hecate atque Diana sic junguntur a Virgilio, et Horatio. Triceps, τρικέφαλος, cui caput dex-*

Tuque triceps Hecate, quæ cœptis conscia nostris,
 Adjutrixque venis, catusque artesque magarum,
 Quæque magas, Tellus, pollentibus instruis herbis,
 Auræque, et venti, montesque, amnesque, lacusque,
 Dîque omnes nemorum, Dîque omnes noctis
 adeste :

Quorum ope, quum volui, ripis mirantibus, amnes
 In fontes rediere suos; concussaue sisto, 200
 Stantia concutio cantu freta; nubila pello,
 Nubilaque induco; ventos abigoque, vocoque;
 Vipereas rumpo verbis et carmine fauces;
 Vivaque saxa, sua convulsaque robora terra,
 Et silvas moveo; jubeoque tremiscere montes;
 Et mugire solum, manesque exire sepulcris: 206
 Te quoque, Luna, traho; quamvis Temesæa la-
 bores

trum equinum, sinistrum caninum, medium humanum, vel suillum: vide Floridi subsiciva, lib. iii. cap. 2. *Cantusque artesque*; hinc incantatrix apud Sophoclem, Trach. 1009: ἀοιδὸς καὶ χειροτέχνης. *Pollentibus*. Vide iv. 49. et not. ad i. 521. Ut *cantus et artes*, sic mox *montes*, qui, ut *amniū ripæ*, herbas suppeditabant, 224—231. invocant.

199. *Mirantibus*; sine causa Franciscus malebat *arentibus*. Eadem apud Horatium, Ep. v. 45 sqq.; Æneid. iv. 487. Imprimis Noster Tibul. sequutus est: *Hanc (sagam) ego de cælo ducentem sidera vidi. Fluminis hæc cantu rapidi carmine vertit iter. Hæc cantu finditque solum, Manesque sepulcris Elicit, et tepido devocat ossa rogo. Quum libet, hæc tristi depellit nubila cælo*, etc. Confer Propertius, IV. v. 11 sqq. *Concussa*, commota, ut vi. 691. Confer Heroid. vi. 83. *Stantia freta*; maria quieta, nunquam enim stat mare.

VOL. III.

203. *Rumpo*, disrumpo. Amor. II. i. 25. *Carminē dissitiunt, abruptis faucibus, angues*; Virg. Ecl. viii. 71. *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis*; ubi vid. Heynius. Gesnerus *rumpere* in his locis explicabat, a nocendo cohibere; quod sane magi facere solent etiam hodie in Ægypto, ut memini me legere in Nordii Itinerario. Atque ita Silius, iii. 301: *Ad quorum cantus serpens oblita veneni, Ad quorum tactum mites jacuere cerastæ*. Qui id faciunt, eos Græci ἀσπιδοθήρας et ὄφιοδιώκτας appellabant.

204. *Viva*, illo ipso loco nata, nec unquam loco mota manibus hominum. Sic et *sua terra*, in qua *robora*, quercus, nata. *Manes* excitabant, ut responsa darent. Horatius, I. Sat. viii. et Epod. xvii.

207. *Te quoque, Luna*, etc.] Vide ad iv. 332. *Traho*. Etiam *deducere* et *deripere* usitatum. *Temesa*, urbs Bruttiorum, jam Homeri temporibus æris fodinis clara. Homerus, Od. A.

3 D

Æra tuos minuant : currus quoque carmine nostro
Pallet avi ; pallet nostris Aurora venenis.

Vos mihi taurorum flammās hebetastis ; et unco
Haud patiens oneris collum pressistis aratro. 211
Vos serpentigenis in se fera bella dedistis ;
Custodemque rudem somni sopistis ; et aurum,
Vindice decepto, Graias misistis in urbes.

Nunc opus est succis, per quos renovata senectus
In florem redeat, primosque recolligat annos. 216
Et dabitis ; neque enim micuerunt sidera frustra ;
Nec frustra volucrum tractus cervice draconum
Currus adest." Aderat demissus ab æthere currus.

Quo simul ascendit, frenataque colla draconum

184 ; Strabo, vi. p. 393. *Temesæa æra*, etiam Fast. v. 441 ; Staius Silv. i. 47 : sed Schirachius stat pro vulgata lectione, *temerata*, quam sane MSS. omnes agnoscunt, monetque, *temerari* dici *æra*, quum pulsentur, ne incantationes audiantur a Luna. *Temerare* enim esse omnino violare, poluere. Bene, sed num ideo etiam pulsare ? *Avus Medææ* erat Sol.

210. *Hebetare flammās*, frangere vim flammarum, paulo audacius.

212. *Serpentigenæ*.] Supra, iii. 531. Thebani *anguigenæ* ; et Fast. iii. 865. eorum urbs *draconigena*, quæ tria vocabula ab Ovidio signata videntur. *Fera bella* ; quidam *nova bella*, quod non plane spernendum : *novum* enim passim, quod in suo genere singulare, inauditum. *Rudem somni* ; expertem somni, pervigilem : de syntaxi vid. Heinsius. *Vindice decepto*, custode dracone.

217. *Micantia sidera* res ominosa. *Currus serpentibus tractus*, et v. 642 ; viii. 795. *Medææ currum avus mittit* apud Euripidem, Med. 1321 : et infra, 398. *Titaniæcis draconibus*, id est, a Titane, Sole cujus *Æetes* filius, cum

curru acceperat. *Serpentiam* usus in magicis.

220. *Quo simul*, etc.] *Medææ iter*. *Permulsit*. *Dracones* enim, quibus dii hominesque vehuntur, placidi describuntur a poetis. Barth. ad Claudian. Rapt. i. 13. *Sublataque* *Burmans* ex uno *Gronoviano* dedit, ut versu 355. *sublata in aera*. *Cæteri* tamen MSS. habent *subjectaque*, quod *Burmans* posthabebat tanquam superfluum, quum *despicere* jam significet ex alto despectare subjecta loca. Sed hoc est nihili : viii. 573. *æquora prospiciens oculis subjecta* ; et hoc ipso in libro, 779. *collis subjectis imminet arvis*. *Regii nostri* habent *subjecta*. *Thessalia* ferax herbarum venenatarum et abundans magis ; *Tibullus*, II. iv. 56 : et in ea terra nunc erat *Medea*. *Æteis* ; *creteis* *Heinsius* explicat, *cretosis*, et addit, *Thessaliam cretæ fuisse feracissimam*. *Mira* tamen certi cujusdam loci descriptio. MSS. omnes præter unum, unde *Heinsius* habet *creteis*, legunt *cretis*, quod interpretabantur vel secretis, vel visis, vel discretis. *Recepi* *Burmanni* conjecturam, *Æteis* ; nam in Codice Rot-

Permulsit, manibusque leves agitavit habenas ;
 Sublimis rapitur : sublataque Thessala Tempe
 Despicit, Cœtæis regionibus applicat angues :
 Et quas Ossa tulit, quasque altus Pelion herbas,
 Othrysque, Pindusque, et Pindo major Olympus,
 Perspicit : et placita partim radice revellit ; 226
 Partim succidit curvamine falcis ahenæ.
 Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis,
 Multa quoque Amphrysi : nec eras immunis,
 Enipeu ;
 Nec non Peneæ, nec non Spercheïdes undæ 230
 Contribuere aliquid, juncosaque litora Bœbes.
 Carpit et Euboica vivax Anthedone gramen,
 Nondum mutato vulgatum corpore Glauci.
 Et jam nona dies curru, pennisque draconum,

tendorphiano ascripta erat glossa, *Isti montes circumdant Thessaliam.* Lenzius suadet, *Crethei regionibus*, id est, Thessaliæ, quia *Cretheus* pater Æsonis. Ita vero ineptit poeta, despicit Thessaliam et versus Thessaliam flectit currum. Regii nostri Codices habent *cretis. Applicat.* Hoc verbum nonnisi montibus convenit, quos illa jam petit ; sumptum autem a nautis : iii. 598.

226. *Radices* non spernebantur a magis, ver. 264 ; Horat. Epod. v. 68. *Fulcem ahenam* iisdem tribuit etiam Virgilius, Æn. lib. iv. 513 ; eamque a Sophocle habere videbatur Macrob. v. 19. Etiam vasis et armis *ahenis* utebantur in rebus magicis. Mox versu 247. *Ænea carchesia.*

231. *Bæbes* correxit Cod. Regius, quum *Phæbes* legeretur. *Bæbe* oppidum et lacus inter Sepiadem et Penei ostia. Homer. Il. B. 711 : vid. Is. Vossius ad Melam, II. iii. 82. *Anthedon*, urbs in litore Bœotiæ e regione Eubœæ. *Vivax* Regius interpretatur,

quod vitam dat et conservat. Sic i. 419. Ex mytho antiquo nascebantur herbæ, quibus vita conservari immortalitasque dari credebatur. Illud igitur gramen non venenatum quidem erat, at *vivax*, juventuti restituendæ aptum. Possis et sic accipere, quod non facile marcescit, ut, iv. Fast. 394. quo eodem sensu Gesnerus : Claudian. x. 158. *immortales* Glauci herbas capit. Lenzio videtur esse idem quam vivum, recens. *Nondum vulgatum*, in vulgus notum, *mutato corpore* additum, ut ii. 219 ; vi. 418. Graminis hujus et *Glauci* fabulam ipse narrat xiii. 925 sqq.

234. *Nona dies* ; novem dies totidemque noctes in lustrandis, quæ nominata sunt, locis consumpsit. Videtur autem novenarius ut ternarius numerus ad veneficium pertinere. *Pennis.* Vide ad versum 350. *Tacti* vim majorem veneni declarat quam *pasti*, quod e tribus MSS. Heinsio placet. *Tacti, nisi odore.* Ingeniose hoc finxit, ut vim maximam medicaminum de-

Nonaque nox omnes lustrantem viderat agros ;
 Quum rediit : nec erant tacti, nisi odore, dracones ;
 Et tamen annosæ pellem posuere senectæ. 237

Constitit adveniens citra limenque, foresque ;
 Et tantum cœlo tegitur ; refugitque viriles
 Contactus ; statuitque aras e cespite binas,
 Dexteriore Hecates, at læva parte Juventæ.
 Quas ubi verbenis, silvaque incinxit agresti ; 242
 Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
 Sacra facit ; cultrosque in guttura velleris atri
 Conjicit ; et patulas perfundit sanguine fossas.
 Tum super invergens liquidi carchesia Bacchi,
 Æneaque invergens tepidi carchesia lactis, 247
 Verba simul fundit, terrenaque numina poscit ;
 Umbrarumque rogat rapta cum conjuge regem,
 Ne properent artus anima fraudare seniles.
 Quos ubi placavit precibusque, et murmure longo,

clararet. Et posita certis temporibus pelle solent serpentes quasi juvenescere : Art. Amat. iii. 77. *Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas.*

238. *Constitit adveniens, etc.*] Sacra Medææ. *Citra*, ante, ut x. 84. de tempore. *Viriles contactus*. Aderat enim Iason cum ministris.

242. *Silva agrestis*, frondes e silva agresti. Ejusmodi sertis coronari in sacris magicis aræ solebant. Virgilius, *Eclog.* viii. 64. ubi et de *verbena* ; *Æneid.* iv. 506. *Egesta*. MSS. fere omnes *ejecta*, qualis varietas et x. 136. Sed *egerere* aut *regerere* solet de humo dici. *Scrobibus* pro *aris* utebantur magæ. Fovea in eam rem facta Græce βόθρος, λάκκος : Homerus, *Od.* A. 25 sqq. ; Orph. *Arg.* 948. Apud Horat. I. *Sat.* viii. 26. Canidia unguibus effodit scrobem. *Ibidem pullu agna* offertur, ut hoc loco, *vellus atrum* ; magicis enim legibus atræ vic-

timæ constitutæ erant. *Culter* quum adigitur, proprie dicitur *conjici*, ut mox ver. 338 ; xiii. 476 ; xv. 735.

246. *Carchesium*, poculi genus oblongum et ansatum, quo utebantur in libationibus. Athen. xi. p. 474 ; Macrobius. *Sat.* vii. 20. *Invergere* pro vulgari *infundere*. *Verba fundit*. De precibus inter sacra adhibitis idem verbum ponitur, quod de sacris ipsis. Vide ad ix. 159.

248. *Terrena* pro infernis, subterraneis, passim apud Nostrum. *Poscit*, ciet, evocat. *Umbrarum regem*, Plutonem. *Rapta cum conjuge* ; Proserpina a Plutone rapta. *Ne properent* ; ne anima senis intercipiatur, ne caput cui diuturniorem vitæ usum destinavit Medea, aut Orco damnet Pluto, aut tondeat Proserpina. *Fraudare*, privare : rogat, ne id faciant interea, dum artes suas exerceat.

251. *Murmur*, carmen magarum.

Æsonis effœtum proferri corpus ad aras 252
 Jussit, et in plenos resolutum carmine somnos,
 Exanimi similem, stratis porrexit in herbis. [tros;
 Hinc procul Æsoniden, procul hinc jubet ire minis-
 Et monet arcanis oculos remove profanos. 356
 Diffugiunt jussi: sparsis Medea capillis
 Bacchantum ritu flagrantem circuit aras;
 Multifidasque faces in fossa sanguinis atra
 Tinguit; et intinctas geminis accendit in aris;
 Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure lustrat.
 Interea validum posito medicamen aheno 262
 Fervet, et exultat, spumisque tumentibus albet.
 Illic Hæmonia radices valle resectas,
 Seminaque, floresque, et succos incoquit acres:
 Adjicit extremo lapides Oriente petitos, 266
 Et, quas Oceani refluxum mare lavit, arenas:
 Addit et exceptas Luna pernocte pruinas,

Nempe magæ feralia sua carmina im-
 murmurabant. xiv. 58: *Ter novies*
carmen magico demurmurat ore. Sic
 et *stridor*, de quo Brouckhusius ad
 Tibul. I. ii. 47; et *fremor verborum*,
 Arnob. Adv. gent. i. p. 32. *Proferri*,
 quia jam *resolutus* (vide ad versum
 186;) alioquin *produci* dixisset, quod
 habent nonnulli MSS. inter quos Re-
 gii nostri. *Plenos graves.* In *herbis*,
 quas locus ille ferebat. *Profani*, ex-
 pertes artis magicæ non initiati sacris
 illis.

259. *Atra.*] Ad fossam retulit,
 quod erat ad sanguinem referendum.
 Et vulgo, *atri* scribitur. *Lustrat*,
 circumit senem circumferens flam-
 mam, etc. qui mos solennis in expia-
 tionibus. Inde Græcis *περιγυρίζειν*.

262. *Interea validum*, etc.] In car-
 mine Νόστροι multa φάρμακα coquit
 ἐπι χουσείοισι λῆβησιν. *Posito aheno*,

in aheno igni apposito. *Exultat.* Vide
 ad vi. 645. *Valle.* Unus, *falce*, ut
 infra 314. *Hæmonio cultro.* *Succos*
miscere aut *coquere* solenne et ipsum
 de veneficis. Tibul. III. v. 9. *Lapi-
 dum* quorundam usus et in medicina.
 Plin. Hist. Nat. xxxvi. 19. *Mare*
Oceani, ut, ii. 872. *æquora ponti.*

268. *Pernocte*, pro vulgata *de nocte*
 ascriptum Zulichemii Codici recepit
 Heinsius. Regii nostri habent *de nocte*.
Strix, avis noctu volans, et cunis in-
 fantium insidians, quorum sanguinem
 exugunt. Fast. vi. 139. *Infames*, non
 solum propter crudelitatem, sed et
 ideo, quod ejus alæ, ova et viscera
 adhibebantur in arte magica: Horatius,
 Epod. v. 20; Propertius, III. iv. 29;
 Seneca, Med. 735. Itaque striges
 vulgo habebantur pro veneficis in tales
 aves mutatis, erantque in execrationi-
 bus et imprecationibus: Plinius, xi. 39.

Et strigis infames, ipsis cum carnibus, alas ;
 Inque virum soliti vultus mutare ferinos 270
 Ambigui prosecta lupi : nec defuit illic
 Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri,
 Vivacisque jecur cervi ; quibus insuper addit
 Ora caputque novem cornicis secula passæ.
 His et mille aliis postquam sine nomine rebus
 Propositum instruxit mortali barbara munus ; 276
 Arenti ramo jampridem mitis olivæ

271. *Ambigui*, faciem usque mutantis, ut, ii. 9. Putabat superstitio Veterum, nonnullos vicissim nunc homines esse, nunc in luporum formam transire. Vid. Brouckhusius, ad Propertium, IV. v. 14. Mallet quidem Burmannus *Ambiguum* ex uno MS. ne *lupi* oneretur duobus epithetis; sed et versu sequenti duo epitheta sunt, *squamea*, *tenuis*; duo autem epitheta sæpe leguntur: xv. 229. *inanes fluidos pendere lacertos*; Tibul. III. v. 22. *dura tertia regna*, ubi vid. Heynius. *Glareanus tenuis* ad *chelydri* refert, et rem sic expedit: non cujuslibet *Cinyphii chelydri*, sed *tenuis*. *Prosecta*, exta: vid. Cellarius ad Lactantii Institut. IV. xxvii. 4. *Chelydros*, seu *hydrus* e genere serpentium, foetore intolerabili est. Nicander, Theriac. 411 sqq. *Cinyps*, Libyæ fluvius, in sinum Syrticum se exonerans. *Vivacis cervi*, *τετρακορῶνον*: nam quater cornicis secula corvus: Ausonius, de ætate animal. *Vivacibus* autem istis feris vita longa transfertur in Æsonem. *Novem cornicis*, etc. Apud Hesiodum cornix vivit *ἐννεὰ γενεὰς ἀνδρῶν*: ab Arato, in Phænomenis dicitur quoque *ἐννεάχηρα κορῶνη*. Ita Nestor triseclisenex. *Novem secula passæ*; quæ ætatem hominum novies superavit.

275. *Sine nomine*, ignobiles, quarum nomen commemorare nil attinet. Æneid. ix. 343. *sine nomine plebem*. MSS. omnes, *mortalī*: sed quum in

uno glossa addita esset, *id est, in mortario*, Heins. dedit *mortari*, quod et Barth. Advers. xxxi. 3. conjecerat, et approbat Burmannus. Verum *mortare* ne verbum quidem Latinum est, quod ipse Heinsius fatetur; Latini enim dicunt, *mortarium*: Lenzius igitur conjungit *mortari*, *mortarii*, *muus*, ut sit poetica circumlocutio ipsius *mortarii*. Non placet. Quis enim putet, Medeam, illa medicamina jam in aheni cocta, nunc in mortarium intulisse, ibique instruxisse? Nec porro sequentia hoc patiuntur, ubi ramo omnia confundit; et mox *ahenu* rursus diserte commemoratur, sicut bene notavit Schirachius. Denique vulgata lectio sensum habet non incommodum. *Æso* nunc *mortalis* dicitur sive, ut Schirachius putabat, quia senex jam decrepitu et morti proximus erat; sive, quod ego malim, quia nihilominus *mortalis* manebat, etsi ei istis medicamentis juvenus redderetur. *Propositum munus*; medicamentum autem illud parabat seni mulier *barbara*; quod invidiose additum puto. Itaque nec hanc vocem tentari debebat. *Barbara Medea* etiam apud Horatium, Ep. v. 62: Heinsius tamen et Burmannus probant Daumii correctionem, pro *barbara* reponentis, *marmore*, id est, in marmore mortarii; in mortario marmoreo.

277. *Mitis*.] Lenzius interpretatur, quæ jam diu desiit fructu ferre. Ea

Omnia confundit, summisque immiscuit ima.
 Ecce vetus calido versatus stipes aheno,
 Fit viridis primo; nec longo tempore frondem
 Induit; et subito gravidis oneratur olivis. 281
 At quacunq; cavo spumas ejecit aheno
 Ignis, et in terram guttæ cecidere calentes; [gunt.
 Vernat humus: floresque, et mollia pabula sur-
 Quod simul ac vidit, stricto Medea recludit 285
 Ense senis jugulum; veteremque exire cruorem
 Passa, replet succis: quos postquam combibit
 Æson,
 Aut ore acceptos, aut vulnere; barba, comæque
 Canitie posita nigrum rapuere colorem:
 Pulsa fugit macies: abeunt pallorque, situsque;

vero notio voc. *mitis* quo jure inseratur, non video. Num Ovidius *putris* scripsit? *Rode* omisit in versione. *Immiscuit*; Genevensis, *remiscuit*, quod placet Burmanno, ut apud Horatium, Art. Poet. 151. *veris falsa remiscet*.

281. *Induit*.] Basileensis, *invenit*, quod non damnat Burmannus, quia *invenire* sæpe de iis quæ subito, et præter expectationem, eveniunt. *Induit* tamen eleganter: Virgilius, Georg. i. 86: *nux se induit in florem*; et iv. 142. *pomis se arbos induerat*. *Gravidis*; plenis succorum et tumidis. Etiam *gravescere factu et parturire* dicuntur fruges.

284. *Vernat* exquisite, virescit, floribus et graminibus vestitur, ut solet fieri tempore verno. Trist. III. xii. 8. *aves vernantes*, lascivientes tempore verno. Propertius, IV. v. 57. *vernans juvenis sanguis*.

288. *Ore* accipere succos vix poterat, jugulo recluso. *Barba, comæque*, etc. *Medea*, inquit Palæphatus, herbam invenit quæ canos capillos in nigros verteret; prima quoque invenit

lavacrum calidum, cujus vis medica vegetiores redderet homines et sanitati restitueret: compositioni illi *παρέψησις* nomen, seu decocti, fabulæ occasionem dedit. Diogenes, apud Stobæum, refert Medeam invenisse rationem qua molles et inertes fortes et prudentes redderet. *Rapuere*, illico traxere. In carmine *Νόστοι* Medea Jasonem facit *κόρον ἠβώοντα, Γῆρας ἀποξόσασα*.

290. *Pulsa fugit*, e copia poetica, ut paulo ante *combibit acceptos*. *Situs*, turpis corporis senio confecti habitus; etiam Æn. vii. 440. ubi tamen omnino mala senectutis. *Supplentur*; ut iv. 140: sed jam ante dixerat venas repletas novo sanguine. Nescio igitur, an non præstet antiqua lectio, quæ plurimorum auctoritate nititur, *cavae supplentur corpore rugæ*; namque corpus sæpe de carne et pinguedine dicitur: confer supra i. 408; Claudian. ii. Eutrop. 380. *abundans corporis*. Quod autem Burmannus putat, cavitatem melius convenire venis, quam rugis, id nihili est; quis enim dubitet,

Adjectoque cavæ suppleantur sanguine venæ, 291
 Membraque luxuriant. Æson miratur, et olim
 Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.

III. Viderat ex alto tanti miracula monstri
 Liber: et admonitus juvenes nutricibus annos 295
 Posse suis reddi, petit hoc Æetida munus.

IV. Neve doli cessent, odium cum conjuge falsum
 Phasias assimulat; Peliaëque ad limina supplex
 Confugit: atque illam, quoniam gravis ipse senecta,
 Excipiunt natæ; quas tempore callida parvo 300

etiam *rugas dicere cavas?* *Luxuriare* eleganter de succulentis et vegetis membris. Virgil. Georg. iii. 81. *luxuriat toris pectus.* *Et olim Ante quater denos*, significat Æsonem, ex decrepito sene in virum quadraginta annos natum, fuisse conversum: vel quem vigorem ante annos quadraginta habuerat, eum nunc, beneficio Medææ, recepisse. *Hunc*: talem, tam robustum. Post hunc versum plures habent illum: *Dissimilemque animum subiit ætate relicta*, quem jam improbavit Constant. Fanen. Huc videtur translatus e versu 170.

294—296. *Viderat ex alto*, etc.] Liberi nutricibus juvenus redditur. Tractavit fabulam Æschyl. in Bacchi nutricibus: confer Hygin. fab. 182. Eæ relatæ posthac inter sidera Hyades appellatæ sunt. *Monstrum*, transformatio, ut ii. 367. *Miraculum*, omnis res mira: iii. 673. *in quæ miracula vertis?* De *nutricibus* Bacchi, vid. iii. 314. *Petit hoc Æetida*; vulgo a *Colchide*; sed Heinsius dedit *Æetida* ductu MSS. in quibus *Æthide* aut a *Thetide*. Verbis enim rogandi interdum geminus accusativus additur. Præterea Heinsius conjicit *hos*, scilicet annos.

297—349. *Neve doli*, etc.] *Pelias*, rex Iolci, Jasonis patruus, cujus jussu

Jason ad vellus aureum apportandum profectus erat. Filias ejus Medea impulit, ut patrem necarent, quum promississet, se ei juventutem reddituram, *arieteque in agnum mutato* fidem promissis fecisset. Cum varietate aliqua et hæc tradita sunt. Alios enim auctores Diodorus Siculus, iv. 50—52. et Hygin. 24. sequuti sunt; alios Pausanias, VIII. ii. et Apollodorus, I. ix. 27; extabant olim et Euripidis Peliades. E cæteris auctoribus apparet, simultatem intercessisse Jasoni cum Pelia, sed res varie traditur. *Cessent*, absint. *Odiùm—confugit*. Apollodorus hoc unum habet, *εις τὰ βασιλεια τοῦ Πελοίου παρελθοῦσα*. Simile tamen aliquid habet Pausanias: *τῷ λόγῳ ἀπεχθάνομενη τῷ Ἰάσωνι*. Apud Hyginum, se simulat Dianæ sacerdotem. *Gravis senecta*; versu 163. *fessus senilibus annis*. *Natarum* nomina, quæ monente Pausania non tradita erant a poetis antiquis, varie exhibentur. Vid. Heynius ad Apollodorum. *Imagine*, ut, i. 754. *imago genitoris fulsi*. *Cepit*. Cum Argentino Burmannus mallet *duxit*, quia *ducere* est blanditiis sensim suum facere, ut viii. 122; sed nunc additur *parvo tempore*. Et *capere* etiam decipere notat: Her. xxi. 104: *Visaque simplicitas est mea posse capi*.

Colchis amicitiae mendacis imagine cepit :
 Dumque refert, inter meritorum maxima, demptos
 Aësonis esse situs, atque hac in parte moratur ;
 Spes est virginibus Pelia subjecta creatis,
 Arte suum parili revirescere posse parentem. 305
 Jamque petunt ; pretiumque jubent sine fine pacisci.
 Illa brevi spatio silet ; et dubitare videtur ;
 Suspenditque animos ficta gravitate rogantes.
 Mox ubi pollicita est, “ Quo sit fiducia major 309
 Muneris hujus,” ait ; “ qui vestras maximus ævo est
 Dux gregis inter oves, agnus medicamine fiet.”
 Protinus innumeris effætus laniger annis
 Attrahitur, flexo circum cava tempora cornu.
 Cujus ut Hæmonio marcentia guttura cultro
 Fodit, et exiguo maculavit sanguine ferrum ; 315
 Membra simul pecudis, validosque venefica succos

302. *Inter meritorum, etc.*] Noster id agit, ut Medæe calliditatem, de qua cæteri silent, ostendat. *Merita* in Jasonem jactabat, ut doceret, quam ingratus ille esset. *Situs* ; squalores et senium, ut 290. *Hac in parte, meritorum. Subjecta, proposita. Lac-* tantius, Epil. xxx. 7 : *omni studio subjacet finis.* Silius Italicus, xv. 134 : *Pars credunt torvos patruï revirescere vultus.* Etenim *viriditas, χλωρόν*, de vigore juvenili et virili.

306. *Jamque petunt, etc.*] Hunc versum Heinsius sine causa spurium judicabat : non male enim cupiditatem Peliadum exprimit ; *jam* enim idem quod, statim. *Pretium*, mercedem. *Sine fine*, infinitam, maximam ἀπερίσιον. Æn. i. 279 : *Imperium sine fine dedi.*

308. *Suspendit animos, virginibus dubias inter spem et metum relinquit. Ficta gravitate ; simulata rei difficultate. Gravitas opponitur vul-*

tui fallaci. *Animos—rogantes ; audacior* forsan locutio ; et prætulim quam dant Codices nostri *animos—rogantum.*

309. *Quo sit fiducia major.*] Apollodoros, τοῦ πιστεύσαι χάριν. Arietis mutationem et cæteri memorant. Brevis- sime Apollodoros : κριὸν μελίσασσα καὶ παθεψήσασσα ἐποίησεν ἄρνα ; id Noster bene exornavit.

312. *Effætus*, cujus vis procreandi exhausta, nunc omnino senex. *Innum-* meris hyperbolice, multis. *Attrahitur*, quippe tardus senectute. *Cava* omnino dicuntur tempora hominum et bestiarum.

314. *Marcentia* opponitur viridibus, vegetis. *Fodere guttura*, ut Amorum, III. v. 24. *fodere pectora*, ubi vid. Burmannus. *Maculure*, ut fœdare, solenne de sanguine profuso. *Exiguo*, quia effæti non abundant sanguine. *Membra simul, etc.* Pausanias : τὰ κρέα ὁμοῦ φάρμακος ἐν λέβητι ἤψησεν.

Mergit in ære cavo : minuuntur corporis artus ;
 Cornuaque exuitur, nec non cum cornibus annos ;
 Et tener auditur medio balatus ahenō.
 Nec mora ; balatum mirantibus, exilit agnus ; 320
 Lascivitque fuga, lactantiaque ubera quærit.
 Obstupuere satæ Pelia ; promissaque postquam
 Exhibuere fidem, tum vero impensius instant.
 Ter juga Phœbus equis, in Ibero gurgite mersis,
 Dempserat ; et quarta radiantia nocte micabant 325
 Sidera ; quum rapido fallax Æetias igni
 Imponit purum laticem, et sine viribus herbas.
 Jamque neci similis, resolutō corpore, regem,
 Et cum rege suo custodes somnus habebat,
 Quem dederant cantus, magicæque potentia linguæ.
 Intrârant jussæ cum Colchide limina natæ ; 331
 Ambierantque torum. “ Quid nunc dubitatis iner-
 tes ? [orem ;
 Stringite,” ait, “ gladios ; veteremque haurite cru-
 Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas.

318. *Annos.*] Debebat dicere, et reliqua senectutis signa ; sed ingeniose loqui voluit. *Tener*, qualis est et agni teneri.

320. *Exilit.*] Bene. Etiam Hyginus, unde agnus pulcherrimus prosiluisse visus est : sed apud Pausaniam extrahitur. *Lascivire*, lætos et petulantes motus indicat : Lactantius, Opif. xiv. 6. *lasciviora animalia* ; similiter luxuriare, Æn. xi. 497. *Fuga*, cursus. Heinsius malit *fugax*. *Promissaque*, etc. experimento illo promissis fides facta est.

324. *Ibero gurgite*, Oceano occidentali trans Iberiam seu Hispaniam. Modo non vulgari triduum exornavit. Hic quoque omnia ex legibus magicis fiunt, *ter*, noctu, *micantia sidera*. Vul-

go dabatur *Ibero flumine*, quod et ipsum defendi posse e Tibullo, II. vi. 2 ; III. iv. 18. Heinsius docet. Nostri quoque, *flumine*. *Radiantia* ; vide ad ii. 4.

326. *Fallax Æetias* ; Medea fallendi perita. De *rapido igne*, vide ad ii. 123. *Resolutō corpore* ; vide ad versum 185. *Habebat*, oppressum tenebat. *Cantus et lingua* eodem redeunt, ut, versu 203. *verba et carmen*.

332. *Nunc*, quum manifesta et probata jam sit vis medicaminum meorum ex ariete in agnum verso. BURM. Nisi malis putare, *nunc*, conspecto patre, abhorreere cœpisse a vulnere infigendo. *Haurite cruorem*. Vide ad xiii. 331.

In manibus vestris vita est, ætasque parentis. 335
 Si pietas ulla est, nec spes agitatis inanes,
 Officium præstate patri; telisque senectam
 Exigite, et saniem conjecto emittite ferro.”
 His, ut quæque pia est, hortatibus impia prima est;
 Et ne sit scelerata, facit scelus: haud tamen ictus
 Ulla suos spectare potest; oculosque reflectunt;
 Cæcaque dant sævis aversæ vulnera dextris. 342
 Ille, cruore fluens, cubito tamen allevat artus;
 Semilacerque toro consurgere tentat; et inter
 Tot medius gladios pallentia brachia tendens,
 “ Quid facitis, gnatæ? quid vos in fata parentis
 Armat?” ait. Cecidere illis animique, manusque.
 Plura loquuturo cum verbis guttura Colchis
 Abstulit, et calidis laniatum mersit ahenis. 349
 V. Quod nisi pennatis serpentibus îsset in auras,

335. *In manibus, etc.*] Hic versus meo calculo inter Nasonianos cum Heinsio non admittendum puto, etiamsi in Codicibus nostris legatur.

336. *Agitatis, in animo alitis. Exigite, expellite. Sanies, omnis humor corruptus.* Nunc invidiose ita vocat sanguinem senis decrepiti, quem paulo ante *veterem cruorem* appellavit.

339. *His, ut, etc.*] Ludit duplici oxymoro. *Cæca*, a quibus ipsæ avertunt oculos. *Tot gladios*, nempe quatuor; tot enim ei erant filix.

348. *Cum verbis guttura abstulit;*] resolutio gutture abstulit verba. *Laniatum, etc.* Pausanias, *κατακόψασα ἐψῆσαι*. Inde remansit ne tantillum quidem, quod sepulturæ tradi posset. Noster abrupte finit fabulam.

350—397. *Jason cum Medea Iolco exactus Corinthum fugit.* Ibi quum decem annos vixisset, Glaucen ducit, Creontis regis filiam; quo Medea offensa veneno Glaucen interimit, suos-

que filios trucidat. Eam autem fabulam Noster breviter tantum attingit. Confer Apollod. I. ix. 28. ubi illi ab Acasto et Iolcensibus expelluntur; et Hyginus, fab. 25, 26. quo auctore Jason sponte Acasto patris regnum tradit. Confer Diodorus Siculus, iv. 34. Pausan. ii. 3. Tractârat hæc Sophocles in Colchidibus. Restat Euripidis Medea. In itinere despicit loca multa, metamorphosis nobilia. Sed totus hic locus valde vexavit Interpretes, quandoquidem fabulæ illæ satis obscuræ sunt. Neque Medea recta via volat, sed milvi instar circumat auras; nisi ad excusandum poetam malis dicere, Medeam ex alto tantum procul desepxisse illa loca. *Pennatis;* Claudian. xxxvi. 139. Cibebes serpentibus tribuit *pinnas*, ubi Gesnerus monet, hoc nomen a *pennis* origine et usu antiquissimo forte non differre, sed Quintiliani ætate grammaticos discrimen facere cœpisse, *pin-*

Non exempta foret pœnæ: fugit alta, superque
 Pelion umbrosum, Philyreiaque tecta, superque
 Othryn, et eventu veteris loca nota Cerambi.
 Hic ope Nympharum sublatus in aera pennis,
 Quum gravis infuso tellus foret obruta ponto, 355
 Deucalioneas effugit inobrutus undas.
 Æoliam Pitanen a læva parte relinquit,
 Factaque de saxo longi simulacra draconis;
 Idæumque nemus; quo, nati furta, juvencum
 Occuluit Liber falsi sub imagine cervi; 360
 Quaque pater Corythi parva tumulatus arena;

nasque tribuisse alis majorum avium
 et piscibus: itaque se non simplici-
 ter hoc loco, damnare *pennatos* ser-
 pentes.

351. *Alta*; in aere, ut alias *sublimis*. *Pelion*—*Philyreiaque*; expressit Callimachus, Hymn. Del. 118: Πήλιον ὦ Φιλύρης νυμφῆιον. In *Pelio* monte Jupiter concubuerat cum *Philyra*, unde natus Chiron. Regii nostri habent *Philyreiaque*, quæ lectio præstantior jure visa est Robert. Stephan. quam, quod *Gierig* dederat, *Philyreique*. Erravit certe idem *Gierig*, quum hoc loco dixerit ex concubitu *Jovis* cum *Philyra* natum fuisse *Chirona*; vide quæ certiora in libro ii. 676: et hic addemus, Saturnum, quum *Rhea* conjux eum *Philyræ* adblandientem vidisset, sub forma equi aufugisse; et *Philyram* per montes *Pelasgorum* erravisse, in quibus *Chirona* partu edidit; quo monstro viso abhorrens, petivit a Diis ut sua forma mutaretur, et quidem in tiliam arborem fuit mutata. *Eventus*, fortuna; hoc loco mutatio; x. 600. *eventu juvenum deterritus*, interitu; xiii. 506. *Eventuque gravi finita est publico cludes*, excidio. *Veteris Cerambi*; quia *Deucalionis* tempore vixerit. Auctore *Nicandro* apud *Antoninum Liber*. 22.

Terambus, ad pedem *Othryos* montis, a *Nymphis* iratis in *scarabæum* cornigerum, qui Græcis *cerambix* dicitur, mutatus est. Ibi, sine dubio, ut in hoc loco, *Cerambus* legendum est, quod docet vox *cerambix*.

354. *Sublatus in aera pennis* potest circumlocutio illius *scarabæi* esse. *Gravis*; Equidem interpretor ponderosam; opponitur enim ei, qui pennis tollitur in aera, levis pendet in aere, levitate sua effugit periculum. *Obruta*—*inobrutus*, ut viii. 844. *Attenuarat*—*inattenuata*.

358. *Longi simulacra draconis*; intelligit *Micyllus Lesbium draconem*, cujus etiam xi. 58. mentio fit. *Liberi natum*, *Thyoneum*, *Phrygiis* pastoribus juvenum abegisse tradit glossa Codicis *Menardi*.

361. *Pater Corythi* fuit *Paris*: vid. *Parrhasius* ad *Claudianum*, Rapt. i. 199. *Tumulatus*, sepultus, conditus est. *Mæra*. Regius intelligit *Mæram*, *Icari* canem, quæ *Icarum*, a rusticis *Atticis* interfectum, latratu suo indicavit, et posthac cum domino suo inter sidera relata est: *Hyginus*, fabula 150; *Schol. Germanici* ad *Canem*, p. 128. Sed videtur hæc *Mæra* potius puella fuisse in canem versa. Sic etiam *Lactantius*, in *Argumento*.

Et quos Mæra novo latratu terruit agros ;
 Eurypylique urbem, qua Coæ cornua matres
 Gesserunt, tum quum discederet Herculis agmen ;
 Phœbeamque Rhodon, et Ialysios Telchinas, 365
 Quorum oculos ipso vitiantes omnia visu
 Jupiter exosus, fraternis subdidit undis.
 Transit et antiquæ Cartheïa mœnia Cææ,
 Qua pater Alcidas placidam de corpore natæ
 Miraturus erat nasci potuisse columbam. 370
 Inde lacus Hyries videt, et Cycneïa Tempe,
 Quæ subitus celebravit olor ; nam Phyllius illic
 Imperio pueri volucresque ferumque leonem
 Tradiderat domitos : taurum quoque vincere jussus

Burmanssus suspicatur, hic de Hecuba agi, propter xiii. 406 ; *Mæra* autem nomen intrusum esse pro alio, quo Hecuba significaretur ; variare enim MSS. *Novo*, inusitato. *Terruit*. Vide ad xiii. 406.

363. *Eurypyli urbem* ; Coon. Homer. II. B. 677. Κῶν, Ἐβρυπύλοιο πόλιν. Fuit hic Eurypylos Herculis filius, qui, capta illa urbe, ibi regnavit. *Coæ* autem mulieres quum formam suam prætulissent Veneri, in vaccas mutatæ sunt : Lactantius, in Argumento.

365. *Phæbeam*, quia Rhodus Soli sacra, cujus radiis nunquam carere dicebatur : vid. Lambinus, ad Horatium, I. Od. vii. 1. *Ialysus*, una ex tribus antiquissimis Rhodi urbibus, ab Ialysso, Solis nepote, sic dicta : Strabo, xiv. p. 655. *Telchinas* Rhodum incoluisse certum est, quanquam non satis constat, unde venerint, aut quorsum, Rhodo relicta, migraverint. Vide Meursii Rhod. i. 9. Erant autem et insignes præstigiatores et invidi calumniatores. Spanhem. ad Callimachum, h. Del. 31. et Munker. ad

Lactant. Argum. *Vitiare*, fascinare. Fascinatio fiebat et oculis. Virgilius, Ecl. iii. 103 : *Nescio, quis teneros oculus mihi fascinat agnos*. Quin adeo invidi oculi solo aspectu credebantur rerum pulchritudinem corrumpere : Horatius, I. Ep. xiv. 37. ubi sic *limare et venenare*. Sed *vitiare* hoc sensu etiam apud Solin. iv : *Famine aspectu spicula vitiant*.

368. *Cæa*, sive *Ceos*, Græcis etiam Hydrussa : Plin. iv. 20. Ibi urbs *Carthæa*. Fabulam, quam Noster attingit, latius tractat Antoninus Liber. cap. i. *Antiquæ*, antiquis temporibus notæ. *Alcidas* illo auctore non *Carthæa* habitabat, sed Iulide, in alia Cææ urbe. Ibidem et nata est Ctesylla, quæ Athenis mutata.

371. *Tempe* ; non Thessalica illa, sed Teumesia ad Teumesum, montem Bœotiæ. Fuit dicta *Cycneia*, propter Cycnum filium *Hyries*, mutatum in olorem. In illis locis *Hyrie*, flens puerum, filium, in lacum conversa est. Confer Antonin. Liberalem, c. 12. *Volucres*, vultures miræ magnitudinis, auctore Anton.

Vicerat; et, spreto toties iratus amore, 375
 Præmia poscenti taurum suprema negârat.
 Ille indignatus, Cupies dare, dixit; et alto
 Desiluit saxo: cuncti cecidisse putabant:
 Factus olor niveis pendebat in aera pennis.
 At genetrix Hyrie, servati nescia, flendo 380
 Delicuit; stagnumque suo de nomine fecit.
 Adjacet his Pleuron; in qua trepidantibus alis
 Ophias effugit natorum vulnera Combe.
 Inde Calauræ Letoidos aspicit arva,
 In volucrem versi cum conjuge conscia regis. 385
 Dexterâ Cyllene est; in qua cum matre Menephron
 Concubiturus erat, sævarum more ferarum.
 Cephison procul hinc deflentem fata nepotis,
 Respicit in tumidam Phocen ab Apolline versi;
 Eumelique domum lugentis in aere natam. 390
 Tandem vipereis Ephyren Pirenida pennis
 Contigit: hic ævo veteres mortalia primo

379. *Pendebat in aera pennis.*] Regii nostri, *in aere*. Utrum præstiterit non dixerim; vide in libro viii. 145. *jam pendebat in auras.*

381. *Delicuit.*] Deliquescere de solido corpore, quod diffuit in aquas: aliter iv. 253.

382. *Pleuron.*] Micyllus corrigit *Brauron*. Regii nostri, *Pleuron*, vel *Pheuron*. Ætoliæ pars olim a monte Curio Curetica et Pleuronia dicta; *Pleuron* enim ad montem Curium: vid. Palmer. Græcas Antiquitates, iv. 16. Sed *Pleuron* minime adjacet *Hyries* lacui. *Burmannel* ergo credit, poetam in errorem lapsam, quia nova *Pleuron* ad montem *Aracynthum* fuerit sita; illum vero multos in *Bœotia* statuisset. *Combe* Curetum in *Ætolia* mater, gente *Ophiensis*.

384. *Letoidos*, pro *Latoidos*, ex Græco *Λητοῖδος*. Apollini sacra fuit *Calauria*, postea *Delphis* commutata *Neptuno*: vide *Stanlei*. ad *Æschylum*, *Eum.* 30. *Menephron*, *Arcas*, cum *Bliade matre*, et cum *Cyllene* filia concubuit. *Hyginus*, fabula 253.

388. *Cephisi* filia, nomine *Praxitheæ*, nupta fuit *Erechtheo*, ex qua ille octo liberos suscepit, e quibus unus intelligendus. *Respicit*, quia illa loca jam post tergum habebat. *Male* igitur *Heinsius* corrigit, *despicit*. *Eumeli domum*. *Micyllus* intelligit *Patras*, *Achaïæ* urbem, cujus primus rex *Eumelus*.

391. *Ephyre* antiquum nomen *Corinthis*, ubi *Pirene* fons. *Prisci* incolæ e fungis orti credebantur.

Corpora vulgârunt pluvialibus edita fungis.
 Sed postquam Colchis arsit nova nupta venenis,
 Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque ;
 Sanguine natorum perfunditur impius ensis ; 396
 Ultaque se male mater, Iasonis effugit arma.

VI. Hinc Titaniacis ablata draconibus, intrat

394. *Medea quum ex Jasone jam filius Mermerum et Feretum procreasset, summaque concordia viverent, obiciebatur ei, hominem tam fortem, formosum ac nobilem, uxorem advenam atque veneficam habere. Huic Creon, Menæcei filius, rex Corinthius, filiam suam minorem Glaucen dedit uxorem. Medea quum vidit, se erga Jasonem bene merentem tanta contumelia esse affectam, coronam ex venenis fecit auream, eamque muneri jussit filios suos novercæ dare. Creusa, munere accepto, cum Jasone et Creonte conflavit. Medea ubi regiam ardere vidit, natos suos interfecit et profugit Corintho.* Hyginus, fabula 25. Conf. Apollodorus, d. l. Hoc fundamentum est Euripidis et Senecæ fabularum, quæ Medæ nomen habent. *Nova nupta* ab aliis Glauce vocatur, ab aliis Creusa, et jam olim dubitabatur, utrum verius. Schol. Euripidis, ad Medeam, 19. Sed bene notavit Burmannus, Creusam non esse nomen proprium, sed filiam regis notare. *Venenis*, donis venenatis: Horatius, Epod. iii. 13. *delibutis donis.* Miserat pallam et coronam, *πέπλον καὶ στέφος χρυσήλατον*, Euripides, 949; Valer. Flaccus, v. 449; Seneca, Med. 570. Illa dona infecerat naphtha, ex multorum quidem opinione, quæ inde dicta est *Μηδίας φάρμακον*. Vid. Munkerus, ad Hygin. d. l. Naphthæ magna cognatio ignium, qui protinus in eam transiliunt: Plinius, ii. 105. ubi addit: *Ita ferunt a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne raptâ.*

Vocat *Colcha* venena, quia Medea Colchis iis usa.

396. *Sanguine natorum*, etc.] Interfectos filios a Corinthiis, quod dona attulissent, auctor est Pausanias, Corinth. p. 118; idemque addit, quum filii innocentes essent inventi, Corinthios in eo ipso loco, ubi interfecti essent, Pavoris imaginem dedicasse, ad eamque sacra anniversaria fecisse. Similiter Apollod. et Ælianus. V. H. v. 21. In Scholiis Euripidis ad Med. Euripides traditur quinque talentis a Corinthiis corruptus esse, ut in Medeam transferret illam cædem. Rem disquirat Barnesius in Vita Euripidis, sect. 17. Vide et Bœttigeri prolusiones de Medea Euripidea.

398—492. *Hinc Titaniacis*, etc.] Medea Athenas fugit, ubi ab Ægeō excipitur, cujus filium venenis interficere conatur. Excipit eam Ægeus, postquam juraverat, se eam non ejectionem. Euripides, 709 sqq. Ipsa pollicita erat, se orbitate liberaturam Ægea. Plutarchus, Thes. 12: filio servato, convivium instituitur, quod resonat Thesei laudibus. Conf. Hygin. 26; Diod. Sic. iv. 54 sqq.; Pausan. ii. 3; Apollod. I. ix. 28. *Titaniacis*, quos a sole acceperat. Apollodorus. *Periphas*, rex antiquissimus Atticæ ante Cecropis tempora. Eum Jupiter in aquilam mutavit, ejusque conjugem, quum separari nollet a marito, in *ὄρνιθα σύννομον*, id est, in iisdem pascuis versantem, una viventem, nempe in *φήνην*, falconem ossifragum: Antoninus Liber. 6. Jam quoniam et nunc de duobus sermo

Palladas arces; quæ te, justissima Phini,
 Teque, senex Peripha, pariter videre volantes, 400
 Innixamque novis neptem Polypemonis alis.
 Excipit hanc Ægeus, facto damnandus in uno:
 Nec satis hospitium est, thalami quoque fœdere
 jungit.

Jamque aderat Theseus, proles ignara parenti,
 Qui virtute sua bimarem pacaverat isthmon. 405
 Hujus in exitium miscet Medea, quod olim
 Attulerat secum Scythicis aconiton ab oris.
 Illud Echidneæ memorant e dentibus ortum
 Esse canis: specus est tenebroso cæcus hiatu;

est *puriter volantibus*, *Phineus* autem (qui in lectione vulgata occurrit) nullus apud Veteres occurrit, ad quem hæc pertineant, admodum credibile est, quod Schrader. ad Antoninum, conjecit, pro *justissime Phineu* legendum esse, *justissima Phini*; nam *φίνυς* idem quod *φίνη*. Potuit enim mulier nomen avis habere, in quam mutata est, ut *Daphne arboris*, *Arachne araneæ*, etc. Accedit et hoc, quod in Argumento, Lactantii unus MS. *Phenen* habet. Conjecturam illam, probatam et Lenzio, recepi. *Justissima* illa vocatur ob pietatem in conjugem. *Neptem Polypemonis*, *Halcyonem*, *Scironis filiam*; quæ, quod corpus vulgasset, a patre in mare dejecta in sui nominis avem mutata est. Probus ad Virgilium, *Georg. i. 399.* e Theodoro. *Inniti* aut *niti alis* proprie de avibus volantibus.

404. *Ignara*, ignota, passive, ut viii. 188: vid. Gellius, *N. A. ix. 12.* Ignotus erat Theseus patri, quia apud Pittheum avum Træzenis natus et educatus erat; nunc vero, tanquam virgo, veste talari et decenter pexis capillis veniebat: Pausanias, *Attic. p. 44.* Medea igitur facile impulit

Ægea, propter seditionem omnia mententem, ut Thesea, tanquam hospitem, convivio exciperet, et veneno tolleret. Plutarchus, *Thes. 12.*

405. *Qui virtute sua*, etc.] Totam illam viam, quæ Træzene Athenas ducebat, latronicis purgaverat: Pausanias, *Corinth. p. 122.* *Pacare* solenne in hac re. *Æneid. vi. 805:* Hercules *Erymanthi pacavit nemora*; Seneca de *Benef. i. 13:* *terrarum marisque pacator*; Silius ii. 483: *Nemea pacator. Bimarem.* Vide ad v. 407.

407. *Aconiton* omnium venenorum ocysimum, de quo Plinius, xxvii. 2 et 3; Theophrastes. *Hist. plant. ix. 16.* *Aconiton* dictum est *ἀπὸ τῆς ἀκόνης*, hoc est a caute, quia in cautibus nascitur. *Echidneæ*, quia Cerberus ex Echidna ortus: Hesiodus, *Theog. 308*; Quintus Smyrnæus, vi. 261.

409. *Specus est*, Acherusia, in Mariandynorum finibus, ad Heracleam Ponticam, per quem specum iter est ad inferos. Plinius, vi. 1; Mela, I. xix. 54. ibique Schott. Per eum specum Cerberum ab Hercule extractum memorat et Plinius, xxvii. 2.

Est via declivis, per quam Tiryntius heros 410
 Restantem, contraque diem radiosque micantes
 Obliquantem oculos, nexis adamante catenis,
 Cerberon abstraxit, rabida qui concitus ira
 Implevit pariter ternis latratibus auras;
 Et sparsit virides spumis albertibus agros. 415
 Has concrêsse putant, nactasque alimenta feracis
 Fœcundique soli, vires cepisse nocendi;
 Quæ, quia nascuntur dura vivacia caute,
 Agrestes aconita vocant: ea conjugis astu
 Ipse parens Ægeus nato porrexit, ut hosti. 420
 Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra;
 Quum pater in capulo gladii cognovit eburno
 Signa sui generis, facinusque excussit ab ore.
 Effugit illa necem, nebulis per carmina motis.

Jam quoniam magna ibi *aconiti* copia, inde fabula de ejus origine orta. *Cæcus*, obscurus, caliginosus.

410. *Est via declivis.*] Heinsius hæc sic mutanda censebat, *In Maryandinis*, vel *In Peryandinis*, apud quos *aconiton* nascebatur: Burmannus, si quid mutandum esset, præferret prius. Mera conjectura quæ nullo Codice firmatur. *Restantem*, resistantem, nec loco cedere volentem. Non male Cerberi reluctatio describitur. *Obliquantem*, in obliquam partem torquentem. Vide ad xii. 486. *Nexis*, etc. catena ferrea. *Abstraxit* restituit Heinsius, quia verbum solenne in hac re; vulgo, *attraxit*. *Ternis latratibus*, iv. 450. *Virides albertibus*, ut i. 112.

416. *Has concrêsse putant*, etc.] Conf. Plinius, xxvi. 3. *Concrêsse*, nempe in corpus plantæ solidum. Est ergo metamorphosis. *Duræ cautes* Græcis dicuntur, *ἀκόραι*. Nicander Alex. xlii. Sed Theophrastes, d. l.

VOL. III.

ab Aconis, Peryandinorum vico, ei nomen impositum putat.

422. *Quum pater*, etc.] Gladium ut ostentaret Theseus, cultrum eduxit carnes appositae dissecturus. Plutarchus, in *Thes.* 12. Gladio, *ξίφει*, adjunctus fere erat culter, *μάχαρα*: Homerus, *Il. Γ.* 271. E signis generis sui, quæ Theseus, more Veterum, in capulo gestabat, agnoscit filium. Quæ fuerint illa *signa*, *πατρῶα σύμβολα*, ut ait Plutarchus, non constat. Nonnulli simpliciter gladium intelligunt quem Ægeus sub saxo absconderat, ut Theseus adultus eum inde tolleret, eoque instructus Athenas veniret; vid. Meursius, *Thes.* cap. 3. et *Reg. Att.* iii. 1. *Facinus*, poculum venenatum, quod facinorosa Medea paraverat. *Eo excusso*, erepto ab ore, *facinus* prohibitum est.

424. *Effugit illa.*] Aufugit Medea cum Medo filio, quem ex Ægeo pepererat, in Asiam; tandemque in patriam redit, ubi patri a fratre pulso

3 F

At genitor, quanquam lætatur sospite nato, 425
 Attonitus tantum, leti discrimine parvo,
 Committi potuisse nefas, fovet ignibus aras,
 Muneribusque Deos implet; feriuntque secures
 Colla torosa boum, victorum cornua vittis.
 Nullus Erechthidis fertur celebratior illo 430
 Illuxisse dies: agitant convivium patres,
 Et medium vulgus; nec non et carmina, vino
 Ingenium faciente, canunt: "Te, maxime Theseu,
 Mirata est Marathon Cretæi sanguine tauri:
 Quodque suis securus erat Cromyona colonus, 435
 Munus opusque tuum est: tellus Epidauria per te
 Clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem:

regnum reddit. Sed Ovidius fata ejus jam abrumpit.

428. *Muneribus Deos implet*; plurimas victimas offert. Proprie aræ implentur, poetice ipsi Dii.

431. *Agitant* verbum proprium in hac re, notante Burmanno. *Medium vulgus*; ut v. 207. *media plebs*. *Vino Ingenium faciente*. Horat. I. Ep. v. 19: *Fœcundi calices quem non fecere disertum?* Confer idem, I. Ep. xix. init. Neque vinum solum, sed secundum Persium, prol. 10. venter quoque *ingenium* largitur.

434. *Mirata est Marathon*, etc.] Thesei laudes commode convertit in hymni formam, ut res non narrari, sed agi videatur: confer Virgilius, Æn. viii. 288. ubi similis in Herculem hymnus. *Taurus* ille a Neptuno Minoi, regi *Cretæo*, datus, post alia fata in terram Atticam venerat, ibique *Marathonios* agros vastabat. Eum Athenas perductum Theseus immolavit, vel Apollini Delphinio (Plutarchus, Thes. 14.) vel Minervæ: Pausanias, Att. p. 66. At Ovidius confundit tempora; nam taurum illum cepit, postquam Athenis exceptus

erat a patre. Vide Meursii Thes. cap. 10. *Suis securus*. Notat Heinsius vocem *securus* eleganter addi casum secundum. *Cromyon* aut *Cremyon*, vicus Corinthi. *Ibi sus*, Phæa dicta, ferocia et magnitudine insignis, nec agros solum vastans, sed homines etiam occidens, quam interfecit Theseus: Plutarchus, Thes. 9. Tertium hoc fuit Thesei opus.

436. *Tellus Epidauria*.] Epidaurus urbs est Peloponnesi, Æsculapii templo nobilis. In Epidaurio agro Peripheten, *Vulcani* ex Antilia filium, interfecit, quod fuit primum ejus opus. Armatus ille erat clava (*κορύνη*) ferrea, unde *κορυνήτης* et *claviger* dictus. Plutarchus, Thes. 8; Pausan. Corinth. p. 112; Apollodorus, III. xvi. 1. *Procrustes*, Neptuni filius, mensuram hospitum ad lectum aptans. Si longiores essent lecto, amputabat prominentes corporis partes, sin breviores, incude supposita extundebat pedes: Plutarchus, Thes. 11; Hyginus, fab. 38. Habitabat ad *Cephissum*: Pausanias, Attic. p. 92. Eum interfecit Theseus, idque fuit sextum ejus opus.

Vidit et immitem Cephesias ora Procrusten :
 Cercyonis letum vidit Cerealis Eleusin :
 Occidit ille Sinis, magnis male viribus usus, 440
 Qui poterat curvare trabes, et agebat ab alto
 Ad terram late sparsuras corpora pinus :
 Tutus ad Alcathoen, Lelegeia mœnia, limes
 Composito Scirone patet ; sparsique latronis
 Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda,
 Quæ jactata diu fertur durâsse vetustas 446
 In scopulos : scopulis nomen Scironis inhæret.
 Si titulos, annosque tuos numerare velimus,
 Facta premant annos : pro te, fortissime, vota
 Publica suscipimus : Bacchi tibi sumimus haus-
 tus.” 450
 Consonat assensu populi, precibusque faventum

439. *Cercyonem Eleusine* degentem, quarta pugna vicit Theseus. Is autem prætereuntes lucta victos interficere solebat ; Plutarchus, *Thes.* 11 ; Pausanias, *Attic.* p. 94. *Sinis*, Polypemonis aut Pemonis filius, in Isthmo habitans, duabus inflexis pinubus (unde *Πινυοκάμπτης* dictus) homines alligare solebat, quibus subito dimissis, illi foede lacerabantur. Eodem mortis genere affectus est a Theseo : Pausanias, *Corinth.* p. 111 ; Hyginus, *fab.* 38 : Apollodorus, *d. l.* Confer Valken. ad Eurip. *Hippol.* ver. 977. Hæc secunda ejus pugna. Idem *Sinis* habuit quoque filiam, Perigimen nomine, ex qua Theseus Menalippum genuit, patrem Toxianis.

443. *Alcathoe*, Megara, ab Alcathoo sic dicta. Is fuit Pelopis filius, qui, quum ei mortis Chryssippi fratris crimen feret, ad Megaras aufugit et leonem horum terras vastantem necavit ; unde Megaris heros habitus, et monumentis festisque celebratus fuit :

Pausanias *i. c.* 4. *Composito*, sublato, interfecto, sive metaphora petita sit a litibus, quæ, quum componuntur, finiuntur ; sive a mortuis, qui et ipsi dicuntur componi, id est, sepeliri. Schirachius sensu exquisitiore sic dictum putabat, quia Theseus Scironem e saxo in mare deturbatum simul sepeliverit. *Sciron*, Scironides, Megaridis rupes incolens, vel latrociniis viam infestabat, vel prætereuntibus pedes porrigere solebat lavandos ; quod quum fecissent, calcibus eos in mare dejiciebat : Plutarch. *Thes.* 10. Eum et ipsum dejecit Theseus, idque fuit quartum ejus opus. *Sparsique latronis—ossibus*. Hæc lectio nimis exquisita et torta videtur ; prætulerim certe quam dant Regii nostri, *sparsisque latronis—ossibus*.

448. *Titulos*, gloriose facta. *Facta premant annos* ; gesta tua annos superabunt. Regii nostri habent *prement* ; sed *velimus* vult *premant*.

Regia ; nec tota tristis locus ullus in urbe est.

VII. Nec tamen, (usque adeo nulli sincera voluptas, 453

Sollicitique aliquid lætis intervenit!) Ægeus

Gaudia percepit, nato securo recepto. [quam

Bella parat Minos ; qui quanquam milite, quan-

Classe valet, patria tamen est firmissimus ira :

Androgeique necem justis ulciscitur armis. 458

Ante tamen, bello vires acquirit amicas ; [rat.

Quaque potens habitus, volucris freta classe perer-

453—660. *Nec tamen, etc.*] Minos ob filium Androgeum interfectum bellum movet Atheniensibus, quibus auxilium pollicetur Æacus, rex Æginæ, cujus cives, a peste absumpti, miro quodam modo suppleti erant ex formicis. Nempe *Myrmidones* prisce Æginæ, incolæ, qui postea Peleum sequuti Thessaliam incoluerunt. Quoniam formicæ Græcis *μύρμηκες* dicuntur, Hesiod. (fr. p. 445. Lips.) auctor cœpit, etymologiam perverse premens, fingere eos ex formicis factos, quod multi deinceps repetierunt. Et illo quidem auctore Jupiter id effecit, quum Æacus in Ægina, insula deserta, ubi educatus erat et adoleverat, solus esset. Sic et Apollod. III. xii. 6. ubi vide Heynium ; sed Pausanias, ii. 29. in eo discrepat, quod homines illos non ex formicis, sed ex terra natos mentitur. Pestem vero et fornicarum mutationem, cum Nostro in hac fabula, Strabo, viii. p. 576. et Hyginus, fabula 52. commemorant. *Sincerum*, cui nihil alieni, vitiosi, h. l. doloris, immixtum, incorruptum. Ab hoc nunc non differt *securum*.

457. *Classe valet.*] Cretenses illo tempore arte nautica excellabant omnibus gentibus : Minos primus imperium maris habuit ; classeque instructa purgavit mare a piratis : Thucydides, X. i. 4 ; Herodotus, iii. 122 ; Diodo-

rus Siculus, iv. 60. De bello hoc etiam Plutarch. Thes. 15 ; Pausanias, i. 27 ; Apollodorus, III. xv. 8 ; Hyginus, fabula 41. *Firmissimus* ; plurimi, *fortissimus*, e solenni permutatione. *Firmissimus*, validissimus, sæpissime de belli potentia. Vide Gronov. ad Liv. xxi. 25 ; sed nunc et *firmissimus ira*, quem ira impellit, ut omnibus viribus suis utatur. *Patria ira*, quæ convenit patri, ob filii cædem.

459. *Ante tamen, bello* ; id mihi magis poeticum videtur, quam quod habet vulgata, *Ante tamen bellum* ; quare *bello* (dativo,) quod omnes MSS. præter sex habent, revocandum putavi. Virgilius, Æn. ii. 315. *glomerare manum bello* ; ibidem, iii. 540. *bello armantur equi*. Regii nostri habent quoque *bello*, quod servandum censeo, dummodo post *tamen* ponatur comma, sicuti in libro i. 5. *Ante, mare et tellus*, etc. *Vires* sæpe de copiis militaribus. *Amicas*, auxiliares. *Quaque potens habitus* ; habebat enim imperium maris. Non admodum *volucris* illa classis fuisse videtur. Eam enim effugit Dædalus, eam ipsam ob causam, quod velis carebat, quæ invenerat, et quibus utebatur Dædalus : vide Goguet *von Ursprunge der Gesetze*, etc. tom. ii. p. 276. Est ergo nunc nil nisi epitheton ornans, sive commune.

Hinc Anaphen sibi jungit, et Astypaleïa regna ;
 Promissis Anaphen, regna Astypaleïa bello.
 Hinc humilem Myconon, cretosaque rura Cimoli,
 Florentemque Cythnon, Scyron, planamque Seriphon,
 [Arne 464
 Marmoreamque Paron, quamque impia prodidit
 Sithonis, accepto, quod avara poposcerat, auro :
 Mutata est in avem, quæ nunc quoque diligit au-
 Nigra pedem, nigris velata monedula pennis. [rum ;
 At non Oliaros, Didymæque, et Tenos, et Andros,

461. *Hinc Anaphen*, etc.] Catalogus harum insularum Cretæ vicinarum commode quidem nunc potuisset omitti, quandoquidem non historia Minois narratur; sed eruditionis ostentandæ causa talia inserebantur a poetis. *Astypaleia*, pro *Styphaleia*, bene dedit Regius. Illius enim nominis insula nulla in Archipelago.

463. *Humilem—planam*.] Quum *Myconos* a Virgilio, *Æn.* iii. 74. *celsu* dicatur; *Seriphos* autem inter saxosas insulas referatur, varie interpretes hæc epitheta et emendârunt, et explicârunt, Fatetur Burmannus manere sibi nodum non solvendum. Nempe insulæ illæ videntur litus acclive habuisse, et sic illa *humilis*, hæc *plana* fuisse. Sic certe, *humilis Italia*, Virg. *Æn.* iii. 522: vide Heynii Excurs. iv. ad illum librum. Pro *planamque* tamen cum Constant. Fanens. *parvamque* legendum arbitror, quia *parva Seriphos*, etiam v. 242. et apud Juvenalem. Fuit enim, auctore Plinio, circuitus ejus nonnisi xii. millia passuum. *Plana* contra non fuit, sed aspera. *Cretosa rura Cimoli*. *Cimolus* cretam habebat, quæ purgandis vestibibus adhibebatur: vide Plinium xxxv. 17. *Cythnos* Cimolo vicina. *Florentem* nude positum, tum *Scyron* sine epitheto offendeant nonnullos, ut Micyl-

lum et Heinsium quorum ille suadebat vel *Florentemque auro* (aut *viris*) *Syron*, vel *Florentem viro* (Achille, qui illo tempore apud Lycomedem servabatur) *Scyron*. Hic malebat, *Florentemque thymo Cythnon* vel *Syron*; laudatissimum enim fuisse omne mel Cycladium. Sine causa. *Florens civitas* omnino pollens opibus, opulenta. Cic. Rosc. 18. majores *republicam florentissimam nobis reliquerunt*. Cornelius Nep. xxi. 2. *Decessit florente regno*.

465. *Marmoreamque Paron*.] Paros etiam una e Cycladibus, primo Platea, deinde Minois appellata, quæ lapidem producit, quem vocant Parium, ad marmoreas sculpturas aptissimum. *Quamque*, etc. Fabula ignota, hinc lectio incerta. Revocavi equidem veterem a Burmanno motam, *quamque impia prodidit Arne*. Ex sententia tamen Lactantii lege *Arne*, nominativo casu. Præterea pro *Sithonis* Heinsius conjicit *Siphnon*, et *accepto*, ut allusum sit ad aurifodinas Siphnias, de quibus plura congessit. Certe, non satis apparet, cur Ovidius insulæ ipsius nomen omiserit et periphrasi obscura usus sit. *Monedula*; quia sæpe numero *monetas* aureas aufert, inde nomen accepisse credebatur. *Velari*, de pennis, ut xiii. 53.

Et Gyaros, nitidæque ferax Peparethos olivæ,
 Gnosiacas juvere rates : latere inde sinistro 471
 Cœnopiam Minos petit, Æacideïa regna.
 Cœnopiam veteres appellavere : sed ipse
 Æacus Æginam genetricis nomine dixit.
 Turba ruit, tantæque virum cognoscere famæ 475
 Expetit : occurrunt illi, Telamonque, minorque
 Quam Telamon, Peleus, et proles tertia Phocus.
 Ipse quoque egreditur, tardus gravitate senili,
 Æacus ; et quæ sit veniendi causa requirit.
 Admonitus patrii luctus suspirat, et illi 480
 Dicta refert rector populorum talia centum :
 “ Arma juves oro pro gnato sumpta ; piæque
 Pars sis militiæ : tumulo solatia posco.”
 Huic Asopiades, “ Petis irrita,” dixit, “ et urbi
 Haud facienda meæ : neque enim conjunctior ulla
 Cecropidis hac est tellus : ea fœdera nobis.” 486

472. *Cœnopia*, et *Cœnone* ante dicta illa insula. Euripides in *Iphigen.* Aul. 699. Ζεὺς Αἰακῶν δ' ἔφυσεν Οἰνῶνης πρόμον. Ita et Pausanias, Cor. p. 122. Stephanus de Urbe Οἰνῶνῃ, νῆσος μία τῶν Αἰακίδων. Hinc et hunc locum quidam emendârunt *Cœnonem* : sine causa. Etenim et Pindarus, Isth. viii. 43. νᾶσον Οἰνοπίαν dixit, et Noster mox *Cœnopii muri*. Nomina autem ejusdem loci diversa sic commemorantur et alibi a poetis, ut Æn. i. 108. *Æginam*, etc. Vid. Munckerus ad Hygini fabulam 52.

474. *Æacus*.] Æacum Jovis fuisse filium constat : cui tres fuerunt filii, Telamon, Peleus et Phocus. De his vide ad xi. 267. *Nomine*. Hinc orta Junonis invidia, immissaque pestilentia.

476. *Expetit*, cupit. *Occurrunt* et

ii, qui honoris causa obviam eunt venienti. *Phocum* ignorat Isocrates in Evagora iv. *Egreditur* in litus. *Gravitas*, debilitas corporis, quæ tardat incessum.

480. *Admonitus patrii luctus*, paternæ mœstitiæ, quam Minos de filio ab Atheniensibus interfecto conceperat. De *admonitus*, vide ad ix. 324. *Rector*. Minos, cujus imperio paruit Creta. *Centum populorum*. Nota est Creta ἑκατόμπολις ex Homero, Il. B. 649 ; vid. Strabo, lib. x. p. 735. *Populi* pro urbibus ; incolæ enim urbis *populum* faciunt. *Pro gnato*, pro ulciscenda filii morte. *Tumulo*, etc. nempe occisos hostes inferias vult filio mittere, xii. 2.

484. *Asopiades*, Asopi ex Ægina nepos. *Ea*, tam sancta : Cic. Or. ii. 40. *quod eam legem tulisti*, tam perniciosam.

Tristis abit; "Stabuntque tibi tua fœdera magno."
 Dixit: et utilius bellum putat esse minari,
 Quam gerere, atque suas ibi præconsumere vires.

Classis ab Ænopiis etiamnum Lyctia muris
 Spectari poterat; quum pleno concita velo 491
 Attica puppis adest, in portusque intrat amicos,
 Quæ Cephalum, patriæque simul mandata ferebat.
 Æacidæ longo juvenes post tempore visum
 Agnovere tamen Cephalum; dextrasque dedere,
 Inque patris duxere domum. Spectabilis heros,
 Et veteris retinens etiamnum pignora formæ,
 Ingreditur; ramumque tenens popularis olivæ,
 Et dextra lævaque duos ætate minores 499
 Major habet, Clyton et Buten, Pallante creatos.
 Postquam congressu primo sua verba tulerunt

487. *Magno stabunt.*] Vide ad x. 547. *Præconsumere*, ante bellum, quod moliebatur, minuere: viii. 7. *prætentare vires*: Livius, xxi. 29. *antelibare vires*.

490. *Lyctia* a Lycto, urbe Cretæ. *Velo*; Burmannus e tribus MSS. *malit vento*, quod magis τῶν concita conveniat. Frustra: Æn. i. 400: *Aut portum tenet, aut pleno subit, ostia velo*; ibid. v. 281. *velis subit ostia plenis*. Portum intraturi solent quidem vela contrahere, sed vide ad vi. 445. *In portusque intrat amicos*. Codices nostri Regii simplicius et lenius, *et portus intrat amicos*. Lectio altera nescio quid rude et contortum habet. *Cephalus*, Deionis aut, ut alii tradunt, Mercurii filius, qui Procrida, Erechthei filiam, in matrimonio habebat. Fuisse Cephalum juvenem apud Æginenses e versu 516. apparet. *Longo post tempore*. Ita et Virgilius, *Eclog. i. 30. Respexit tamen, et longo post tempore venit*.

496. *Spectabilis.*] Forma conspi-

cius: sic notat Cephalum propter fabulam sequentem inde a versu 661. ubi ob formam rapitur. *Pignora exquisitius quam signa, vestigia*: vi. 603. *sacrorum pignora demit. Veteris formæ, pristinæ pulchritudinis. Popularis, præstat. Oliva popularis, quia nata apud Athenienses, et ideo populo grata; si ad signum pacis spectes, Virgilius, Æn. viii. Paciferaque ramum præterendit olivæ. Buten. Nonnulli, Bruten, unde Meursius, Reg. Attic. ii. 6. facit Bryten, a quo Brytadarum familia apud Athenienses descendebat, ut a Bute Butadarum. Pallas, filius Nelei qui fuit frater Thesei. Vid. Hyginus, fabula 244. Eum et filios res novas molientes postea Theseus interfecit. Pausan. Attic. p. 51 et 70.*

501. *Postquam congressu—Cecropidæ.*] Hos versus aliter dederat cl. Gierig: *Postquam congressus primi sua verba tulerunt; Cecropidum Cephalus, etc. et hæc subjicit, "Congressus dixit pro congregientibus: non tamen hanc*

Cecropidæ, Cephalus peragit mandata, rogatque
 Auxilium; fœdusque refert, et jura parentum;
 Imperiumque peti totius Achæidos addit.
 Sic ubi mandatam juvit facundia causam; 505
 Æacus, in capulo sceptri nitente sinistra,
 “Ne petite auxilium, sed sumite,” dixit, “Athenæ.
 Nec dubie vires, quas hæc habet insula, vestras
 Ducite; et omnis eat rerum status iste mearum.
 Robora non desunt; superat mihi miles, et hosti:
 Gratia Dîs; felix, et inexcusabile tempus.” 511

nostri loci lectionem defenderim, quam Heinsio debemus. Vulgo *Congressi primi Cecropidæ*. Multi veteres, *congressu primo*; nonnulli bonæ notæ, *congressus primi*. Hinc Heinsius etiam *Cecropidæ* in *Cecropidum* mutavit, quum Cecropidarum esse deberet.” Obscuram judicavimus quam dedit Gierig, et quamvis non una eadem in nostris sit lectio, utraque tamen recipi potest; Codex B. *Postquam congressi primum sua verba tulerunt Cecropidæ*; Codices A lectionem prætulimus, quæ jam antea, ut testatur Gierig, fuerat data: et hanc ita interpretemur: ubi congressi fuerunt Cecropidæ, et verba gratulantia tulerunt, Cephalus peragit mandata de auxilio petendo. *Primo congressu tulerunt verba*. Cicero, Fin. iii. 2: *surrexit; deinde prima illa, quæ in congressu solemnus*. De auxilio hoc cæteri scriptores silent: Diodorus, iv. 61. narrat, in hoc bello quum fames orta esset, Athenienses ab Æaco petisse, ut opem sibi a Diis impetraret: quod Isocrates, Evag. iv. de universis Græcis tradit. *Jura, necessitudines*. Plinius, VII. Ep. ii. 4. *Sunt mihi et cum marito ejus vetera jura*.

506. *Capulo*, parti inferiori sceptri, quæ manu tenebatur, sedentes innitebantur.

508. *Nec dubie—ducite*, non dubitate ducere. Et Burmannus emendari

volebat, *Nec dubita—ducere*. Male; tres enim legatos alloquitur, et præcesit *petite, sumite*. *Sequentia omnis—mearum* molestiam creant. Heinsius conjecturat *communis*, id est, *communis rerum status*; Burmannus, et, *ut rerum nunc est status ille mearum*. *Postest* tamen vulgata lectio utcunque explicari. *Status rerum* quum omnino sit regni conditio, potest etiam de copiis militaribus intelligi, et *ire* de exercitu proficiscente recte dicitur: vid. Cornel. Nepos, Ages. iii. 5. Neque hoc nos offendere debet, quod omnes suas copias ire vult; is enim sensus bene convenit antecedentibus, *Ne petite—ducite*: et poterat in tanta suorum multitudine novos facile milites conscribere.

510. *Superat—hosti*.] Hæc verba vir doctus in Ephem. lit. Jen. anni 1793. n. 280. argute et breviter dicta putat, ut intelligi. *superat miles mihi*, ad me defendendum, *et hosti*, et ad hostem impugnandum. Etiam Lenzius *hosti* explicat, adversus hostem. Alii de loco sanando cogitarunt: Heinsius, *Superat sat militis hospes*; Burmannus suadet vel *ut hosti*, vel *in hostem*. Prius minimum aberrat a vulgata scriptura; posterius melius favet sensui. *Inexcusabile tempus*, conditio regni adeo prospera, ut excusatio de auxilio negando locum non habeat.

“Immo ita sit!” Cephalus, “crescat tua civibus
opto

Res,” ait: “adveniens equidem modo gaudia cepi;
Quum tam pulchra mihi, tam par ætate juvenus
Obvia processit: multos tamen inde requiro, 515
Quos quondam vidi vestra prius urbe receptus.”

Æacus ingemuit; tristisque ita voce locutus:
Flebile principium melior fortuna sequuta est.

Hanc utinam possem vobis memorare sine illo! 519
Ordine nunc repetam: neu longa ambage morer vos:
Ossa, cinisque jacent, memori quos mente requiris.
Et quota pars illi rerum perire mearum!

Dira lues ira populis Junonis iniquæ
Incidit, exosæ dictas a pellice terras.

Dum visum mortale malum, tantæque latebat 525

512. *Immo ita sit vim habet confirmandi, quod ab altero dictum est. Requiro, sentio abesse.*

519. *Memorare sine illo! Ordine, etc.] Libri omnes, memorare! sine ullo Ordine, etc. Sed ego Schepperi conjecturam recipere non dubitavi. Cur enim sine ullo ordine rem narrare voluisset? et cur optet, ut fortunam narrare possit, quam et poterat narrare, et revera ordine memoravit? Et vidi conjecturam eandem tam viro docto in Biblioth. Tigur. p. 75. quam Lenzio esse probatam. Ac hic quidem hæc, cum sqq. neu longa, etc. conjungit. Regius noster A habet sine illo; id est, sine proœmio. Ordine repetere, referre, formulæ sunt solennes de iis, qui rem diligenter per partes narrant. Longa ambage morer vos; superflua oratione.*

522. *Et quota pars illi.] Codex Regius B. illic. Illi, quos tu quondam vidisti, fuere minima pars eorum, qui perierunt. Quotus adhibetur et ad augendam et ad minuendam rem.*

VOL. III.

Rerum mearum, subditorum meorum. Res, ut πρᾶγμα et χρῆμα, de hominibus. Vide Gronovii Obs. iv. p. 706. Infra, ver. 583. pars meorum.

523. *Dira lues ira, etc.] Notabilis pestilentia descriptio, in qua Noster sequutus est Lucretium, vi. 1136; Virgil. Georg. iii. 474 sqq. Confer Seneca, Œdip. 35 sqq. Dirâ dicitur a Diis iratis immissa et præter modum magna. Sic dirâ grando, Horatius i. Od. ii. 1. Populis. Vide ad versum 481. Iniquæ, iratæ; vid. Heinsius, ad Sil. iii. 2. Incidere proprie de morbo, calamitate, malo Apud Thucydidem, ii. 47. aliquoties pestis dicitur ἐπιπίπτειν. A pellice. Ægina ex Jove Æacum peperit: vi. 113.*

525. *Mortale, usitatum inter mortales, adeoque naturale. Sic humanum malum, humanæ res; humani sensus. Virgilius, Æneid. xii. 797. vulnus mortale, a mortali illatum. Ibi quoque, ut nunc, divinitus immissio opponitur; sed Schirachius hoc loco interpretatur mortiferum contra lin-*

3 G

Causa nocens cladis; pugnatum est arte medendi.
 Exitium superabat opem, quæ victa jacebat.
 Principio cœlum spissa caligine terras
 Pressit, et ignavos inclusit nubibus æstus.
 Dumque quater junctis implevit cornibus orbem
 Luna, quater plenum tenuata retexit orbem; 531
 Letiferis calidi spirârunt flatibus Austri.
 Constat et in fontes vitium venisse, lacusque,
 Milliaque incultos serpentum multa per agros
 Errâsse, atque suis fluvios temerâsse venenis.
 Strage canum prima, volucrumque, oviumque,
 boumque, 536
 Inque feris subiti deprensa potentia morbi.

guæ usum. *Pugnatum est* felix verbum: Cicero, de Sen. *pugnandum est contra senectutem, tanquam morbum.* *Exitium*—*jacebat*; Lucret. 1177. *musabat tacito medicina timore.*

527. *Quæ victa jacebat.*] Heinsius valde metuebat, ne hoc hemistichium sit ab aliena manu, quæ versum a Nasone mutilum relictum supplere voluerit: rescribendum certe esse, *spes victa jacebat.* *Quæ victa jacebat* otiosum quidem est post antecedentia; neque tamen ab aliena manu additum cum Heinsio putem. Passim noster sic luxuriat.

528. *Cœlum spissa caligine,* etc.] Æstu nimio pestem in aere gigni putabant Veteres. *Pressit bene* convenit τῶ spissa. Lucret. 1117; Seneca, Ed. 47. *gravis et ater incubat terris vapor.* *Ignavos,* qui reddunt ignavos et languidos: confer versum 547. et Lucretium, vi. 1154. Æstus et languor sævissima hujus morbi symptomata erant.

531. *Luna tenuatur et retexitur,* quum decrescit. *Tenuari* omnino minui. Vid. Brouckhusius, ad Propertium, III. i. 5. In verbo *retexere* non

debebat Schirachius hære. Sæpe, etiam apud Ciceronem est dissolvere. Vide Gronovii Obs. iv. p. 706; Claudian. xxviii. 133. *retexere iter,* relegere.

533. *In fontes vitium venisse, lacusque.* Lucretius, vi. 1123: *Hæc igitur—pestilitas Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas;* confertur Virgilius, Georg. iii. 480. *Vitium;* aeris corruptionem. *Serpentum;* aqua corrumpitur partim vitio aeris, partim venenosis serpentibus. *Temerâsse;* polluisse. Vide ad ii. 592. *Miscuit autem Ovidius diversa;* nempe secundum Hyginum, fabula 52. *Juno irata serpentem in aquam misit, quæ eam venenaret.* Ex qua qui biberat, moriebatur.

536. *Strage canum prima,* etc.] Hæc ex Iliados I. sumpta esse videntur; nam Homerus, dicto loco, versu 50. pestem in exercitum Græcorum Apollinis ira immissam describens, ait: *Ὀυρήας μὲν πρῶτον ἐπέχετο, καὶ κύνας ἀργούσας.* Sic et Virgilius, dicto loco: *genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum.* *Deprensa,* animadversa.

Concidere infelix validos miratur arator
 Inter opus tauros, medioque recumbere sulco.
 Lanigeris gregibus, balatus dantibus ægros, 540
 Sponte sua lanæque cadunt, et corpora tabent.
 Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ,
 Degenerat palmas; veterumque oblitus honorum,
 Ad præsepe gemit, leto moriturus inerti.
 Non aper irasci meminit; nec fidere cursu 545
 Cerva; nec armentis incurrere fortibus ursi:
 Omnia languor habet; silvisque, agrisque, viisque

538. *Concidere infelix*, etc.] Virgilius, dicto loco, 515: *Ecce autem duro fumans (sudore) sub vomere tuurus Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem, Extremosque ciet gemitus: it tristis arator Mærentem abjungens fraterna morte juvencum; Atque opere in medio defixa relinquit aratra.* Adde vers. 494—497. *Concidere*, ut colabam, de moriente. *Inter opus*, inter arandum.

540. *Balatus ægros*, ut, versu 319. *tener balatus.*

542. *Acer equus quondam*, etc.] Hos versus Apolline dignos pronunciat Tanaq. Faber. *Acer*, generosus, ferrox. *In pulvere*, in certaminibus, in quorum descriptionibus pulveris fere fit mentio. Vid. Jani ad Horat. I. Od. i. 3. *Palmas*, victoriam; Virgilius, Georg. i. 59. *Eliadum palmas equarum.* *Degenerat palmas*, indignum se præbet victoriis, deteriorem. Sed ego cum Schirachio non dubito defendere vulgatam lectionem ab Heinsio pulsam, *degenerat, palmæ veterumque oblitus honorum.* Quamquam enim *degenerare*, active interdum dicitur, ut docet Heinsius, ad Pont. III. i. 45. tamen *palma* et honores melius sic junguntur. Possis et cum nonnullis legere *degener ad palmus*, namque *ad* eleganter pro quoad. Hinc

facile fieri potuit *degenerat*; quo facto alii et *palmas* mutarunt. *Leto moriturus*; vulgo *morbo moriturus*, pro quo Burmannus, e veterioribus *leto moriturus* dedit, ut vitaretur *κακοφωμία*. *Leto inerti*; ignavo, sine sanguine, ut est viii. 518. *inglorius*, non in certamine aut bello. Sensus Græcorum tribuit equo. *Ignava mors* sic apud Silium, ix. 512: Virgilius, ver. 498. *Labitur infelix, studiorum atque immemor herbæ Victor equus, fontesque avertitur, et pede terram Crebra ferit: demissæ aures*, etc.

545. *Non aper irasci*, etc.] Confer Virgilius, Georg. iii. 537. *Irasci*. Seneca, de Ira, i. 3. ubi hos versus laudat, addit: *Irasci dicit, incitari, impingi. Irasci quidem (feræ) non magis sciunt, quam ignoscere. Fidere* aliqua re, ope ejus salutem quærere. Sed hæc de apro, cerva, ursis rectius abessent. Modum servare Ovidius nescit. Quis nostrorum probaverit Germanicam istam gravitatem, qua Gierig hoc loco Ovidium sui impotentem dixerit? Radenda ergo et abolenda quoque suavissima illa quæ in sua libri vii. fabula 1. cecinit Noster *La Fontaine*, felicissimus naturæ æmulus. *Languor*; morbus. Lucretius, vi. 1217. *Languebant pleraque morbo. Fæda, putrescentia.*

Corpora fœda jacent : vitiantur odoribus auræ.
 Mira loquor : non illa canes, avidæque volucres,
 Non cani tetigere lupi : dilapsa liquescunt, 550
 Afflatuque nocent, et agunt contagia late.
 Pervenit ad miseros damno graviore colonos
 Pestis, et in magnæ dominatur mœnibus urbis.
 Viscera torrentur primo ; flammæque latentis
 Indicium rubor est, et ductus anhelitus ægre : 555
 Aspera lingua tumet ; tepidisque arentia ventis
 Ora patent ; auræque graves captantur hiatu :
 Non stratum, non ulla pati velamina possunt ;
 Dura sed in terra ponunt præcordia : nec fit 559
 Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet.
 Nec moderator adest ; inque ipsos sæva medentes

549. *Non illa canes, etc.*] Lucret. 1213 : *Multaque humi quum inhumata jacerent corpora supra, Corporibus tamen alituum genus atque ferarum Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem, Aut, ubi gustarat, languebat morte propinqua. Dilapsa.* Virgilius, Georg. iii. 557 : *turpi dilapsa cadavera tabo.* Livius, xli : " Cadavera intacta a canibus ac vulturibus tabes absumebat." *Liquescere*, putredine dissolvi ; ergo idem quod, delabi.

552. *Pervenit ad miseros, etc.*] Lucretius, vi. 1137 : *finestos reddidit agros, Vastavitque vias, exhausit civibus urbem.* Tum 1250 : *Præterea jam pastor et armentarius omnis, Et robustus item curvi moderator aratri Languebant. Venire iis aut ad eos dicuntur mala, morbi, quos invadunt :* Art. Amat. ii. 323. *Graviore, uempe quam ferarum. Magna commune epitheton urbium capitalium.*

554. *Viscera torrentur, etc.*] Lucretius, vi. 1166 : *Intima pars homini vero flagravit ad ossa : Flagravit stomacho flamma, ut fornacibus intus ; et*

1164 : *omne rubere Corpus, ut est, per membra sacer quum deditur ignis.*

556. *Aspera, inflammatione.* Virgilius, Georg. iv. 508 : *obsessus fauces premit aspera lingua.* Lucretius, vi. 1147 : *Atque animi interpres manabat lingua cruore, Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu. Trepidus venis, quod Burmannus e priore Hamburgensi invexerat, valde displicet. Id rectius, vi. 389. de eo, cui cutis detrahitur, quam hoc loco, de sitiente. Revocavi ergo ex plurimis MSS. tepidis ventis. Ora patent : Lucretius, 1173. ipso venientes ore patente. Graves, pestilenciales. Heinsius malit gravi—hiatu. Dura Burmannus interpretatur, tosta et arida. Sed Schepperus corrigit nuda. Dicitur forte dura, quia æstus contraxerat cutim, atque sic reddiderat duram, viii. 803. Lucretius, 1192. frigida pellis duraque. Melius dura terra hic commemorata esset.*

561. *Moderator, medicus imperator.* Seneca, de benefic. vi. 16. Virgil. d. l. 549 : *Quasitaque nocent*

Erumpit clades, obsuntque auctoribus artes.
 Quo propior quisque est, servitque fidelius ægro;
 In partem leti citius venit: utque salutis
 Spes abiit, finemque vident in funere morbi, 565
 Indulgent animis: et nulla, quid utile, cura est;
 Utile enim nihil est: passim, positoque pudore
 Fontibus, et fluviis, puteisque capacibus hærent;
 Nec prius est extincta sitis, quam vita, bibendo:
 Inde graves multi nequeunt consurgere; et ipsis
 Immoriuntur aquis: aliquis tamen haurit et illas;
 Tantaque sunt miseris invisi tædia lecti, 572
 Prosiliunt: aut, si prohibent consistere vires,
 Corpora devolvunt in humum, fugiuntque penates
 Quisque suos: sua cuique domus funesta videtur;
 Et quia causa latet, locus est in crimine: notis
 Semanimes errare viis, dum stare valebant, 577
 Aspiceres; flentes alios, terræque jacentes;
 Lassaque versantes supremo lumina motu:

artes: cessere magistri, Phillyrides Chiron, etc. Auctor, qui profitetur artem.

563. *Quo propior quisque, etc.]* Lucretius, 1241: *Qui fuerant autem præsto, contagibus ibant.*

566. *Nulla, quid utile, cura est.]* Lucretius, 1168: *Nil adeo posset cuiquam leve tenuæque membris Vertere in utilitatem: ad ventum et frigora semper In fluviis partem gelidos ardentia morbo Membra dabant, nudum jacentes corpus in undus. Passim; sine ordine. Hærent; nolunt inde avelli; hæreere etiam cum ablativo; vide Burmannum, ad iv. 27. Posito pudore eo pertinet, quod nuda corpora projiciebant in aquas, ut æstum sedarent; et sic indulgebant animis.*

569. *Nec prius est extincta sitis, etc.]* Lucretius, vi. 1174: *Insedabiliter sitis*

arida corpora mersans Æquabat multum parvis humoribus imbrem.

571. *Immoriuntur aquis; etsi plures viderent immori noxiis aquis, tamen alii non deterriti easdem jam cadaveribus infectas bibere non reformidabant.* BURM. Confer Lucret. 1262. Male Burmannus cum Junio dedit *aliquis*; etenim *aliquis* sæpe pro, alius aliquis. Vid. Ernesti ad Taciti An. i. 4.

576. *In crimine, in noxa, in infamia esse bonæ locutiones.* Vide Burmannum. *Notis*, quod Heinsius de suo dedit, non male se habet. Vide ad i. 370. Forte tamen antiquior lectio præstat *in crimine solus*. Alii, *notus, totus, etc. Terræ*, in terra, v. 122.

579. *Lassaque versantes, etc.]* Lucret. 1178: *patentia quum totas arden-*

Membraque pendentis tendunt ad sidera cœli,
 Hic, illic ubi mors deprenderat, exhalantes. 581
 Quid mihi tunc animi fuit? an quod debuit esse,
 Ut vitam odissem, et cuperem pars esse meorum?
 Quo se cunque acies oculorum flexerat, illic
 Vulgus erat stratum; veluti quum putria motis
 Poma cadunt ramis; agitataque ilice glandes. 586
 Tempa vides contra, gradibus sublimia longis;
 Juppiter illa tenet: quis non altaribus illis
 Irrita tura tulit? quoties pro conjuge conjux,
 Pro gnato genitor, dum verba precantia dicit, 590
 Non exoratis animam finivit in aris;
 Inque manu turis pars inconsumpta reperta est!
 Admoti quoties templis, dum vota sacerdos

tiu noctes Versarent oculorum expertia somno.

580. *Membraque pendentis, etc.*] Hunc versum, quem cum sequenti scutica dignum judicabat Heinsius, defendit Burmannus, qui *pendentis cœli* explicat e versu 528. ubi *cœlum spissa caligine terras premit*. Lucretius, 1126: *Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso*. Posse tamen, addit Burmannus, et *perdentis* legi. Certe Seneca, (Ed. 36. dixit, *cœlum nocens*. Sed *pendere* eleganter, ut i. 268. *pendentia nubila*, et nunc nubibus spissis cœlum obductum. *Hic, illic ubi, etc.* Heinsius emendabat *Hic, ubi mors animam deprenderat*. Porro *Hic, illic*, quod et ipsum Heinsium offendeat, frequenter dicitur pro, ubique, passim. *Exhalare* denique non raro absolute ponitur.

582. *Quid mihi tunc animi, etc.*] Lenzius hunc et sequentem versum transponi vult ante 614. *Quid animi*, ut i. 358. *An* adfirmat, ut v. 626. *Pars esse*; idem passum esse.

585. *Putria.*] Heinsius ait, se ali-

quando conjecisse *mitia*, id est, matura, sed post se intellexisse, *putria* se bene habere; putrescentia enim facillime ex arbore defluere. Adde, quod cum putrescentibus pomis bene comparantur foeda illa corpora. Quamquam *putria* etiam esse possunt, quorum petiolus est putris seu resolutus.

587. *Templum Jovi* in monte Panhellenio Æacus dedicaverat. Pausan. ii. 30. De *gradibus*, ad templa, vide ad ii. 1. *Longis*, longam scalam efficientibus.

590. *Pro gnato genitor*; Basileensis et Moreti, *Pro gnato genitrix*, quod probat Burmannus, quia matres magis in vota precesque pro filiis ardent. *Pro dicit* unus Ciofani, *fudit*; Cantabri et Menardi, *fundit*, quod melius *τῆῖ irrita* convenire idem putat; *fundere* enim in talibus locis esse, perdere. *In aris*, ad aras. *Exorate aræ*, ad quas exorata a Diis preces. *Anima, vita*, quod unus MS. e glossa habet.

593. *Admoti quoties templis, etc.*] Virgilius, Georg. iii. 486: *Sæpe in honore Deum medio stans hostia ad aram,*

Concipit, et fundit purum inter cornua vinum,
 Haud expectato ceciderunt vulnere tauri! 595
 Ipse ego sacra Jovi pro me, patriaque, tribusque
 Quum facerem natis, mugitus victima diros
 Edidit; et subito collapsa sine ictibus ullis
 Exiguo tinxit subjectos sanguine cultros. 599
 Fibra quoque ægra notas veri monitusque Deorum
 Perdiderat: tristes penetrant ad viscera morbi.
 Ante sacros vidi projecta cadavera postes:
 Ante ipsas, quo mors foret invidiosior, aras

Lanea dum nivea circumdatur infula vitta, Inter cunctantes cecidit moribunda ministros. Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos, Inde neque impositis ardent altaria fibris; Nec responsa potest consultus reddere vates: Ac via suppositi tinguntur sanguine cultri, Summaque jejuna sanie infusatur arena. Vota concipit, formulam precum recitat, conceptis verbis precatur: Tacitus, Hist. iv. 31. jurisjurandi verba concipere, pronunciare formulam jurisjurandi. Purum commune rerum sacrarum epitheton. Sic ii. 713. pura vasa, ubi vid. not. Vulnus, ictus cultri, consequens pro antecedente. Mala omina, si victima repente cadebat, mugitus edebat, exiguumque fundebat sanguinem. Largus contra cruor faustum signum. Plinius, Pan. v. 3. Subjectos, in sacris cultri subter jugulum adigi solebant.

600. *Fibra*; fibræ proprie extorum extremitates, deinde omnino exta, hoc est, jecur, cor, pulmones. *Ægra*, vitiata. *Notas veri* signa quibus verum cognoscitur. *Dolet Æacus*, quod ne ex ipsis quidem extis consilia Deorum in re tam tristi peti potuerint: morbida enim vis *perdiderat*, corruerat ipsa viscera, ut *verum* inde cognosci haud posset. *Lenzius prodiderat* expl. deseruerat. *Ante ipsas*, etc. Hoc jam dictum versu 591. *Regius* igitur post

aras delet punctum, ut hæc cohæreant cum sequentibus. Non male: ei ergo obsequutus sum. *Invidiosa*, odiosa, abominabilis. *Lucretius*, vi. 1270: *Omnia denique sancta Deum delubra replerat Corporibus mors exanimis*; et 1274: *Nec jam religio Divum, nec numina magni Pendebantur: enim praesens dolor exsuperabat. Animam claudunt*, breviter, clausis, constrictis, laqueo faucibus impediunt, sive, intercludunt animam. *Plenius*, in Ibi, 552. *animæ laqueo sit via clausa tuæ. Et claudere omnino impedire*, ut vi. 572. *Mortisque*, etc. *Argute*: ne diu timore mortis tam odiosæ crucientur, repente sibi aliam consciscunt mortem. *Plinius*, Ep. VI. xx. 14. de incendio Vesuvii: *Erant, qui metu mortis mortem precarentur. Mirifice hoc acumen Schirachio placuit, qui summa sic efficacia morbi cruciatus pictos esse monet. Præter illud Plinii exemplum, quod attulit cl. Gierig, duo cætera petemus, prius ab Martiali, ii. Epigr. 80: *Hic, rogo, non furor est, ne moriari, mori?* alterum a Floro, ii. 12: *cujus tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare jusserit mergi, ne periret; classem cremari, ne incenderetur. Vocare quis dicitur ea, quæ accelerat. Huic bene convenit venientia, quod Burmannus illustrat: Persius, iii. 64. Venienti occurrere morbo.**

Pars animam laqueo claudunt, mortisque timorem
 Morte fugant; ultroque vocant venientia fata. 605
 Corpora missa neci nullis de more feruntur
 Funeribus; neque enim capiebant funera portæ:
 Aut inhumata premunt terras; aut dantur in altos
 Indotata rogos: et jam reverentia nulla est;
 Deque rogis pugnant; alienisque ignibus ardent.
 Qui lacrimant, desunt; indefletæque vagantur
 Natarum matrumque animæ, juvenumque se-
 numque: 612

Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.

“Attonitus tanto miserarum turbine rerum,
 “Jupiter o,” dixi, “si te non falsa loquuntur
 Dicta sub amplexus Æginæ Asopidos îsse; 616

607. *Funeribus, exequiis, pompis funebribus.* Has non cepissent portæ; hæ non potuissent omnes per portas exire. *Ferri et efferrî verba pr. in hac re.* Lucretius, dicto loco, 1276: *Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe, Ut prius hic populus semper consuêrat humari. Perturbatus enim totus trepidabat, et unus Quisque suam pro re consortem mæstus humabat. Altos ornat. Indotata, sine muneribus, quæ injici in rogos ab amicis solebant, ut recte cepit Regius.*

610. *Deque rogis pugnant; etc.]* Lucretius, ibid. 1280: *Multaque vis subita et paupertas horrida suasit. Namque suos consanguineos aliena rogorum Insuper instructa ingenti clamore locabant, Subdebantque faces, multo cum sanguine sæpe Rixantes potius, quam corpora desererentur. Umbræ justis defraudatæ non poterant Styga transire, sed huc illucve vagabantur, errabant. Nec locus, etc. Nimis auxit rem.*

615. *Si solenne in precibus. Sub amplexus ire, concumbere. Cf. vi. 113.*

ubi Jupiter *Asopida ludit igneus, seu, in ignem conversus. In amplexus ire est xi. 228. Nota, signum. Fulgore, fulgoris splendore. Tonitruque secundo; quum quidam habeant tonitrumque secundum, Heinsius etiam fulgore mutat in fulgur, ut sit oppositio. Duo, tonitrusque secundos, quos Burmannus capit vel de faustis et faventibus, vel proprie de repetitis: non enim suffecisse unum augurium, nisi confirmaretur ex simili. Dicebatur quidem tonitruum; sed tonitrum et tonitrus in plurali numero plusquam suspecta vocabula opinor. Secundum; quod audiebatur e sinistra sereni cœli parte. Tali tonitru Jupiter significabat, se esse exoratum: confer Homerus, *Odyss. Y. 102*; Virgilius, *Æneid. ii. 692.* ibique Servius. *Accipio; vox eorum qui se indicabant bono omine oblato lætari. Pigneror, pro pignore benevolentia tuæ habeo. Apud Ciceronem, Philipp. xiv. 12: Mars ipse in acie fortissimum quemque pignerari solet. Vide Nonium, in voc. pignerari; et Aul. Gellium, Noct. Attic. xviii. 12.**

Nec te, magne pater, nostri pudet esse parentem ;
 Aut mihi redde meos, aut me quoque conde sepul-
 Ille notam fulgore dedit, tonitruque secundo. [cro.”
 “ Accipio, sintque ista precor felicia mentis 620
 Signa tuæ,” dixi: “ quod das mihi, pigneror, omen.”

Forte fuit juxta patulis rarissima ramis,
 Sacra Jovi, quercus de semine Dodonæo.
 Hic nos frugilegas aspeximus agmine longo
 Grande onus exiguo formicas ore gerentes, 625
 Rugosoque suum servantes cortice callem. [dixi,
 Dum numerum miror ; “ Totidem, pater optime,”
 “ Tu mihi da cives, et inania mœnia supplē.”
 Intremuit, ramisque sonum sine flamine motis
 Alta dedit quercus : pavidō mihi membra timore 630
 Horruerant, stabantque comæ : tamen oscula terræ,
 Roboribusque dedi : nec me sperare fatebar ;
 Sperabam tamen, atque animo mea vota fovebam.

622. *Rarissima*—*Dodonæo*.] *Quercus Dodonææ* erant celeberrimæ, sed in insula *Ægina rarissima*. Sic *Regius* et *Burmān*. Arborem enim *patulis ramis* minime dici posse putant *raram*. Monet porro *Burmān* posse et *clarissima* legi. *Heinsius* suaserat, *latissima*. E ver. 636. colligas, poetam quercum plurimis ramis indicare voluisse. Atque plura occurrunt loca, ubi densitatis notionem expectasses, et tamen *rarus* usurpatum est, ut *Virgilio*, *Ecl.* v. 7 ; vii. 46 ; *Cornelio Nep.* I. v. 3. *Lenzius* hoc loco *rarissimam* interpretatur, cujus rami se non premunt, inter quos magna potius intervalla, adeoque quercus altissima.

624. *Hic nos frugilegas*, etc.] Locus suavis, quo res tenuis decore ornata et natura formicarum fideliter expressa. *Grande exiguo*. *Horatius*, I.

VOL. III.

Sat. i. 33. *Parvula magni formica laboris*. *Rugosus cortex*, non formicarum, ut *Schirachius* putabat, sed quercus ; *Sectus cortex*, ix. 658. *Servant*, omnes terunt eundem callem. *Plinius*, *Hist. Nat.* xi. 36 : *Silices itinere formicarum attritos videmus, et in opere semitam factam, ne quis dubitet, qualibet in re, quid possit quantumtunc assiduitas*. *Inania mœnia* ; hominibus vacua. *Suppleri* dicuntur quæ exhausta sunt. *Intremuit* ; firmando omnia ; exauditis precibus.

630. *Pavido mihi*, etc.] Sensus eorum, quibus signum præsentis divinæ datum. *Oscula figebantur non terræ modo peregrinæ, quam quis sospes attingebat, sed et locis, ubi lætum signum apparuerat*. *Roboribus*, robori, quercui. *Nec me*, etc. ex naturæ humanæ veritate.

3 H

Nox subit, et curis exercita corpora somnus
 Occupat: ante oculos eadem mihi quercus adesse,
 Et ramos totidem; totidemque animalia ramis 636
 Ferre suis visa est; pariterque tremiscere motu;
 Graniferumque agmen subjectis spargere in arvis:
 Crescere quod subito, et majus majusque videri,
 Ac se tollere humo; rectoque assistere trunco; 640
 Et maciem numerumque pedum, nigrumque co-
 lorem

Ponere; et humanam membris inducere formam.
 Somnus abit: damno vigilans mea visa; querorque
 In Superis opis esse nihil: at in ædibus ingens 644
 Murmur erat; vocesque hominum exaudire videbar,
 Jam mihi desuetas: dum suspicor has quoque somni;
 Ecce venit Telamon properus; foribusque reclusis,
 "Speque fideque, pater," dixit, "majora videbis:
 Egredere." Egredior; qualesque in imagine somni
 Visus eram vidisse viros; ex ordine tales 650
 Aspicio, agnoscoque: adeunt; regemque salutant.
 Vota Jovi solvo, populisque recentibus urbem
 Partior, et vacuos priscis cultoribus agros;
 Myrmidonasque voco, nec origine nomina fraudo.
 Corpora vidisti: mores, quos ante gerebant, 655

634. *Exercita*, defatigata: confer viii. 83. ubi, *curis fessa diurnis Pectora somnus habet. Graniferum agmen*; formicas: de iis Virgilius, *Æneid. iv. 404. It nigrum campis agmen, prædamque per herbas Convectant calle angusto.*

640. *Recto trunco*, quia homini *recta*, sive, erecta forma. Secundum Servium, ad *Æn. ii. 7. Æacus quum in arbore formicas vidisset, optavit, tot sibi socios evenire, et statim formicæ in homines versæ sunt.*

643. *Damno*, contemno. *Desuetas*, nempe multorum hominum voces et fremitus audire desueverat.

654. *Myrmidonas.*] Vide ad ver. 453. Strabo, notante Regio, eos inde hoc nomen accepisse vult, quod formicarum more terram in petras apportaverint, ut agri colendi materiam haberent. *Fraudatur nomen origine*, quum rei imponitur nomen, quod non declarat originem, non conveniens origini.

Nunc quoque habent; parcum genus est patiens-
que laborum,

Quæsitique tenax, et qui quæsita reservent.

Hi te ad bella, pares annis animisque, sequentur;

Quum primum, qui te feliciter attulit, Eurus, 659

Eurus enim attulerat, fuerit mutatus in Austros.

VIII. Talibus atque aliis longum sermonibus illi
Implevere diem: lucis pars ultima mensæ

Est data; nox somnis: jubar aureus extulerat sol;

Flabat adhuc Eurus, redituraque vela tenebat.

Ad Cephalum Pallante sati, cui grandior ætas, 665

Ad regem Cephalus, simul et Pallante creati

Conveniunt: sed adhuc regem sopor altus habebat.

Excipit Æacides illos in limine Phocus:

Nam Telamon, fraterque, viros ad bella legebant.

Phocus in interius spatium, pulchrosque recessus

656. *Parcum genus est.*] Cum his conferatur Horatius, I. Serm. i. 33 sqq. *Quæsiti tenax, et qui quæsita reservent eodem redeunt. Quæsita reservent, scilicet, Myrmidones.*

659. *Eurus* mutatur in lib. viii. 2.

661—865. *Cephalus et Procris.*] Cephalus quum ab Aurora impulsus conjugis, ipsum non agnoscentis, pudicitiam et tentasset et labefactasset, illa, pudore suffusa fugit in silvas, inde reversa Cephalo donat canem et jaculum. Canis mutatur in saxum; jaculo Cephalus imprudens interficit Procrin. Confer. Antoninus Liberalis, cap. 21; Apollodorus, II. iv. 7; III. xv. 1; Hyginus, fabula 189. 241; Servius, ad Æneid. vi. 448; Pausanias, Attic. p. 91; Bœot. p. 746. Narraverat et, ut e Schol. ad Od. A. 320. apparet, Pherecydes, quocum Ovidius fere consentit. Extabat etiam Sophoclis Procris. Noster fabu-

lam decore, diligentissime et suavissime narravit. *Implevere diem*, consumpserunt: totum diem, quam longus est, in his et similibus sermonibus transegerunt. *Pars ultima*; Regii nostri et quidam alii, *pars optima*; minus bene, quamvis *optima* pars diei in regionibus meridionalibus, ubi ab ortu fere solis fervet æther, sit *ultima*, ab hora nona usque ad decimam, unde hanc partem ultimam mensæ et jocis consecraverant: immo prandia vetustiori ævo omnino ignorabant. *Tenebat*, retinebat.

666. *Ad regem*; ad Æacum. *Sopor habebat*; habetur sopore, qui sopitus jacet. Eodem modo, versu 800. *amor habebat*.

669. *Legere viros* phrasis propria in hac re; sic Virgilius, Æneid. viii. 547. *Qui sese in bellu sequantur, Præstantes virtute legit*.

670. *In interius spatium*: in ædibus erant *primæ*, interiores et *intima*

Cecropidas ducit, cum quis simul ipse resedit. 671
 Aspicit Æoliden ignota ex arbore factum
 Ferre manu jaculum, cujus fuit aurea cuspis.
 Pauca prius mediis sermonibus ille loquutus ;
 “ Sum nemorum studiosus,” ait, “ cædisque fe-
 Qua tamen e silva teneas hastile recisum, [rinæ :
 Jamdudum dubito : certe, si fraxinus esset,
 Fulva colore foret : si cornus, nodus inesset :
 Unde sit ignoro ; sed non formosius isto
 Viderunt oculi telum jaculabile nostri.” 680
 Excipit Actæis e fratribus alter : et, “ usum
 Majorem specie mirabere,” dixit, “ in isto. [sum
 Consequitur, quodcunque petit ; Fortunaque mis-
 Non regit ; et revolat, nullo referente, cruentum.”
 Tam vero juvenis Nereïus omnia quærit : 685

partes. In interiores et intimas sece-
 debant, qui aliquid arcani tractare
 vellent ; Livius, xl. 8 : *Secessit in
 partem interiorum cum amicis. Inde
 secessus aut recessus, i. 177. Erant
 spatiosiores* : Vitruv. vi. 8 : *Ædificia
 spatiosiora ad conventus excipiendos.*

672. Æoliden.] Vide ad vi. 681.
Ignota ; quidam, *ignara*, quod et ac-
 tive et passive dici docet ad hunc
 locum Heinsius. Nostris Regiis, *ig-
 nota. Jaculum* ; videmus hinc ja-
 cula esse gestata etiam ab iis qui
 regem adirent. *Aurea*, aurata, auro
 ornata ; nam aurea cuspis non va-
 luisse in feras, ut etiam Burmannus
 monet, qui mallet hoc loco *ænea. Me-
 dii sermones*, a rebus in medio positis,
 vulgaribus petiti. *Qua tamen e silva* ;
 e quo ligno. *Nodus*. Plinius, Hist.
 Nat. xvi. 39. *Fulva cornus in vena-
 bulis nitet, incisuris nodata propter
 decorem. Telum jaculabile, jaculum.*
 Hoc quoque vocabulum originem Ovi-
 dio debere videtur, ut *dubitabile, i.*

223. Ab Apollod. *ἄκόντιον ἰθυβό-
 λον* vocatur.

682. *Usum in isto*, usum ejus. Vide
 ad x. 651. Marian. Accurs. putat,
 hoc jaculum fuisse ex aquifolia, de
 qua Plinius, xxiv. 13 : *Baculum* (ipse
 conj. *jaculum*) *ex ea factum, in quodvis
 animal emissum, etiamsi citra ceciderit
 defectu mittentis, ipsum per sese recu-
 bitu propius allabi ; tam præcipuam
 naturam inesse arbori.* Hoc Procridis
 jaculum (*Πρόκριδος ἄκόντια*) in pro-
 verb. abiit, diciturque de iis, qui,
 quid sibi proponunt, assequuntur.

685. *Nereius*, Phocus, quem Æacus
 ex Psammathe, Nerei filia, susceperat :
 Apollonius Rhod. i. 93. *Qua mercede*,
 cujus mercedis loco. Hæserunt hic
 interpretes, quia Cephalus hoc quoque
 in sequentibus narrare iis videbatur.
 Verum ille ver. 751 sq. refert quidem,
 a Procride hoc jaculum sibi datum,
 sed *qua mercede* silet, aut potius ob-
 scure tangit verbis *lesum prius ulla
 pudorem.* Sed quæritur, quo modo

Cur sit et unde datum ; quis tanti muneris auctor ?
 Quæ petit, ille refert ; sed quæ narrare pudori est,
 Qua tulerit mercede, silet ; tactusque dolore
 Conjugis amissæ, lacrimis ita fatur obortis :
 Hoc me, nate Dea, quis possit credere ? telum
 Flere facit, facietque diu, si vivere nobis 691
 Fata diu dederint : hoc me cum conjugè cara
 Perdidit : hoc utinam caruissem munere semper !
 Procris erat, si forte magis pervenit ad aures
 Orithyia tuas, raptæ soror Orithyïæ. 695
 Si faciem, moresque velis conferre duarum,
 Dignior ipsa rapi : pater hanc mihi junxit Erech-
 theus ;
 Hanc mihi junxit amor : felix dicebar, eramque ;
 Non ita Dîs visum est, ac nunc quoque forsitan
 Alter agebatur post sacra jugalia mensis ; [essem.
 Quum me, cornigeris tendentem retia cervis, 701
 Vertice de summo semper florentis Hymetti

reliqua profecta sint ab Ovidii manu. Codices nostri Regii habent *Quæ petit, ille refert ; et cætera nota pudori* : spectabilis lectio quæ jam Mycilli et Glareani mentem sollicitam fecerat : cætera nota, ut aiunt, vel *quo pretio receperit*, Cephalus ob pudorem reticet.

694. *Procris erat—raptæ, etc.*] Vide et confer cum hoc loco, vi. 681. *Orithyia* rapina erat in Græcia res notissima, eademque veluti suo cognomine *rapta* dicebatur. Vide Heinsium. *Si faciem, etc.* ; non commode modo eam sic laudat, sed et consilio convenienter. *Dignior ipsa rapi* ; anteponit Cephalus Procrin Orithyïæ, quamvis hæc ob pulchritudinem a Boreâ rapta fuisse videatur. *Pater, etc.* vult dicere legitimum fuisse matrimonium, cui etiam Dii favere debuerint. *Ere-*

chtheus recte a plurimis scriptoribus nominatur ; male Hyginus, fabula 189. *Pandiona* memorat. *Erechtheus* Athenarum fuit rex, unde Athenienses interdum *Erechthiade* vocabantur. *Amorem* bene hic memorat, ut in iv. 757 ; sine causa igitur Heinsius *Hymen* reponi voluit. *Felix* conjugè quasi formula solennis : confer infra ver. 799. *Non ita Dîs visum*, vox eorum, qui excederunt bono aliquo.

702. *Florens Hymettus* etiam in Art. Amat. iii. 687 sqq. ubi causa hujus epitheti redditur, quia innumeris arborum et herbarum generibus tectus. Ad radicem hujus montis venabatur bene mane, eumque vidit Aurora, ubi partem cœli attigerat, quæ erat super *verticem* montis. *Lutea*, crocea, etiam xiii. 579 ; et Virgil. *Æn.* vii. 26. *Lutum* herbæ genus, Gallice,

Lutea mane videt pulsis Aurora tenebris,
 Invitumque rapit: liceat mihi vera referre
 Pace Deæ, quod sit roseo spectabilis ore, 705
 Quod teneat lucis, teneat confinia noctis,
 Nectareis quod alatur aquis: ego Procrin amabam;
 Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.
 Sacra tori, coitusque novos, thalamosque recentes,
 Primaque deserti referebam fœdera lecti. 710
 Mota Dea est; et, "siste tuas, ingrate, querelas:
 Procrin habe," dixit: "quod si mea provida mens
 Non habuisse voles:" meque illi irata remisit. [est,
 Dum redeo, mecumque Deæ memorata retracto,
 Esse metus cœpit, ne jura jugalia conjux 715
 Non bene servâsset; faciesque ætasque jubebat
 Credere adulterium; prohibebant credere mores.
 Sed tamen abfueram: sed et hæc erat, unde redibam,

Gaude. Hyginus: Cum matutino tempore in montem exisset, Aurora, Tithoni conjux, eum adamavit petitque ab eo concubitum: cui Cephalus negavit, quod Procri fidem dederat; quod postremum Cephalus mox copiose et suaviter persequitur, præfatus, ut fidem suam amplificaret, nonnulla de Auroræ pulchritudine. Apud Apollodorum, III. xiv. 3. alius Cephalus, a nostro diversus, Mercurii et Herses filius, rapitur ab Aurora.

704. *Liceat mihi*, etc.] Licet sit Dea et pulcherrima, et potentissima et suavissime vivens, quæ singula alium movissent: ad multitudinem rerum lectorem advertit repetitum quod. *Confinia lucis*: confer iv. 399. *Nectareæ aquæ*, nectar, ut, ii. 120. *Ambrosiæ succus*. Vis est in repetito nomine *Procris*. Sic Virgilius, Georg. iv. 465 sqq.: *Te, dulcis conjux, te solo in litore secum, Te veniente die, te decedente canebat.*

710. *Fœdera lecti* sunt concubitus. Art. Amat. ii. 462. *fœdus concubitus* petere; et iii. 593. *rivalem partitaque fœdera lecti*; Heroid. i. 7. *temerati fœdera lecti*; Sabin. i. 131. *dies, qui renovet fœdera lecti*; supra, iii. 292. *Veneris fœdus inire*. Mox non apparet, cur *ingratum* dixerit. Heinsius, ex Bononiensi, laudat *ignare*, idque explicat, morum uxoris tuæ ignare. Possis et interpretari, sciens, quid tibi prosit, aut, tibi instet, ut ii. 100: hoc bene convenit sqq. *Habe* vox eorum, qui indicant, se nolle rem eripere alteri. Apud Hyginum, minus ambigue Aurora: *Nolo, ut fallas fidem, nisi illa prior fefellerit. Quod si mea*, etc. Sed si, inquit, prævideo futura, cupies nunquam habuisse Procrin.

714. *Retracto, mecum cogito*, ut iv. 568. *Jura, officia*.

718. *Sed—sed.*] Elegans hujus vocis repetitio, et ea vox nunc est cri-

Criminis exemplum; sed cuncta timemus amantes.
 Quærere, quo doleam, studeo, donisque pudicam
 Sollicitare fidem: favet huic Aurora timori, 721
 Immutatque meam, videor sensisse, figuram.
 Palladius in eo, non cognoscendus, Athenas;
 Ingrediorque domum: culpa domus ipsa carebat,
 Castaque signa dabat, dominoque erat anxia raptio.
 Vix aditu per mille dolos ad Erechthida factio, 726
 Ut vidi, obstupui, meditataque pæne reliqui
 Tentamenta fide: male me, quin vera faterer,
 Continui; male, quin, ut oportuit, oscula ferrem.
 Tristis erat; sed nulla tamen formosior illa 730
 Esse potest tristi; desiderioque calebat
 Conjugis abrepti: tu collige, qualis in illa,
 Phoece, decor fuerit, quam sic dolor ipse decebat.
 Quid referam, quoties tentamina nostra pudici
 Reppulerint mores? quoties, "Ego," dixerit, "uni
 Servor, ubicunque est; uni mea gaudia servo?"

men inferentis. *Crimen* in primis de adulterio. Aurora adulterii exemplum, quia nupta Tithono. *Cuncta timemus*. Confer ver. 826.

721. Favet, adjuvat. Hyginus: Mutat in hospitis figuram, atque dat munera speciosa, quæ Procridi deferret.

724. Culpa carebat; non enim ibi, ut in Ulyssis domo, proci. Anxia, nempe domestici erant anxii. Quum raptum esse ignoraret Procris, Burmannus ex uno præfert tardo; quia cessabat, anxia erat: frustra; alioquin et, versus 732, abrepti mutandum esset.

726. Vix aditu, etc.] Secundum Antoninum Liberalem, per servum ignotum pretio Procrin sollicitat. Auctore Apollodoro, Procris in adulterio cum Pteleonte deprensa fugit ad Mi-

noa. Melius est, quod Noster apprehendit. Vix aditu—factio dedit Heinsius ex tribus; bene se habet quod dat vulgata (sicut et Regius noster A) aditus—factus. Apud Græcos in interiore ædium parte mulieres sedebant. Male; vix.

730. Nulla tamen formosior.] De decore in omni habitu, vide ad iv. 230. Calebat exquisitius, quam aliorum dolebat; affectus eum revolvit ad decorem conjugis.

736. Gaudia, vox venerea: apud Livium, i. 58. Sextus pestiferum hinc abstulit gaudium. Pugno, oppugno mulierem in meum ipsius dolorem. Census, pretium, munera. Pro nocte sic capiendum, ut apud Terentium, Hec. II. iii. 125. ejus noctem orare. Dubitare modeste exprimit fidem Procridis labefactam.

Cui non ista fide satis experientia sano
 Magna foret? non sum contentus, et in mea pugno
 Vulnera, dum census dare me pro nocte paciscor;
 Muneraque augendo tandem dubitare coegi. 740
 Exclamo: "Male tectus ego en, male pactus
 adulter;

Verus eram conjux; me, perfida, teste teneris."
 Illa nihil: tacito tantummodo victa pudore
 Insidiosa malo cum conjuge limina fugit;
 Offensaque mei genus omne perosa virorum 745
 Montibus errabat, studiis operata Dianæ.
 Tum mihi deserto violentior ignis ad ossa
 Pervenit: orabam veniam, et peccâsse fatebar,
 Et potuisse datis simili succumbere culpæ
 Me quoque muneribus, si munera tanta darentur.
 Hoc mihi confesso læsum prius ulta pudorem, 751

741. *Male tectus ego*, etc.] E magna ineptarum lectionum varietate, difficile est aliquid certi eruere. Optimum mihi videtur Burmanni conjecturam sequi, *Male tectus ego, male fictus adulter*. Codex B. *Male, pectora detego, fictus adulter*; optime certe: et ea, ni fallor, vera est lectio. *Male*, in meum damnum. *Tectus*, sive *fictus*, adulter; simulatus eram adulter, sed verus conjux. *Teneris*; deprehensa convinceris. Vide Ernesti Clav. Cic. h. v.

746. *Errabat in montibus* more earum, quæ fugiebant viros et amorem. Secundum alios fugit in Cretam, ubi Diana, quum eam cognovisset ab Aurora deceptam, *miser cordia tacta dat ei jaculum, quod nemo evitare posset, et canem Lælapem, quem nulla fera effugere possit*. Ita Hyginus; sed apud Antoninum et Apollodorum a Minoe, quod rem cum eo habuerat, jaculum et canem accipit. *Operari*, quod pro-

prium verbum sacrorum, omnino significat operam dare: Horatius, I. Ep. ii. 29. *in cute curanda plus æquo operata juvenus*.

751. *Læsum prius ulta pudorem*.] Hoc est illud ipsum, quod versu 687 *pudoris causa siluisse* dicitur, et hic verbo tantum tangit. Nempe Procris juvenili habitu Dianæ voluntate ad *Cephalum venit, eumque provocavit: quem in venatione superavit*. *Cephalus, ut vidit tantam potentiam canis atque jaculi esse, petit ab hospite, non æstimens conjugem suam esse, ut sibi jaculum et canem venderet*. *Illa negare cepit*. *Regni quoque partem pollicetur: illa negat*. *Sed si utique, ait, perstas id possidere, da mihi id, quod pueri solent dare*. *Ille amore jaculi et canis incensus promisit se daturum*. *Qui quum in thalamos venissent, Procris ostendit se feminam esse et conjugem illius: cum qua Cephalus, muneribus acceptis, rediit in gratiam*. ΗΥΓΙ

Redditur, et dulces concorditer exigit annos.
 Dat mihi præterea, tanquam se parva dedisset
 Dona, canem munus : quem quum sua traderet illi
 Cynthia; “currendo superabit,” dixerat, “omnes.”
 Dat simul et jaculum, manibus quod, cernis, ha-
 bemus. 756

Muneris alterius quæ sit fortuna requiris?

Accipe : mirandi novitate movebere facti.

Carmina Laiades non intellecta priorum

*nus. Exigit ; plurimi, egimus. Exi-
 git, agit ; Virgilius, Æn. i. 74: Omnes
 ut tecum annos exigit. Venusta sen-
 tentia est in tanquam se, etc.*

759. *Carmina Laiades, etc.*] Hanc
 fabulæ partem narrant etiam Pausa-
 nias, Bœot. p. 746 ; Antoninus Libe-
 ralis, cap. ult. ; Palæphatus, cap. 8 ;
 Suidas, in Τελαίσια ; Hyginus, P. A.
 ii. 35. *Laiades, Œdipus, Laii filius,
 carmina, ænigma Sphingis, quæ ob
 ambages, ænigma obscurum et ambi-
 guum vates obscura erat, solverat, ex-
 plicuerat ; quo facto monstrum illud
 de monte, quem tenebat, se præcipi-
 taverat. Carmen, formula quæcun-
 que verborum. Quanquam ænigma,
 illud Sphinx a Musis edocta credebatur,
 eratque carmine conceptum, unde
 χρησμός vocatur. Vide Valken. ad
 Euripid. Phœn. 50. Similiter Æschylus,
 Eum. 308. μῦθον στυγερῶν, triste
 carmen, vocat. Ingenio opus erat ad
 ænigma intelligendum. Priores, ho-
 mines ante Œdipodis adventum. Am-
 bages de sermonibus obscuris et ambi-
 guis. In immemor ambagum non est,
 ut Schirachius putabat, sarcasmus in-
 eptus ; sed talia solent de mortuis sine
 contemptu dici. Recte Sphinx vates
 dicitur, quia carmina canebat, eaque
 obscura, non intellecta prioribus.
 Monstrum illud Thebanis immiserat,
 secundum alios, Bacchus (Schol. He-
 siodi, p. 261) ; secundum alios, Juno ;*

VOL. III.

Apollodorus, iii. 5 ; Schol. Euripidis,
 ad Phœn. 1748. Forte alii tradide-
 rant, a Themide id factum, certe ænig-
 ma suppeditatum. Sed dubitatur, an
 Ovidius hæc scripserit, quæ Heinsius
 nobis dedit. Nam antea edebatur :
*Carmina Naiades non intellecta prio-
 rum Solvunt ingeniiis—suarum, Scilicet
 alma Themis: nec talia liquit inulta.
 Protinus Aoniis immissa est bellua The-
 bis, Cessit et exitio multis: pecorique
 sibique Ruricolæ, etc.* Eam lectionem
 defendunt Parrhasius, Epist. Quæst.
 38. et Schirachius. Intelligunt illi
Naiadas nymphas Cithæronidas, Apol-
 linis nutrices, quæ priscis temporibus
 vaticinatæ erant. Pausan. Bœot. iii.
 p. 718. Hæ igitur solvunt, explicant,
carmina, oracula, nempe Themidis.
 Hinc illa non amplius colitur a The-
 banis, et imago ejus præcipitata, pro-
 ruta, in templo jacet. Hunc suum con-
 temptum non tulit æquo animo The-
 mis, sed immisit Thebanis belluam,
 etc. His attingitur fabula, quam ig-
 noramus. In verbis nonnulla offen-
 dunt. Non enim apparet, cur poeta
 tam contemptim de Themide loquutus
 sit, nec rō scilicet ex usu Veterum
 adhibitum. Id melius ponitur, ubi
 sententiæ proferuntur, iii. 135. aut
 quum quis indignatur irridetve ali-
 quid, ii. 471. Aliquid tamen auctori-
 tatis lectioni illi accedit ex Lactantii
 Argumento, ubi hæc leguntur : *The-*

3 I

Solverat ingeniis ; et præcipitata jacebat 760
 Immemor ambagum, vates obscura suarum.
 Scilicet alma Themis non talia linquit inulta :
 Protinus Aoniis immittitur altera Thebis
 Pestis ; et exitio multi pecorumque suoque
 Rurigenæ pavere feram : vicina juventus 765
 Venimus ; et latos indagine cinximus agros.
 Illa levi velox superabat retia saltu ;
 Summaque transibat positarum lina plagarum.
 Copula detrahitur canibus, quas illa sequentes
 Effugit, et volucris non segnius alite ludit. 770
 Poscor et ipse meum consensu Lælapa magno.
 Muneris hoc nomen : jamdudum vincula pugnat
 Exuere ipse sibi, colloque morantia tendit.

bani Naiadibus, Nymphisque futura prædicentibus, Themidis Deæ obscura dantis responsu, templum everterunt. Nisi cum Heinsio dicere velis, auctorem illum in mendosos incidisse Codices, et inveteratum esse errorem. *Aoniis*, Bœotiis Aonia enim pars est Bœotiæ.

764. *Pestis*, bellua terram vestans, ut *pestis Nemæa*, Heroid. ix. 61. Descriptio sequens lupum indicare videtur ; sed ex Antonino et Apollodoro vulpem fuisse scimus. Dicta est Teumesia a Teumeso, monte Bœotiæ. Ea Amphitryonis (non Œdipodis) tempore molesta erat Thebanis. Ei, ne plures raperet, Thebani unum singulis mensibus puerum devorandum apponebant. Antoninus, Apollodorus. Hinc arcessitur *Cephalus* cum cane suo. *Rurigenæ* novum vocabulum. *Vicina juventus*. Vide ad viii. 300.

767. *Levis saltus*, ut Phædrus I. fabula xii. 8. *Cursus levis*, celer, quasi corpus leve esset. Hyginus, P. A. 35. *vulpes, cui datum dicebatur, ut omnes canes effugere posset.* Versus *Summa-*

que, etc. redundanter adjectus superiori. In hoc versu Basileensis Codex dat *pictarum*, non improbante Burmanno, quia plagæ variis plumarum coloribus distinctæ fuerint.

769. *Copula detrahitur*, etc.] Hæc narratio exacta satis est et minutissima quæque ante oculos ponit. Illa autem diligentia opus erat, quum *Cephalus* vellet et naturam monstri immitti et celeritatem canis sui in luce collocare. Et in rebus, quibus devotissimus, enarrandis tam copiosi esse solemus. *Copula*, funiculus, quo ducuntur canes venatici, vinculum, quo ligantur. *Detrahitur* ; primus *Palatinus*, *distrahitur*, ut copulam ruptam impetu canum significet. *Ludit pro eludit*, quod viii. 687 : sic *deludere*, *Halicut*. 25 ; *ludificari*, *Silius Italicus*, vii. 642. *Lælaps* Græcis proprie est turbo. A velocitate et impetu nomen hoc inditum fuit cani.

773. *Pugnat exuere* ; conatur detrahere, *vincula*, lorum quo tenebatur, vel ipsam copulam.

Vix bene missus erat, nec jam poteramus, ubi esset,
 Scire : pedum calidus vestigia pulvis habebat ; 775
 Ipse oculis ereptus erat : non ocior illo
 Hasta, nec excussæ contorto verberare glandes,
 Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.
 Collis apex medii subjectis imminet arvis :
 Tollor eo, capioque novi spectacula cursus : 780
 Quo modo deprendi, modo se subducere ab ipso
 Vulnere visa fera est : nec limite callida recto,
 In spatiumve fugit ; sed decipit ora sequentis,
 Et redit in gyrum, ne sit suus impetus hosti. 784
 Imminet hic, sequiturque parem : similisque tenenti
 Non tenet, et vacuos exercet in aera morsus.
 Ad jaculi vertebar opem : quod dextera librat
 Dum mea, dum digitos amentis indere tento,
 Lumina deflexi, revocataque rursus eodem
 Rettuleram ; medio, mirum ! duo marmora campo
 Aspicio : fugere hoc, illud latrare putares. 791

775. *Calidus*, in quo calida adhuc recentia, vestigia pedum. *Glandes plumbeæ*. Cretenses, quorum urbs *Gortyne*, nobilissimi erant jaculatores, præstantissimosque faciebant, arcus et sagittas. Confer ii. 727 ; xiv. 825. *Verber*, lorum fundæ. *Exit*, avolat.

780. *Tolluntur* aves in aera, hinc et qui ascendunt in montem. *Capio spectacula*, specto, ut iii. 246. *Novi*, inauditi. Sequitur locus non minus ingeniose scriptus, quam i. 533 sqq. quem conferas. *Decipit* exquisite, effugit. *Ne sit suus*, etc. ne uti possit impetu, quo solet in prædam ferri.

785. *Parem*, nempe cursu. Verba *imminet*—*tenet* condonabimus ingenio Ovidii, quod nimis immoratur ejusmodi rebus. Sed bene *vacuus mor-*

sus (olim, et in Regiis nostris minus bene *vanos*,) dum vulpes se subducit morsibus, ut canis nil nisi aera mordeat. Exempla similia habet Heins. *Morsus exercere* exquisitius, quam mordere. Paulo aliter, viii. 826. *Exercet cibo delusum guttur inani*. *Amentum*, loramentum, quod addebatur jaculo emittendo, manuque retinebatur illo emisso : xii. 321. *inserere amento digitos*. *Indere* pro *addere* e pervertuto Codice primus notavit et approbavit Mariangelus Accursius.

789. *Revocata rettulerum* e copia poetica, quum alterutrum satis fuisset. Post *rettuleram*, nostris Codicibus inseritur *et*, quæ particula vim addit narrationi, idem sonat atque *ecce*. *Duo marmora*, duo marmorea signa.

Scilicet invictos ambo certamine cursus
 Esse Deus voluit; si quis Deus affuit illis.
 Hactenus; et tacuit. "Jaculo quod crimen in ipso?"
 Phocus ait: jaculi sic crimina reddidit ille: 795
 Gaudia principium nostri sunt, Phoce, doloris.
 Illa prius referam: juvat o! meminisse beati
 Temporis, Æacida, quo primos rite per annos
 Conjuge eram felix! felix erat illa marito!
 Mutua cura duos, et amor socialis habebat. 800
 Nec Jovis illa meo thalamos præferret amori:
 Nec me quæ caperet, non si Venus ipsa veniret,
 Ulla erat: æquales urebant pectora flammæ.
 Sole fere radiis feriente cacumina primis,
 Venatum in silvas juveniliter ire solebam: 805
 Nec mecum famulos, nec equos, nec naribus acres
 Ire canes, nec lina sequi nodosa sinebam:
 Tutus eram jaculo: sed quum satiata ferinæ
 Dexteræ cædis erat; repetebam frigus et umbras,
 Et, quæ de gelidis halabat vallibus, auram. 810
 Aura petebatur medio mihi lenis in æstu;
 Auram expectabam: requies erat illa labori.

792. *Invictos ambo*; Regii nostri, ambos. Hyginus: *Jupiter nescius, quid faceret, ut Ister ait, utrosque ut lapides convertit*. Nihil definit Pausanias, p. 746.

794. *Quod crimen*; respice ad ver. 690 sqq.

796. *Gaudia principium doloris*; ita Diis placitum ut voluptati mceror comes consequatur. Sic Plautus in *Amphytrione*, et supra versu 454: *Sollicitique aliquid lætis intervenit*. Tertia inde pars fabulæ, in qua nota affectus animi. Heinsius, e *Cantabr. Noric.* et duobus aliis, *sint invexerat*. Id probandum esset, si non *doloris*,

sed *narrationis* sequeretur. Ad ordinem narrationis potius *illa prius referam* pertinent. Itaque sunt revocavi. *Rite*, ut decet. *Felix*. Vide ad versum 698.

800. *Cura* et de amore conjugum consanguineorumque, et de studio placendi dicitur. *Duos*, ambos. *Socialis*, conjugalis. *Conjuges socii tori*. Inde et *socius* atque *socialis amor*. De *habebat*, vide ad 667. *Æquales*, æquæ. Confer iv. 62.

804. *Sole fere*, etc.] Conf. Art. Amat. iii. 695—746. ubi eadem res narrata. *Feriente*. Vide ad iii. 181. *Juveniliter*, studio juvenili. *Naribus*

“ Aura,” recordor enim, “ venias,” cantare solebam :
 “ Meque juves, intresque sinus, gratissima, nostros :
 Utque facis, relevare velis, quibus urimur, æstus.”
 Forsitan addiderim, sic me mea fata trahebant, 816
 Blanditias plures : et, “ Tu mihi magna voluptas,”
 Dicere sim solitus : “ tu me reficisque, fovesque :
 Tu facis, ut silvas, ut amem loca sola ; meoque
 Spiritus iste tuus semper captatur ab ore.” 820
 Vocibus ambiguis deceptam præbuit aurem
 Nescio quis ; nomenque Auræ tam sæpe vocatum
 Esse putans Nymphæ, Nympham mihi credit amari.
 Criminis extemplo ficti temerarius auctor
 Procrin adit, linguaque refert audita susurra. 825
 Credula res amor est : subito collapsa dolore
 Ut sibi narratur, cecidit ; longoque refecta
 Tempore, se miseram, se fati dixit iniqui ;
 Deque fide questa est : et crimine concita vano,
 Quod nihil est, metuit ; metuit sine corpore nomen ;

acres, sagaces ; iii. 212. naribus utilis. Tutus, omnino instructus ; quo sensu alibi et letus. Satiata cadis Græca syntaxis. Halabat, spirabat.

813. *Aura, recordor, etc.]* In hac cantileua singula fere verba sunt ambigua, possuntque et de aura et de puella capi. Dœring. in Ecl. Vett. poet. ad Ovidium, Art. Amat. iii. putat, *Αὔρα* pronunciatum esse **Αβρα*, quo nomine concubina notata sit. Apud Pherecydem Cephalus non minus ambigue ὦ Νεφέλα, παραγένου clamitabat. In altero Artis Amat. loco, *Quoque meos releves æstus—Accipienda sinu, mobilis Aura, veni. Intresque sinus gratissima ;* qui æstuant, pectus captandæ auræ aperiunt ; ibi enim potissimum calores sentiuntur.

819. *Sola, deserta. Spiritum aut anhelitum alterius captant etiam col-*

loquentes, iv. 72. Nescio quis. Secundum Pherecydem fuit servus, ex quo de marito Procris quæsitiv.

824. *Auctor, nuncius, ut xi. 666. Susurra alii substantive capiunt pro susurros, alii cum lingua conjungunt.*

826. *Credula res amor est ; sic Art. Amat. iii. 720 : Quia amans semper, quod timet, esse putat. Collapsa cecidit plenius, quam collapsa est, quod verb. de delinquentibus animo. Ut sibi narratur ;* Codices nostri, *Ut mihi narratur, quod potest recipi dummodo post versum præcedentem comma ponatur. Immo præsens pro præterito, narratur pro narratum est, contorte dictum videtur. Fati iniqui, cui factum irascitur, miser.*

830. *Nomen sæpe de re inani et vana : aura corpore caret.*

Et dolet infelix veluti de pellice vera. 831
 Sæpe tamen dubitat; speratque miserrima falli;
 Indicioque fidem negat; et, nisi viderit ipsa,
 Damnatura sui non est delicta mariti.

Postera depulerant Auroræ lumina noctem;
 Egredior, silvasque peto: victorque per herbas, 836
 "Aura veni," dixi, "nostroque medere labori:"
 Et subito gemitus inter mea verba videbar
 Nescio quos audisse: "veni, tamen, optima," dixi.
 Fronde levem rursus strepitum faciente caduca, 840
 Sum ratus esse feram, telumque volatile misi.
 Procris erat; medioque tenens in pectore vulnus,
 "Hei mihi!" conclamat: vox est ubi cognita fidæ
 Conjugis, ad vocem præceps amensque cucurri.
 Semanimem, et sparsas fœdantem sanguine vestes,
 Et sua, me miserum! de vulnere dona trahentem
 Invenio; corpusque meo mihi carius, ulnis 847
 Sontibus attollo: scissaque a pectore veste
 Vulnera sæva ligo; conorque inhibere cruorem:
 Neu me morte sua sceleratum deserat, oro. 850
 Viribus illa carens, et jam moribunda, coegit
 Hæc se pauca loqui: "Per nostri fœdera lecti,

832. *Speratque falli.*] Monet Hein-
 sius *sperare*, ut ἐλπίζειν, etiam in
 malam rem dici. At hoc loco bono
 sensu; bona enim res est, in re mala
 falli. *Delicta mariti*, maritum tan-
 quam delicti reum.

836. *Victor*, idem quod versu 808.
quum satiata, etc. *Victor*; voti com-
 pos, satiatus cæde ferarum. *Labor*,
 æstus.

840. *Caduca*, quæ deciderat: vide
 ad ix. 650. Secundum Pherecydem
 Procris irruit in Cephalum, qui illo
 impetu perterrefactus eam interficit.

Apud Hyginum, ubi nihil de aura,
 Procris timens Auroram mane se-
 quuta maritum, ut eum observaret,
 inter virgulta delituit. Auctore Apol-
 lodoro, una it venatum; erat enim
 θηρευτική.

842. *Vulnus*, telum vulnificum, ix.
 126. Sine causa Burmanno, ex Vos-
 siano, placet *in gutture ferrum*.

845. *Fœdare* de sanguine, iii. 523;
 quem locum adi, et exemplum ibi
 citatum. *Scindebat* suam ipsius ves-
 tem, ut ligamenta vulneris haberet.

852. *Fœdera lecti*, ut versu 709.

Perque Deos supplex oro, superosque, meosque ;
 Per si quid merui de te bene ; perque manentem
 Nunc quoque, quum pereo, causam mihi mortis,
 amorem ; 855

Ne thalamis Auram patiare innubere nostris."

Dixit ; et errorem tum denique nominis esse
 Et sensi, et docui : sed quid docuisse juvabat ?

Labatur ; et parvæ fugiunt cum sanguine vires : 859
 Dumque aliquid spectare potest, me spectat ; et in
 Infelicem animam, nostroque exhalat in ore : [me
 Sed vultu meliore mori segura videtur. [ecce

Flentibus hæc lacrimans heros memorabat ; et
 Æacus ingreditur duplici cum prole, novoque 864
 Milite, quem Cephalus cum fortibus accipit armis.

Meos, quos mox adibo, inferos. Per si quid exquisitius, quam, per id quod. Ita Virgilius. Æn. iv. 317 : Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam Dulce meum. Innubere ; confer, nec Cænis in ullos Denupsit thalamos, xii. 196.

857. *Errorem nominis esse.] Art. Amat. iii. 729. jam inter virgulta latentis patuit miseræ jucundus nominis error. Parvo ; unus Leidensis, parvæ, scilicet vires. Labitur, moritur.*

861. *Et in me Infelicem animam, etc.] Veteres morientium animas osculo excipere solebant. Hunc morem probat, apud Virgilium, Æn. iv. 685.*

Anna soror Didonis: Et extremus si quis super halitus errat, Ore legam. Vultus melior, lætior, etiam, v. 501. Jam enim ex Cephalo cognoverat Auram non esse Nympham, ut ipsa crediderat ; sed lenem ventorum refrigerantium flatum. Cæterum si Apollodoro fidem habemus, Cephalus ob hanc cædem ab Areopagitis æterno exilio damnatus est. Hinc Thebas migravit, et inde ad Teleboas, in eam insulam, quæ ab ipsius nomine Cephalenia dicta est: Pausan. p. 91.

864. *Duplici cum prole ; cum duobus filiis Telamone et Peleo, qui militum delectum habuerant.*

FINIS TOM. III.

INSTYTUT
BADAŃ LITERACKICH PAN
BIBLIOTEKA
00-390 Warszawa, ul. Nowy Świat 72
Tel. 26-68-63



WYDZIAŁ
KRAJAN
1919



